UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agr., 1599**

**VD16 ZV 2606**


urn:nbn:de:hbz:466:1-59868

Visual Library







UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



R. P.

# VINCENTII BRVNI, SOCIETATIS IESV, MEDITATIONES,

DE PRÆCIPVIS MYSTERIIS VITA & Passionis D.N. IESV CHRISTI,

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex quoque Euangelio depromptis,

*Nunc ex Italico in Latinum translata.*

PARS PRIMA.




Soc.tis Jesv Paderborne.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
In Officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylij. M. D. IC.
*Cum gratia & privilegio Sacr. Cæsar. Majest.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R.mo ET ILL.mo D. D. VVOLFGANGO MOGVNT. ECCL. ARCHIEPISCOPO. S. ROM. IMPERIJ per Germaniam Archicancellario, Principi Electori, Domino suo clementissimo COLLEGIVM Societatis IESV perpetuam fœlicitatem precatur.

MITTIMVS *ad Illustriss. Celsſ. T. piarum commentationum, libellum, mole paruum, virtute magnum, peregrino idiomate primum conscriptum, nunc Latino à nobis expressum, vt qui erat vtilis & salutaris omnibus, legeretur & intelligeretur ab omnibus: non quod in tanto optimorum librorum aceruo desint, vnde pia meditandi mate-*

ria hauriri posſit, ſed quia, vt, horti nobiles, non patrij tantum ſoliſtirpibus, ſed etiam exoticis, ſi arte & induſtria natiui fiant, exornantur; Sic Chriſtianæ pietatis paradiſus, nō noſtris modo, ſed externis quoque ſcriptis, ſi induſtria Latinæ vel vulgaris verſionis acceſſerit, mirificè excolatur. Quo nos hanc induſtriam in præſenti opere præſtaremus, non vna cauſa fuit: Auctor nimirū erat de Societate noſtra, à virtute, & doctrina notus: libellus erat ad omne genus hominum informandum accommodatus, cōcionatoribus æquè ac auditoribus vtilis, & iam extremam eius partem, quæ eſt de Paſſione Domini cum magna piorum approbatione, alias conuerteramus. Cur verò has primas Meditationes partib. duab.

com-

comprehẽſas Reueren. & Illuſt. C.T. dedicare auderemus, fecit non opuſculi dignitas, ſed amoliendæ ingrati animi notæ mera neceſſitas. Nota enim in vulgus eſt, tua in nos, Præſule, & Principe digna, munificentia & liberalitas. Res ipſa loquitur. Domicilium hoc ipſo anno in conſpectu vrbis honeſtiſſimum, literarumq́; ſtudijs opportuniſſmum, magna impenſa nobis conſtruxiſti, & ad faſtigium perduxiſti, alijſq́; beneficijs, compluribus retro annis, quibus ad clauum Eccleſiæ Moguntinæ feliciter ſedes, cumulaſti. Cùm ergò facultate remunerandi tantam beneuolentiam deficiamur, quid minùs facere poteramus, quàm huius libelli miſſione, cuius altera pars mox inſequetur, quaſi ſymbolo gratæ ſaltem volũtatis pro-

*pensionem testari, simulq; assiduas preces nostras, licèt indignas studia, officiaq; nostra Illustriss. Cels. T. humilime offerre, Deumq; Opt. Max. obsecrare, vt eam Ecclesiæ Catholicæ, Romano Imperio, scolisq; nostris quàm diutissimè sospitem, saluamq; seruare velit?* MOGVNTIAE *Kal.* AVGVSTI *Anno 1597.*

PIO

# PIO LECTORI.

PRINCIPIO huius operis, pie Lector, ad rationem instituti mei plenius intelligendam, visus mihi es necessario tribus de rebus monendus. Primum quo scopo & fine inductus sim ad has MEDITATIONES de vita & Passione CHRISTI Domini nostri perscribendas. Secundò, quem ordinem in eis sim secutus. Tertiò quem modum, qui eas legerint, tenere debeant, vt ex earum consideratione aliquem percipiant fructum. QVOD ad primum attinet, duabus potissimum de causis permotus sum ad eas conscribendas. Prima est summa huius exercitij Sancti, nempe orationis necessitas. Quemadmodum enim fieri non potest, vt diu vitam corporis conseruemus sine cibo corporali, sic nec vitam gratiæ in anima diu sine miracu-

lo retinere possumus sine hoc cibo spirituali. Quod cũ probè sciret Saluator noster, toties ad hoc suos discipulos est adhortatus, & per eos speciatim idem voluit omnibus suis cõmendatum esse, vt his instructi armis faciliùs se aduersus tentationes tueri, gratiam conseruare, & æternam denique salutem consequi possent. Altera causa fuit magna, quam omnes in hoc exercitio experimur, difficultas, quandoquidem non omnes homines, siue quia consuetudinẽ illam non habent, siue quia curis externis & negotijs nimium distrahuntur, aut norunt, aut possunt in orationib. suis excogitare cõceptus vel materiã deuotionis. Vnde eiusmodi hominibus, dum ab hoc exercitio abstinẽt, euenit idem quod ęgris, qui dum ob difficultatem, quam in edendo sentiunt ab omni cibo se continent, manifestum adeunt vitæ periculum. Quare in cõmune, pro me & alijs

alijs cogitâram Meditationes ea forma & modo conſcribere, qui tum varieate rerum, tum conceptuum affectuoſorum copia, ita eſſet ad guſtum ſpiritualiter conditus & accommodatus, vt quiſq; licet abhorrens, aridus & diſtractus, mediocri ſaltem attentione eas per legendo excitari poſſet ad deuotionem & amorem CHRISTI ſui redemptoris, & ſimul ad deſiderium eum imitandi, eiq; ſe quoad poſſet in omnibus rebus aſſimilandi.

VT verò facilius hunc finem conſequi poſſimus, exiſtimaui, quod erat ſecundum caput eorũ, de quibus monere te volueram, illum ordinem eſſe tenendum, vt vnamquamque MEDITATIONEM in tres præcipuas partes diuiderem. In quarum prima, (neceſſe eſt enim in oratione certam aliquam materiam præſcribi, de qua meditatio inſtituatur) proponitur punctum vnum de Hi-

storia Euangelica, hoc est, vna CHRISTI Domini nostri Actio: eo quod sanctissima eius vita sit verum illud exemplar, in quod omnes intueri debemus, & recta illa norma, ad quam vniuersa vita nostra instituēda & dirigenda est. Post Euangelium, sequuntur quædam veteris Legis Figuræ vel Prophetiæ, partim ad confirmandam magis veritatem Euangelicam, partim, quia Spiritus Propheticus ob lumen & vim magnam, quam impertit intellectui nostro in fidei veritate, valdè efficax est, ad illustrandā mentem, commouendos affectus & & comparandum animum ad meditationem.

In Secunda parte proponuntur Considerationes in singula Euangelij puncta. Nam licèt hominibus spiritalibus, in meditando exercitatis, qui per se ipsi norunt exsugere mel de petra, ipsa nuda Euangelij historia satis materiæ

teriæ præbeat ad contemplandum: tamen incipientibus, & nondum exercitatis, ac etiam mente distractis opus est, velut infantibus & pueris cibum in frusta sectum, & præmansum in os ingerere, vt facilius possint digerere, & fructum aliquem referre. Hæ Considerationes ad extremum concluduntur Colloquio, in quo à Domino postulamus, vt spiritualiter id in nobis efficere velit, quod corporaliter ab illo ea actione effectum, de qua meditatio fuit instituta. In tertia & vltima parte deinde cuiusque Meditationes adiunguntur quædam documenta ex Euangelio excerpta: quia sicut finis orationis nostræ esse debet, bonis operibus vitam nostram cum vita CHRISTI conformare, sic in his documentis ex operibus à Christo factis, doctrinaque ab eo tradita, discimus quid agere, quidque fugere ad imitan-

dum CHRISTVM debeamus.

QVOD ad tertium & postremum caput attinet, de instruendis ijs, qui minùs in hoc genere sunt exercitati. Quicũq; fructum aliquem capere ex his Meditationibus desiderat, ante omnia, cùm ad orandum se confert, conuenienter consilio sapientis, animam suam præparare debet. Præparatio autem consistit in duobus. Primum est, vt remoto omni affectu inordinato, & voluntate peccandi, conetur se huic sancto exercitio dedere, quanta maxima synceritate, puritateq́, animi poterit: vt enim purum esse debet vas, in quod pretiosus liquor effundendus est: ita animam illam, in quã nobilis diuini amoris, gratiæ, aliorumque donorum cælestium liquor effundendus est, necesse est mundam esse, quoad fieri potest, ab omni peccati labe, imò liberam & solutam omnibus

alijs

alijs curis & cogitationibus, quæ eã in oratione retardare possint. Alterum est, vt mente ad Deum sublata, quasi in cõspectu Dei cõstitutus postulet gratiam, deuotè & reuerenter hæc sacra mysteria ad purũ honorem & gloriam suæ diuinæ Maiestatis, vtilitatemque spiritualẽ animæ suæ cõsiderãdi.

POST hanc præparationem, aggrediendum est ad hoc sanctũ exercitiũ, Vbi id primum animaduertit, etsi quælibet Meditatio plures habeat partes, nempe. Scripturam, Prophetias, Considerationes, & Documenta, non eo id factum, vt homo singulas mente pertractet, sed, quia non vnum est omnium hominum palatum, varia & multiplex materia proposita est, vt qui ex hoc, vel illo puncto ceu ferculo non potest, ex alio saltem carpat, quod ad reficiendam, roborandamq; mentem valeat. Ita enim fit, vt quidam sola Euangelij, alij vaticiniorum,

alij consideratiónum, documentorum alij lectione, secundum cuiusque dispositionem, moueantur. Initium ergo Meditationis facturus, primò legat attentè & deuotè sacri Euangelij verba, vtià Spiritu sancto dictata: qua in lectione debet, quatenus potest, imaginari se præsentem oculis cõtueri quæcunque ibi commemorantur. POST Euangelium, eadem attentione leget Figuras, & Prophetias, considerando, quam benè vereque nouum testamentum veteri respondeat, & quánta perfectione CHRISTVS Dominus noster in se cõplerit, quicquid in Patribus antiquis fuit prefiguratum, & per ora Prophetarum prædictum. Quæ consideratio non exiguam illi pariet consolationem, & menti subtrahet alias distractiones, attentioremque ad res meditandas reddet.

Verum quod ad has figuras & Prophetias attinet, illud visus es mihi

mihi hic præmonendus. Etsi omnes & singulæ Domini actiones non sint præfiguratæ, & prædictæ, sed tantum plurimæ & maximè præcipuæ, me tamen singulis aliquas prophetias adiungere voluisse: quæ, vt præcisè non referantur ad singularem illã CHRISTI actionem, accommodari tamen illi possunt; quod multorum Doctorum, ipsiusque Ecclesiæ sanctæ exemplo feci, quæ in diuinis officijs crebrò in hunc modum vsurpat vaticinia, aliaque veteris legis testimonia, decoreq; ac cõgruenter materiæ de qua agitur accommodat, licet secundum literam alio pertineant. Quæ ratio applicandi Scripturas, non solum affert ornamentum quoddam rebus tractatis, sed valet etiam ad excitandam pietatem & deuotionem, simulque ansam præbet, multos spirituales sensus & conceptus ad gloriam Dei excogitandi: cuius Spiritus in diuinis

nis literis nõ est ad vnum sensum alligatus & astrictus, sed porrigi potest ad omnes veritates fidei Catholicę, bonisq; moribus consentaneas.

POST expensas Prophetias, per puncta Considerationum decurret. Vbi duo obseruanda sunt. Primum est, vt fructus carpatur, non esse continenter legẽda, nec omnia puncta, nec vnum etiam integrum qualibet vice; sed, velut in vnoquoq; erunt varij conceptus spiritales, ita in illo hærendum est, & mente tamdiu pertractandum, quod primò occurrit, quamdiu sensu quodam interno, & gustu spirituali afficietur: quare si alia supereſſe contingat, ea in sequentes Meditationes differri poterunt, prętstat enim paucà meditando expendi cum deuotione & fructu, quàm multa sine attentione & gustu. Secundum est, etiamsi in his cõsiderationibus occurrant diuersi conceptus, ad medita-

ditationem opportuni, posse tamen in qualibet Domini actione quatuor quædam perpendi. Primò ipsius Domini personam actionis auctorem, quippe qui nõ fuerit purus homo, sed magnus ille Deus, qui in terra quidem inter homines versabatur, sed pariter in cœlo existens mundum totum gubernabat. Secundò actionem, & opus, quod tanta Maiestas in hominis forma exercere dignabatur in gratiam mortaliũ. Tertiò potest expendi, quomodo actio illa perfecta sit à Domino, quanto videlicet amore & caritate, quanta mansuetudine, humilitate, patientia, &c. Postremò oculus conijci potest in causam, quæ Deum ad hęc agenda mouerit, quæ alia non fuit, quàm amor nostri, & salutis nostræ desiderium. Ex qualibet autem harum considerationum vtilitas aliqua & fructus animæ spiritualis delibandus est.

POST absolutam Considerationem punctorũ concludet Meditationem Colloquio, colligendo se, & considerando quicquid dicitur in Euangelio spiritualiter ad se quoque pertinere, si enim in eo agatur de sanitate infirmis redita, vel de alijs beneficijs à Domino collatis, cogitabit se multò ampliùs infirmum fuisse, hocque magis opus habuisse auxilio, quo infirmitates & necessitates spirituales, sunt corporalibus grauiores. Similiter si in eo agatur de peccatoribus, vel de iniurijs, alijsque afflictionibus toleratis à Saluatore, cogitet se multo maiorẽ esse peccatorem, & maiores iniurias CHRISTO intulisse, ipsam quoque bonitatem diuinam longe grauiores contumelias pro sua salute perpessam esse. Qua cogitatione compunctus & humiliatus, abijciat se ad Domini pedes, petens vt spiritualiter animam suã eo beneficio afficere velit, quod

in Colloquio cuiusque Meditationis exprimetur.

POSTREMO, quoniam Meditationis Vitæ CHRISTI fructus non solum esse debet noster gustus & consolatio spiritualis, sed imitatio ipsius, & vitæ nostræ emendatio: idcirco post consideratas Domini actiones, percurret Documenta, posita in fine, explorabitque num vitam suam conuenienter doctrinę & exemplo Domini instituerit; si verò deprehẽderit, se aliam viam tenuisse, proponat emendationem, statuatque se ad viuum illud omnium virtutum speculum, CHRISTVM Saluatorem nostrum vitam suam de inceps conformaturum; quandoquidẽ solus ipse est via deducens ad vitam; qui enim existimat aliam ad salutem semitam iniri posse, ille deprehendet se longe à scopo aberrasse.

INDEX

# INDEX MEDITATIONVM PRIMAE PARTIS.


MEDIT. 1. De annunciatione ab Angelo facta B. Virgini, & de incarnatione filij Dei, pag. 1.

2. Quomodo B. Virgo visitarit S. Elisabeth. pag. 21.

3. Quomodo Deus reuelarit Ioseph Virginitatem B. Virginis. 34.

4. De natiuitate Domini nostri IESV Christi. 49

5. Quomodo Angelus apparuerit pastoribus. 65

6. De Circunciſione CHRISTI D. N. 79

7. De Magorum adoratione. 94

8. De Purificatione B. Virginis, & Præsentatione CHRISTI in templo. 112

9. De fuga CHRISTI in AEgyptum, eiusdemque reditu in Iudaam. 131

10. Que-

10. Quomodo B. Virgo puerum IESVM amissum inuenerit in templo. 151
11. De vita CHRISTI ab anno ætatis duodecimo, ad trigesimum. 168
12. De prædicatione Ioannis Baptistæ. 191
13. De Baptismo Christi. 196
14. De ieiunio & tentatione Christi in deserto. 208
15. De vocatione primorum quinque discipulorum. 229
16. De primo miraculo CHRISTI in nuptijs Canæ Galilææ. 242
17. Quomodo Dominus eiecerit è templo ementes & vendentes. 260
18. De colloquio Domini cum Samaritana. 275
19. De initio Prædicationis CHRISTI. 294
20. De vocatione Apostolorum. 309
21. De copiosa piscium captura, quam

nutu CHRISTI discipuli fecerant. 330
22. De sanata à Domino Socru Simonis. 355
23. Quomodo CHRISTVS excitatus ab Apostolis, sedarit tempestatem maris. 381
24. De Paralytico à CHRISTO sanato intra domum. 396
25. De Hæmorrhoissa tactu vestis CHRISTI sanata. 412
26. De filia Archisynagogi à CHRISTO resuscitata. 429
27. De Paralytico à CHRISTO sanato iuxta piscinam. 450
28. De sermone Domini in monte ad Apostolos habito. 465
29. De Oratione Dominica. 494
30. De mundato à CHRISTO leproso. 541
31. De sanato à CHRISTO seruo Centurionis. 559
32. De filio Viduæ à CHRISTO resuscitato. 578

33. De

33. De conuersione MARIAE Magdalenæ. 595
34. De muliere, quæ è media turba B. Virginem collaudauit. 622
35. Quomodo Nazareni voluerint CHRISTVM de monte præcipitare. 641

FINIS INDICIS.

DE



D
CI
G
ET
N
tam v
de do
MA
eã dix
tecur
Quę

# DE ANNVNCIATIONE AB ANGELO FACTA B. VIRGINI, ET DE INCARNATIONE FILII DEI.

## MEDITATIO PRIMA.

### EVANGELIVM. Luc. 1.

MIssvs est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilęę, cui nomen Nazareth ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis MARIA. Et ingressus Angelus ad eã dixit: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mueſtribus. Quę cùm audisset turbata in ser

mone, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei. Ne timeas MARIA, inuenisti enim gratiam apud DEVM: ecce cõcipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM. Hic erit magnus. & Filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem MARIA: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbum tuum. Et discessit ab ea Angelus.

FIGV-

FIGVRAE.

1. MOYSES cum descenderet cũ tabulis Legis ex mõte Sinai, in quo erat conuersatus cum Deo, & filij Israël splendorem vultus eius perferre non possent, operuit faciem suã velo, vt eos alloqui posset. Exod. 34.

2. Abraham vnum è seruis suis misit in Mesopotamiam, vt inde Rebeccam filio suo in sponsam acciperet. Gen. 24.

3. Angelus Domini, apparuit matri Samsonis, eiq; dixit. Ecce concipies & paries filium, erit Nazaræus, & incipiet liberare populum Israhel. Iudic. 13.

4. Abigail, accepto nuncio, quod Dauid iussisset eam sibi accipi in vxorem, adorauit prona in terrã, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei. 1. Reg. 25.

5. ESTHER virgo è captiuitate populi Israelitici incredibili sua pulchritudine, honestisq; moribus ita placuit ASSVERO Regi, vt ex omnibus mulieribus eam in sponsam & Reginam elegerit. Esther. 2.

Gen.37. 6. *Iacob misit filium suum carissimum Ioseph ad inuisendos fratres, qui pascebant oues in Sichimis, à quibus captus fuit, & malè tractatus.*

## PROPHETIÆ.

Mich.1. 1. ECCE *Dominus egredietur de loco suo, & descendet.*

Psal 35. 2. *Deus ipse veniet, & saluabit vos.*

Isa.45. 3. *Rorate cæli desuper, & nubes pluãt iustũ, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

Psal.71. 4. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.*

Isa.7. 5. *Ecce virgo concipiet, & pariet filiũ.*

Hier.31. 6. *Creauit Dominus nouum super terrã, fœmina circundabit virum.*

Eze.44. 7. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniã Dominus Deus Israël ingressꝰ est per eã.*

8. *Inclinauit cælos, & descendit.*

Psa.17. sapi:18. 9. *Cùm quietum silentiũ contineret omnia, & nox in suo cursu mediũ iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine, exiliens è cælo à regalibus sedibus venit.*

## CONSIDERATIONVM PARS I.

Punct.1. CONSIDERA, quis mundi status fuerit ante aduentum Saluatoris. Perpende quanta fuerit hominũ multitudo

titudo tunc in terra degentiũ; quã magna inter eos, naturæ, morũ, exercitiorũ dissimilitudo: vt alij bella gesserint, alij alta pace fruiti sint: alij fleuerint, alij riserint; multi in lucem editi sint, multi vita excesserint. Cogita, quomodo hi ipsi homines toto orbe dispersi, idolis colendis, maledictis in Deũ euomẽdis, mutuis cædibus alijsq; innumeris flagitijs patrandis vacarint, in sui creatoris cõtumeliã. *Omnes*, enim, *declinauerũt, simul inutiles facti sunt: nõ erat qui faceret bonũ, vsq; ad vnũ.* Veritas exularat. Caritas refrixerat, & malitia abũdarat. Deniq; totus mundus peccatorũ tenebris erat immersus, & ignorãtiæ caligine obuolut⁹. Regnabat mors. Dominabatur Sathã, & in infernũ, qui miè dilatauerat os suũ, instar fluminis innumerabilis animarũ turba præceps ruebat. *Psal. 87.* *Psal 12.* *Psal. 43.* *Psal. 13.* *Rom. 5.*

2. CONSIDERA ex altera parte, quo in statu fuerint, quidq; per id tempus egerint S. Patres existentes in limbo, qui post diuturnam captiuitatem liberationis suæ cupidi, & de mundi salute solliciti, eiusmodi in cælum mœstis mixta vocibus iactabãt desideria. Quã diu, ô Domine, ira tua desæuiet, & zel⁹ tuus, velut ignis attendetur in nos. *Vs. quequò obliuisceris nos in finẽ, vsquequò* *Psal. 87.*

Psal. 43. *auertes faciem tuam à nobis ? Exurge, quare obdormis domine; exurge, & ne repellas in finẽ.* Veni tandẽ & exorire, ô gloria gẽtis noſtræ, & ſpes vnica ſtirpis tuæ. Ecce res oẽs velut cæca nocte obrutæ iacent, donec tu Sol iuſtitię clarã lucẽ mũdo reſtituas. Deſere tandẽ, ô verè IACOB, domũ paternã, & ab ęterna illa requie tua deſcende: iam enim tempus eſt, vt manũ duro admoueas raſtro & in ſudore vultus tui victum & amictum cõpares dilectę proli tuæ. Ecce ve

Gen. 32. lut pauper, pedibus nudis, vno nixus bacillo tranſibis aquas Iordanis, & in peregrino ſolo, humilis paſtor, immitis ſorori greges coges ad paſcua. Verũ poſtea cum diues auri & pecoris reuerteris ad paternũ regnũ, tunc ſtipatus duabus honoratis turmis, nobilẽ Patris tui domum numeroſa familia augẽbis.

Ibid. 3. Contemplare ſacrũ triũ diuinarũm perſonarũ collegiũ, quomodo cũ quaſi oculis è regio throno in terrã deiectis animaduerterent, mortales omnes inſtar cęcorũ, imò belluarum rationis expertium vitã agere, & paulatim in mortẽ, ipſumq; tartarũ pręcipites ruere, cõmotæ tanta ſuarũ creaturarũ ſtrage cęperint agitare cõſilia de certo remedio humani generis ab æterno exitio liberan

rādi. Sed ex vna parte, hominis peccatoris mortē, exposcebat diuinæ iustitię ueritas, ex altera, misericordia supplicabat Creatori, vt ꝑ immensa sua clemētia misereretur suæ creaturæ. Persona Patris, videbatur fauere Iustitię. Bonus verò & S. Spiritus, potius propendebat in misericordiā. Deniq; Filius, cui Pater cōmiserat omne iudicium, nō ignarus hominē sui occasione, nempe ob temerè affectatā suam diuinā similitudinē & sapientiā in has miserias delapsū, nec præstò ei esse prędidia, quibus emergat, fragilitati humanæ compatiens, venit, & voluntariè se obtulit Patri, dicens. Scio, quia *hostias & oblationes, & holocautomata ꝑ peccato noluisti*, idcircò, *ecce venio*. mei muneris est pęnā luere ꝑ homine, quē creaui. Quoniā ꝑpter me hæc orta tempestas est, proijciar & ego in mare, vt homo à tanto immunis sit periculo. Quibus dictis, mox euocat angelum Gabrielē, & dicit. Vade ad filiā Syon, & dic: Ecce rex tuus venit ad te. *Ioan. 3.* *Psal. 39.* *Heb. 10.*

4. O pietas inaudita, ô caritas ineffabilis, ô viscera verè paterna, ô Deus non amplius vltionum Deus, sed misericordiarū Pater; quandoquidē tantū valuit ignis ille amoris in pectore tuo erga nos accēsus, quod neq; nostri laps⁹ gra-

uitas, nec ſuſcepti itineris laboris, nec difficultas certaminis, nec denique opprobrium & ignominia crucis, reuocare te potuerūt, quin humeris tuis, licet innoxius, pœnam noſtris criminibus debitam, expiandā ſuſciperes. O fortiſſime Samſon, quomodo, quæſo, te ita infatuauit amor tuæ Dalilæ, hoc eſt, noſtræ naturæ peccatricis! vt poſt tot eius proditiones audeas rurſum deponere caput tuum in ſinum eius, cùm ſcias te mox ab ea tradendam in manus hoſtiū & poſt multa probra & iniurias, turpiſſima morte ab eiſdem multandum? *Iud. 16.*

5. REFLECTE deinde oculos mentis ad paruum caſtellum Nazareth, & conſidera, quid ſub hoc tempus agere debuerit filia Sion, pura Virgo illa, tam humilis & abiecta in oculis ſuis, & tam magna & excellens in oculis Dei. Vbi cogitare potes, quod, vti per omnem vitam ſuam fuerat omnium virtutū ſpeculum, & plus angelorum quàm hominum cōſuetudine vtebatur; ita hac hora cubiculo incluſam fuiſſe, ſupplicemque Patri cœleſti in ſecreto cordis ſui, totam diuina contemplatione abſorptam ſtetiſſe. In ſpecie autem Sancta Virgo tria à Deo expoſcebat. Primò, vt honor Dei & gloria perfectè in cælo

& in

& in terra, nominatim autem in se eius sancta voluntas adimpleretur. Secundò, ardentissimo desiderio exposcebat liberationem generis humani. Nam, vt multi volunt, cùm id temporis peruolueret vaticinia prophetarum, & intelligeret, vt erat sapiẽtia, & diuino Spiritu plena, tempus adesse, quo aperiendi essent cæli, & in mundum descensurus desiderat⁹ ab omnib. gentib. sancto zelo flagrans, oculis mentis & corporis in cælum coniectis in has propheticas voces erumpebat. Egredere, tandẽ, *Psal. 18.* ô desiderate sponsè è thalamo tuo cæ- *Cant. 2.* lesti; ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis, prębe semel ore tuo nobis dulce osculum pacis. Quibus verbis amore tota liquefacta, repetebat cum sponsa, *veniat dilectus meus* *Cant. 5.* *in hortũ suum:* veniat in animam meã, veniat intrô in cor meum. Tertiò exposcebat à Deo, vt infœliciſſimum illud tempus incideret, quo lucem edenda erat Virgo beatissima, electa in Dei matrem, & Saluatorem mundi paritura. O quàm fœlicem se reputabat, si oculis suis illam posset videre, si lingua sua prædicare, si manibus suis illi seruire, imò fimbriam vestium eius attingere, ac deniq; genua sua ante eum flecte-

re,& adorare filium Dei hominem factum in eius vtero existentem? Cum itaq; Maria totam se in has contemplationes & desideria sancta effudisset, ecce subitò splendore cælesti circumfusa conspexit ante se archangelum Gabrielem, qui hilari vultu & voce post salutationē renunciauit. Iam venire Dominū, esse vicinū, imò iā ei adesse; ipsam quoq; esse virginē illā electā, & matrē illā benedictā, quæ cōcipere deberet in vtero suo; & parere vnigenitū Dei filiū.

*Punct. 1.*

## PARS SECVNDA.

CONSIDERA, colloquiū suaue ab Angelo, cū B. Virgine institutum; quomodo ad eā ingressus, ea reuerētia & submissione, quę congruebat futurę dei matri, dixerit, *Aue gratia plena*, atq; si diceret. Pax tibi & gaudiū, quę ab omni maledictione, & peccati macula immunis es. Aue tota pulchra, tota immaculata, tota plena gratia. Et rectè quidē appellat plenā; nā alijs sanctis Dominꝰ tantū impartiuit quędam dona gratię, Mariam verò omni genere gratiæ compleuit. Plena erat gratia, quia anima eius plena erat eo, qui fons est, & auctor omnis gratiæ. Meritò gratia plena erat illa, cuius opera omnes creaturæ repletæ fuerunt donis & gratijs Spiritus S. Et si MARIA gratia fuit plena, ante-

quam

quam concepisset Saluatorem, quantã cogitare debemus ei obtigisse gratiam, postquam eundem concepit?

2. SVBIECIT deinde Angelus. *Dominus tecũ.* Verè tecũ erat, & omnib. modis erat ô Maria, Dominꝰ tuus, & Sponsus tuus. Tecũ erat in anima, eã sanctificans, & super omnes creaturas donis & charismatib. exornans. Tecũ erat in corde, illud caritate, gaudio & consolatione ineffabili cõplens. Tecũ in mẽte, eã illustrans, & cęlesti contemplatione reficiens. Tecũ deniq; paulò post in putissimo vtero tuo per assumptã carnẽ esse debebat, vt te beatã efficeret, & ex humili ancilla, Sponsã altissimi, Matrẽ æterni sui filij, & templũ viuum Spiritus S. Vnde meritò Angelus eam appellauit, *Benedictam in mulieribus.* Aliæ enim mulieres duplici maledictioni erãt subiectæ; altera Dei, quæ orta est ex corruptione peccati, de qua illud *In dolore paries filios.* Altera legis latę in mulieres steriles. Ab vtraq; libera fuit Maria, primò, quia fuit virgo sine mac ula, deinde quia fuit fęcunda, & quidẽ hoc benedicto fructu fœcunda, in quo oẽs gentes sunt benedictæ. Imò quia hæc omniũ prima Deo suã virginitatem obtulit cum voto, in omnib. mulieribus maledictionem Legis antiquauit. nam *Gen. 3.* *Deut. 9.*

vt in veteri lege scriptũ erat *Maledicta sterilis*. Sic nunc in noua lege post oblationem istam à Maria peractam scriptũ est. *Benedicta virgo*, & status virginum prælatus est, statui Coniugum.

3. MARIA cùm audisset salutationem angeli turbata est tota, non quod esset incredula, vt Zacharias, aut quod angelum conspexisset: Solita enim erat videre angelum: sed ex virginea quadam verecundia. Proprium enim Virginum est ad præsentiam virorum turbari. Turbata etiam est, quia illa salutatione, illis laudibus angelicis se iudicabat indignam. Sancti enim & humiles, quo plus laudantur, hoc turbantur magis; solent enim illi inquirere, non in virtutes suas, vt inaniter in illis sibi placeant, sed potius in suos defectus & lapsus vt eos emẽdent. Turbata est igitur MARIA, sed non perturbata; imò, vti cauta & prudens, non respondit, nimirum tacitè secum expẽdens, qualis esset ista salutatio, & admiratione forte attonita intra se dicebat. Vnde mihi meritum tantum, vt Angelus Domini veniat ad me? Verùm cur miraris, cur times humilis MARIA? an ob aduentũ Angeli? at ecce ipsum Angelorum Dominum ad te venientem. An quia

Ange-

Angelus vocat te gratia plenam ? at gratia hæc humana non est, qua hominibus reddaris gratiosa, sed diuina, quę te ita gratam reddidit Deo, vt nō solū pro te, sed etiam pro toto genere humano gratiam apud eum inueneris. Tu enim sola illam recuperasti gratiā, quā peccato primorum parētum amissam nulla hactenꝰ creatura reperire potuit. Inuenisti quoq; gratiam apud Deum, quia insigni pudicitiæ & humilitatis splendore animam tuam collustrans gratam Domino tuo habitationem præparasti. QVARE si MARIA est plena gratia, & apud DEVM est gratiæ inuentrix, omnes quotquot inopes & cupidi gratiæ sumus, eam adeamus. Deus enim, vt honoraret matrem in eā effudit plenitudinem gratiæ, vt nos intelligeremus, si quæ spes, si quid boni, si quæ salus in nobis sit, id totum à MARIA tanquam Mediatrice redundare. Nec quicquam vult Deus à nobis obtineri, quod non per manus MARIÆ dispensetur.

4. CONSIDERA, quomodo, cum Angelus subiunxisset, eam concepturam, & parituram Filium altissimi. B. Virgo inter gaudium & timorem anceps & perplexa constiterit. Gaudebat

de promissione, firmiter credēs, perfici debere, quicquid Deus per Angelū promisisset: sed modi ignara, verebatur, ne in Virgineæ puritatis, quā maximi faciebat voto, dispensatione opus esset. Sciebat quidem, virginem concepturā, parituramq; filium, sed qua ratione & via id futurum esset, nūquā legerat; eò quod huius mysterij arcanū nō hominis, sed angeli ore patefaciendum erat. At postquā certè didicit, id fieri debere opera Spiritus sancti, salua virginitate sua; cogita quāto gaudio & cōsolatione perfusa fuerit, quāta lætitia cor eius exilierit, dum animaduertit omnia sua desideria abundanter esse à Domino cōpleta. Expēde etiam quantus cumulus gaudij accesserit, cu[illegible]ntellexit cognatā suā sterilē in senectute cōcepisse filiū.

5. Hactenus, ô Virgo benedicta, audisti mirabilia, quæ Deus vult operari in te, audisti & modum. Nunc supereſt, vt sicut Dominus pectus tuum tanta lętitia compleuit, tu vicissim nobis responsum des plenū lætitiæ & exultationis. Vbi cōsidera, præsentē adsistere Sacrosanctā Trinitatē, & quasi expectare dilectæ filiæ suę responsum, oblectare eā se consideratione verecūdię, & modestiæ virginalis, auscultare ad humilia verba

ex

ex eius ore egressura. Perpende etiã quã tã reuerentia, & submissionis significatione Angel⁹ Gabriel ad præsentiã eius inclinatus expectarit optatum illud responsum, ex quo tanta Dei gloria, & tãta totius mundi salus pẽdebat. Expectemus & nos miseri Euæ filij, æternæ damnationis rei, verbũ misericordiæ; nã in manibus tuis est, ô Virgo benedicta, pretium nostræ redemptionis: Quare si tu non prẽstas consensum, omni spe remedij excidim⁹, si præstas; salui sumus. Expectant quoq; & obsecrãt te omnes cæli ciues, vt misericordia moueare, & antiquas eorũ velis instaurare ruinas. Deniq; supplicant tibi omnes sanctę animę, quę sedẽtes in tenebris, & vmbra mortis, cõfidunt se tui responsi beneficio liberãdas, & vera luce vitę potituras. *Isa. 9.*

6. Itaque prudentissima virgo, auditis Angeli verbis, positis magna humilitate humi genib. manibus oculisq; in cælũ sublatis, exoptatũ tandẽ responsũ his verbis dedit: *Ecce ancilla domini fiat mihi secũdũ verbũ tuũ.* Nota hîc promptã MARIÆ obedientiã, & obedientiam super omne sacrificiũ Deo gratã & acceptã. Obserua magnam eius humilitatem, dum vocat se ancillã, quæ electa erat in Dei matrẽ. O singularem, imò *1. Reg. 15.*

inau-

inauditam humilitatem, quæ è cælo de trahere potuisti Conditorem vniuersi; & quem cæli capere non possunt, concludere intra angustias vteri vnius virgunculæ. Hoc temporis puncto celebratæ sunt æterni verbi cum humana natura nuptiæ; inclinati sunt cæli, & ad nos descenderunt, Deus excelsus & glorioſus ad nostram infirmitatem se demisit, & homo miser & vilis in diuinæ naturę consortium est exaltatus. Tunc *misericordia & veritas obuiauerũt sibi; iustitia & pax oscułatæ sũt.* Tũc cæleſtis ille ros decidit de cælo, & iusto ex altissimis nubibus instar fęcundi imbris delabente, terra nostra concepit & germinauit Saluatorem. Tunc deniq; humilis ancilla, facta est mater sui Creatoris. Templum Spiritus sancti, & Regina angelorum atque hominum.

*Psal.17.*

*Psal.84.*

7. O fœlix MARIA, quanta dulcedine tunc inebriata est anima tua, quantus amoris ignis accensus est in corde, cum in ventrem tuum & mentem tantæ Maiestatis Dominus delaberetur? cum carnem assumeret de tua carne, cum membra, in quibus corporaliter habitatura erat tota diuinitatis plenitudo, ex tuis sacris membris formarentur. Si animus sponsę audita sola sponsi

*Cant.5.*

voce

voce tot⁹ liquefactus est, tu quomodo in ipso sponsi ingressu in virgineum tuum thalamum in tāta caritatis flamma non es consumpta? Sed virtus altissimi obumbrauit tibi, vt à tāto ardore lædi vel absorberi non posses.

## COLLOQVIVM.

PRECABERIS verbum incarnatum, quādoquidem, amore nostri & studio procurandæ salutis nostræ ad tantam humilitatem se demisit, vt nō in forma Dei esset, exinaniuerit semetipsum formam serui accipiens, vt nos exaltaret, vt suæ diuinitatis participes faceret, vt velit animam tuam, profunda humilitate exornare, sicut animam Beatiss. suæ Matris exornauit, vt concepto in ea spiritaliter diuino verbo, salutares vitę, bonorumq; operum fructus possis producere, & cōsequi eum finē, ob quem ille de cælo in terram venit.

## DOCVMENTA.

1. ANGELVS Gabriel, *etsi probè intelligeret, se quoad naturā, lōge esse homine nobiliorē & sublimiorē, hac verò legatione futurū homine inferiorē, & hominem adoraturū: tamen cū sciret hanc esse Dei voluntatē, promptè & alacriter suo functꝰ est ministerio: Sic nos in*

*rebus*

rebus ad diuinum seruitium spectantib⁹. non debemus quærere commoda nostra, aut honorem nostrum, sed id tantũ, quod magis conueniens est voluntati & gloriæ Dei, ac saluti animarum.

2. Verbum æternum non voluit carnem nostram assumere Hyerosolymis vrbe regia, sed in exigua villa Nazareth, quod interpretatur, sanctificata, vel florida. Gratia diuina nõ cõtingit superbis. Quare si in animis nostris volumus Iesum concipere, simus humiles, & sancti, & virtutum floribus ornati.

3. DEVS assumpturus carnem, voluit matrem suam, non solùm esse virginem, & sanctam, verũ etiam marito adiunctam, vt etiam apud homines omnem peccati suspicionem auerteret: sic non sufficit nobis, vt bonis operibus, rectaq; intentione satisfaciamus Deo, sed præterea necessariũ est, vt nullam scandali occasionem hominibus demus, conuenienter verbis S. Pauli monentis, vt bona opera nostra faciamus, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.

4. Angelus non inuenit B. Virginem in loco publico, sed domi in cubiculo reclusã: Et nos, si cælesti visitatione digni, si diuinorum secretorum participes esse cupi-

mus,

mus, simus in nobis ipsis collecti, & nos animia conuersatione hominum subtrahamas.

5. Beata virgo, Angelo conspecto, tãtisque laudibus ab eo in salutatione auditis, turbata est, & seipsam collegit: vt doceret, affluẽte diuina cõsolatione, rebusque prosperis, nos non debere esse timore vacuos, sed ob periculum ruinæ impẽdens nobis ipsis attendere: Sicut è cõtrario desolationis & afflictionis tempore debemus latari, & esse magis securi, dicente Scriptura. Dominum in tribulatione nobis adesse, ad adiuuandum nos.

6. Discant fœminæ à MARIA domi se continere, eoq; loco recludi, vbi solæ inueniantur ab Angelis, discãt formidare virorum colloquia, & ad laudes suas turbari. Discant prius expendere, & examinare res sibi propositas, quàm respondeant. Discant audire multa, loqui pauca. Discant deniq; zelum castitatis, qui tantus fuit in MARIA, vt non ante Mater Dei esse consenserit, quàm inuiolatam foret virginitatem suam certò cognosceret.

7. Beata virgo, licet esset humillima, & præ alijs omnib⁹ se indignã reputaret, ve esset mater Dei, tamẽ cognita diuina voluntate, mox cessit & magna animi promptitudine & fortitudine sese obtulit. Sic

nos

*nos, cũ ad diuinum seruitium à Deo vocati sumus, quamprimum, re diligenter excussa, animaduertimus vocationem esse à Deo, nõ debemus nec instituti difficultate, nec rei præstandæ magnitudine, nec virium nostrarum imbecillitate deterriti, respuere, vel differre obsequiũ, sed confisi in eo, qui vocat, prõptè nos offerre, & dicere cum Maria. Ecce seruus Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

8. Ecce ancillã Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *In his sex verbis sex eximiæ virtutes Sanctissimæ Virginis continẽtur, quæ cuiuis Christiano, in se Christum spiritualiter concipere volenti, sunt necessariæ.*

*Prima est, Obedientia prompta, significata voce.* Ecce.

*Secunda. Humilitas profunda, significata voce.* Ancilla.

*Tertia. Puritas angelica, expressa voce.* Domini.

*Quarta. Caritas ardens, & zelus pro salute aliorum significata voce.* Fiat.

*Quinta. Humilis magnanimitas in diuini seruitij executione, significata voce.* Mihi.

*Sexta et postrema, Fides deuota, quæ significata fuit, quãdo dixit,* secundũ verbum tuũ. *Beata enim virgo firmissimè credebat*

*credebat re ipsa in se complendum, quicquid verbis Angeli erat expressum.*

*9. B. Virgo sermone Angeli turbata nihil respondit, sed secum omnia expendit. Vnde discimus, cum in nobis perturbatio aliqua, vel commotio animi exurgit, debere nos tacere, & expendere quid conueniat, ne quid loquamur, vel agamus cuius nos deinceps pœniteat.*

QVOMODO

# B. VIRGO VISITARIT ELISABETH.

## MEDITATIO II.

## EVANGELIVM.

EXVRGENS MARIA in diebus illis abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factũ est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius *Luc. 1.*

eius : & repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit : Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus vētris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salùtationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in vtero meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quę dicta sunt tibi à Domino. Et ait MARIA. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Mansit autem MARIA cum illa quasi mensibus tribus. *Iudith. 13.*

FIGVRAE.

*IVDITH in Bethulia cū capite Holofernis reuersa, & magno triūpho à toto populo receptæ, dixit Ozias princeps populi Israhel.* Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnib. mulierib. super terram.

*1. Reg. 2.* *ANNA sterilis mater Samuelis, cū filium à Deo impetrasset, adorās Dominum*

*minum dixit.* Exultauit cor meũ in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.

PROPHETIÆ. *Psal.34.*

1. *Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super saluta ri suo.*

2. *Dominus ab vtero vocauit me.* *Esa.49. Hier.1.*

3. *Ante quam exires de vulua sanctifi cauite, & Prophetã in gentibus dedi te.*

CONSIDERATIONES.

EXVRGENS MARIA *abijt in mõta na.* Prorsus cõueniens erat, vt exurgeret illa, quæ erat plena Deo, & in vtero suo cõceperat filiũ altissimi; hoc est, vt conuersatio eius nõ esset amplius in terra, sed in cælis, vt mentem attolleret ad contemplanda cælestia, & præstãda opera diuina. Exurrexit quoque MARIA, quoad dignitatem suæ personæ, quia ex sterili facta est fæcunda, sic vt simul esset Virgo & Mater: Priuilegium singulare, nulli hominum vnquam cõcessum, & verò neq; concedẽdũ, nisi illi, quæ electa erat in matrẽ Dei; Deniq; exurrexit MARIA, quia ex humili ancilla facta est æterni Patris filia, vnigeniti filij eius mater, & Spiritus sancti spõsa. *ABIIT quoq; MARIA in mõ tana* *Punct.1.*

Quid

*Psal.89.* Quid hæc montana aliud significant,
*Esa.8.* quã montes sanctos Israël, mõtes mel-
*Gen.49.* lifluos, montes aromatũ, Patriarcharũ, Prophetarum, Apostolorũ, omniumque aliorum Sanctorũ veteris & nouæ legis; denique colles æternos Sanctorũ Angelorum, supra quos omnes conscendit Maria, & gratiæ abundantia, prærogatiuarum excellentia, virtutum omnium perfectione antecessit. Immo B. Virgo, mater Dei fuit mons ille altissimus Domus Domini, de quo dicit
*Esa.2.* propheta, agẽs de aduentu Saluatoris. *ERIT, in nouissimis diebus præparatus mõs domus Domini in vertice montiũ:* Verum hic perpende, virginem simul ascendere & descendere, nam simulatque animaduertit se factam Dei matrem, se fecit cognatæ suæ ancillam. Quo exemplo summæ humilitatis, palam demonstrauit se veram esse matrẽ eius, qui existens in forma Dei, Deo-
*Phil.2.* que secundum naturam æqualis semet ipsum exinaniuit, & ad seruiendum homini, formam serui accepit.

2. MARIA itaque postquam in se concepisset verbum æternum, ad visitandam Elisabeth abijt, non quod esset incredula, vel dubitaret de verbis angeli, sed vt gaudij de tãto beneficio à Deo accepto

accepto participem faceret, deinde vt operam ei suam in partu præstaret. Vbi considera magnum eius feruorem, & caritatem, quando illam, quæ alioquin sola intra domunculæ suæ secretum viuere consuêrat, nec ętas tenella, nec naturalis virginum verecundia, nec montium asperitas, nec itineris longitudo, potuerint retardare, quo minus prodiret in publicum, & officium caritatis tantæ exequeretur. Perpende item profundam eius humilitatem; quod, cum esset euecta ad tam sublimem dignitatis gradum, vt esset Mater Dei, ac proinde dignissima esset, quæ visitaretur, & cui seruiretur ab omnibus gentibus, non verita est, se humiliare & abijcere ad præstanda officia ea, quæ inferiores superioribus, ancillæ Dominis præstant. Quare meritò de ea dicitur: Quod per virginitatem suam Deo placuerit; per magnam verò humilitatem suam mater Dei facta sit.

3. CONSIDERA deinde, quemadmodum Mater Dei, iter tam asperum & difficile confecerit, non eques, sed pedes in comitatu aliquot pauperum virginum, sibi familiarium. Comitabatur eam verecundia, humilitas paupertas cum cætera virtute. Comi-

tabatur quoque eam ipſe virtutum I
minus, & tota regia ſpirituum cæ
ſtium curia, quæ continenter in cælo
famulatur. Mira erat modeſtia in inc
ſu, oculi in terram deiecti, mens in c
lum erecta, tota in ſeipſa collecta, in
tota extra ſe abrepta; neq; enim erat
ſe, quæ tota defixa hærebat in illo, q
intus continebat in ſe.

4. O anima mea, ſi eo tempore
xiſſes, tibiq̃ fortuna contigiſſet o
currendi B. Virgini, quando cum feſ
natione per montes decurrebat, ind
catumq̃ fuiſſet, virginem illam ſp
cie externa tam abiectam & paupere
eſſe matrem Dei, Dominam Angel
rum, Reginam cæli & terræ, Deumq
ipſum, mundi conditorem & guber
torem, in forma minimi infantuli ei
vtero concluſum, quanto ſtupore m
tis attonitus & lætitia exultãs elata v
ce beatã eã proclamaſſes, & abiectus
terrã, cum magno dulcedinis ſenſu
deuotis lachrymis, abeuntem ſecut
eſſes, & veſtigia ſacrorum eius pedu
lambiſſes.

5. CONSIDERA, quomodo pol
ingreſſum D. Virginis in domum Za
chariæ, mox atq; vox ſalutationis eiu
perucnit ad aures Eliſabeth, ad ipſum
in-

infantulum viſceribus incluſum penetrarit, eumque ſanctificarit & compleverit Spiritu ſancto. Vnde Ioannes ad domini præſentiam, rationis vſu diuina virtute in eo accelerato, præ gaudio in vtero exultauit, quodque lingua & voce non poterat, id effecit motu, vel ſaltu corporis, atq; ſi tunc egredi ex vtero vellet, & obuiā ire aduenienti Chriſto. Perpende, vt exiſtens adhuc in vtero matris incipiat vaticinari, & cum exultatione annunciare aduentum Saluatoris, atq; è viſceribus maternis acclamare, & dicere. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi.* O Propheta altiſſimi. Bene apparet, quantum fuerit tibi deſiderium annunciandi aduentum Saluatoris, ante faciem eius eundi, & digito eum toti mundo demonſtrandi. Etenim necdum natus, incipis prædicare & nondum conſpecta luce, das teſtimonium de vera luce, & concluſus ac vinct⁹ adhuc in vtero, incipis currere & exercere officium præcurſoris. O ſi iam fuiſſes natus, & tuis oculis eum conſpicere, ac manib. attingere potuiſſes, quanto maior fuiſſet tua exultatio, quanto effuſiore lætitia abiiſſes ad eum recipiendum & adorandum? Ioan. 1.

6. IOANNES impletus Spiritu ſan-

ćto, impleuit & matrem, quæ, vbi di
na reuelatione cognouit eam, quæ
tabat, esse matrem Saluatoris mun
incredibili lætitia perfusa B. Virginio
currit, ruit in amplexus, & præ gaud
*Psal. 20.* exclamat, dicens: *Benedicta tu inter*
*Esai. 11.* *lieres, & benedictus fructus ventris*
qui tam copiosa benedictione suæ d
cedinis te prœuenit. Benedicta arbor,
nedictus fructus, benedicta virga de
dice Iesse, benedictus flos ex tali radi
productus. O quàm verè prædixit M
ria se beatam ab omnibus generation
bus dicendam, cùm Gabriel in perso
omnium angelorum, & Elisabetha
persona totius generis humani, ea
prædicent inter omnes mulieres ben
dictã & beatã. Et vnde ego merui, sub
iungit Elisabeth, *vt mater Domini m*
*veniat ad me?* atq; si dicat. ego potiu
vtpote serua & ancilla tua, debebã ve
re ad te. Sed humilitas tua, & Filius tu
impulerunt te; vt venires ad me, & ho
humili caritatis officio prœuenires.

7. O homo miser & peccator, erige
in pedes: ne despera; si tanta enim e
Mariæ humilitas & caritas, vt non de
dignetur se conferre ad inuisendam E
lisabeth tanto inferiorem, eique seru
endum: non dedignabitur quoque ve
nire

nire ad te ſolandum & iuuandum: nec veniet vacua: nam defert ſecum fructū ventris ſui Ieſum Saluatorem, & vitam noſtram. Beati, qui viſitantur à Maria. Beati, qui occurrunt venienti Mariæ, nam vti ſcriptum eſt. *Qui inuenerit eā, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Prou. 8.

8. CONSIDERA, quanto MARIA virgo, audito ab Eliſabeth laudū ſuarum præconio, rubore ſuffuſa fuerit, quomodo ſe deiecerit, quomodo bonum omne ſuum Domini bonitati & liberalitati attribuerit. Quàm intimè in corde ſuo exultarit, & pro tanto beneficio ſibi & toti mundo pręſtito gratias egerit. Deniq; quomodo cùm ignē diuinū in corde ſuo reconditū amplius coercere non poſſet, oculis in cęlū ſublatis, inſigni animi ſubmiſſione mirabile illud Canticum pronunciarit. *MAGNIFICAT anima mea Dominū.* quaſi diceret. O Eliſabeth tu quidem magnificas me propter bona, quæ cernis in me: at anima mea magnificat Dominū, à quo eſt omne bonū, mihi hactenus collatū. Similiter infantulus Ioannes ad meam præſentiā lætatur & exultat, at Spiritus meus exultat in Deo ſalutari meo. Vbi expende, quo ſenſu &

affectu mentis Sancta virgo huius Cantici verba, ad collaudandum Deum & extollendum, cui sciebat se tot nominibus supra omnes homines obstrictum protulerit. Quantopere exultarit Spiritus eius in Deo, quando videbat se tot cælestibus donis, tot mirabilibus priuilegijs dotatam & ornatam. Et denique quantas gratias, pro tantis, & tam eximijs beneficijs ab eo receptis, rependerit. O fœlix, ô beata Virgo, quid, queso, sentiebas in corde, cùm diceres *QVIA fecit mihi magna qui potens est?* Quæ erãt illa magna, quæ mirabilia; certè quę nobis inuestigare non licet, tantum admirari licet, & mente attonita considerare. Tu, in cuius anima & corpore tam magna Deus operatus est, indica quæso nobis, vt tecum vna possimus exultare & Deum collaudare.

9. Postremo considera quantis simul lætitijs incesserint duæ illæ beatæ Matres, quibus laudib. qua gratiarum actione Deum pro suæ conceptionis beneficio sint prosecutæ. O domum fœlicem, in qua vna vixerunt tales matres nempe Maria & Elisabeth, tali prole fecundę, IESV & Ioanne. O anima mea, vtinam comitari potuisses MARIAM per illos mõtes: vtinam licuisset oculis

vsur-

vsurpare suaues illos amplexus Virginis matris, & sterilis Elisabethæ, atque inaudire mutua officiosæ salutationis officia; non dubito, quin vna cum beatissima Virgine accinuisses sacrum Cãticum. *Magnificat anima mea Dominum.* Adiunge te, obsecro, anima mea; & si non corpore, saltem spiritu intermisce te tantis gaudijs; abijce te ad pedes nunc huius, nunc illius, & in vtero B. Mariæ, adora sponsum tuum; in ventre vero Elisabethæ venerare eiusdem sponsi amicum.

## COLLOQVIVM.

ORabis B. Virginem per amorem benedicti fructus vẽtris sui, & per caritatem, qua ad visendam cognatam suam Elisabeth, eique ministrandum, impulsa est, vt te spiritalis suæ visitationis dignetur facere participem, simulque exultationis Spiritus quam illa sensit, & in illo suo diuino Cantico declarauit: vt contemptis, eius exemplo, huius mundi vallibus, & conscenso monte Christianæ perfectionis, ipse quoq; vna cũ illa laudare & magnificare possis Dominum, ac exultare deinceps nõ in re aliqua huius sæculi, sed in solo Creatore & Saluatore tuo.

## DOCVMENTA.

1. B. VIRGO, quãtumuis ad summũ dignitatis culmen prouecta fuerit, vt esset Dei mater, tamẽ humiliauit se, & Elizabeth cognata multo se inferiori, instar ancilla, seruiuit; vt suo exemplo discerent omnes in sublimi dignitatis gradu constituti, hoc se rem magis dignã honore & laude facere, quo amplius se demittũt, ad necessitates subditorũ subleuãdas, cõuenienter illi dicto sapiẽtis. Quãto magnus es, humilia te in omnibus.

2. Primũ Christus visitauit infantulũ Ioannẽ; qua visitatione ille exultauit in vtero, & est sanctificatus; vt intelligamus, nihil boni à nobis effici posse; nisi Dominus sua visitationis gratia nos praeueniat. Si verò ab eo praeueti, in eius laudib. prædicandis exultemꝰ, & sua gratia cooperemur, vna cum Ioanne iusti & sancti efficiemur.

3. Si Elisabeth spiritu sancto plena, propter ingressum Dei matris in domũ suã, dixit. Vnde hoc mihi meritum? Nos qui pleni sumus peccatis, quid dicemus vel agemus, quando idem Filius Dei dignatur ingredi Sacramentaliter domum spiritualem animæ nostræ? qua humilitate, quo honore, qua reuerentia, qua gratiarum actione, quibus denique operibus

exti-

excipere deberemus tantum hospitem?

4. B. Virgo, aduertens se laudari, beatãq; prædicari ab Elizabeth, dixit: Magnificat anima mea Dominum nimirũ, vt doceret nos, quando ob donũ aliquod diuinitus acceptũ, vel propter aliqua bona opera laudamur, non efferri gloria, nec placere nobis, sed omnem laudẽ trãsferre in auctorem Deum, à quo omnia bona & dona profluxerunt.

5. B. Virgo, cũ iret visitatum Elisabeth, iter cõfecit cum festinatione: at in domo cognata commorata est tres menses, vt exemplum daret fœminis omnibus, multum domi, parum in plateis harendi.

6. B. Virgo, mox, atq; verbum æternum in ipsam dilapsum est, se in viam dedit, celeriter progressa est, & montes superauit. Et nos, si bonorum operum exercitiũ defugiamus, si negligentes, si tardi simus in bono, si affixi maneamus rebus terrenis, & non mentem attollamus ad expetendas res cælestes, ad perfectionem virtutum; signum est, Deũ, gratiamq; eius nondum habere sedem in anima nostra.

7. Vt B. Virgo ob beneficia ab eo accepta Dominum magnificauit, sic & nos eum ob beneficia recepta magnificare debemus, idq; trifariam.

Primo, ea illi attribuendo, & ab eo profecta agnoscendo.

*Secundo, reddendo pro illis gratias debitas.*

*Tertio, eadem vsurpando ad Dei tum & gloriam.*

# QVOMODO DEVS REVELARIT IOSEPHO VIRGINITATEM B. VIRGINIS.

## MEDITATIO II EVANGELIVM.

*Mach.1.* CVM esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam cõuenirent, inuenta est in vtero habẽs de Spiritu S. Ioseph autẽ vir eius cũ esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eã. Hæc autẽ eo cogitãte, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariã cõiugẽ tuã; quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est, pa-

rie-

riet autē filium, & vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluū faciet populum suum à peccatis eorum.

## FIGVRÆ.

1. SVSANNA, cū veniſſet in ſuſpicionē criminis, & iniuſtè cōdemnata eſſet ad mortē à populo: ait ſcriptura, eam flentem ſuſpexiſſe in cælū eò quod cor eius haberet fiduciam in domino. Quare Deus ſuſcitauit Spiritū S. pueri iunioris Danielis, qui cū mirabili iudicio innocentiam Suſannæ declaraſſet, omnes benedixerunt Dominum, qui liberat ſperātes in ſe. Dan. 13.

2. IOSEPH Patriarchæ Deus in ſomnis multa reuelauit, & cū ſeruiret Domino Aegypti, tātam apud eū gratiam obtinuit, vt illi totius domus ſuæ adminiſtrationem committeret. Gen. 37. & 39.

## PROPHETIÆ.

1. MVLTÆ tribulationes iuſtorum, & de his omnibus liberabit eos Dominus. Pſal. 33.

2. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet, & educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem. Pſal. 36.

Psal. 54. 3. *Non dabit in æternum fluctuationem iusto.*

CONSIDERATIONES.

Punct. I. QVATVOR de causis diuina sapientia voluit virginem, è qua ipse erat nasciturus, desponsatam esse Iosepho. PRIMO, vt ex Genealogia sponsi, qui descendebat ex domo Dauid, intelligeretur, eiusdem stirpis esse Mariã; nemo enim poterat vxorem, nisi è sua tribu, accipere; atq; ita patefieret, Christum, vti à Prophetis erat prædictũ fuisse filium Dauid, de domo & familia Dauid.

Secundo, quia cùm non debuerit ante resurrectionem manifestari conceptionem Christi fuisse ex Spiritu sancto, noluit innocentissimam matrem suam interea in aliquod honoris vel vitæ discrimen venire. Qua in re demonstrauit, se plus amasse honorem matris quàm proprium. Maluit enim ipse haberi filius fabri, quàm matrẽ suam haberi malæ vitæ fœminam.

Tertio, vt partus filij Dei celaretur diabolo, qui si crederet eum natum nõ è Virgine, sed coniugata, & idcircò in suspicionem venire non posset, Christum non esse hominem purum, non etiam impediret Christi passionem, &

ge-

generis humani redemptionem.

Postremo, vt Ioseph & Marię, & vnigenito eius filio custodiæ atque adiumento esse posset, maximè in necessitatibus & periculis infantiæ. Qua in re Saluator noster nouum generi humano præstitit beneficium: vt quod non solùm abscinerit fœminam in matrē, sed etiam elegerit virum, qui ratione officij quod gessit communi hominū opinione haberetur & vocaretur eius Pater. Vbi cōsiderare potes, quanti meriti fuerit glorioſus Patriarcha. nam cū Deus eum elegerit in sacratissimæ matris suæ Sponsum, vt eam, qua digna erat, puritate & reuerentia tractare posset, non dubium est, eum castitate & integritate quadam angelica fuisse ornatum. Et rursum, cum DEVS eum elegerit in nutritium & patrem putatiuum, vnigeniti sui filij, vero simile est, eum præ alijs hominibus pietate & sanctitate fuisse singulari.

2. CVM B. Virgo tota hilaris & læta ab Elisabeth in suam domum Nazareth reuertisset, mox Ioseph animaduertit eam esse grauidam. Vbi cogitare potes, cum adhuc ignarus fuerit mysterij, quantum doloris vulnus in corde acceperit, quantam crucem sustinuerit,

maximè cum ipse esset summus amator castitatis, semperque virginem ob rarā eius sanctitatem summo loco & reuerentia habuerit. Cùm itaque apertè cognosceret eam concepisse & vterum gestare, stabat attonitus & pudore suffusus, à consilio & auxilio omni desertus. Concutiebatur ex vna parte animus boni & sancti Patriarchæ, ob rationes aliquas quæ vltrò occurrebant, magno metu & suspicione; ex alia verò, memor sanctissimorum morum virginis, & spiritus diuini, qui in omnibus eius actionibus se exeruerat, ab hoc affectu omnino reuocabatur. Vnde, abiecta omni siniſtra suspicione, potiùs sibi persuasit, eam diuina virtute, nouo quodam modo concipere potuisse, sed tamen suspenso de tota re iudicio, totus remanebat mœstus & afflictus. Tandem dubitans, vtrū potius expediret, retinere ita suspectam, quod lex vetare videbatur, an manifestare, quod lex permittebat, & accusare, ac proinde in discrimen nominis & vitæ eam vocare, qua re grauiter poterat Deum offendere, cōclusit, viam potiùs mediā, quàm suadebat pietas, tenere, hoc est, neque eam retinere, neque manifestare, sed secreto, dimittere, atque ita maluit ipse o-

pse omnem in se pænam trãsferre, exulare è patrio solo, & peregrinari permundum, quàm B. Virginiinfamiam, aliudùe damnum procreare.

3. CONSIDERA eximiam pietatem huius Sancti, qui licet manifestis argumentis didicisset grauidam esse sponsam suam, tamen nihil mali de ea suspicatus est, non ei succensuit, non questus apud cognatos, non detulit eius nomẽ ad iudices, sed dolorem omnem & cruciatum, quo angebatur, retinuit pectori incluſum, tantumque in cogitationum suarum secreto, quid facto opus esset, deliberauit.

4. Verum, quamobrem, ô dulcis IESV, matrem tuam eiusq; dilectũ sponsum in hanc afflictionem incedere permisisti? Quare assumpturus carnẽ nostram, tam sublimis mysterij arcanum manifestare voluisti B. Virgini, Ioseph autem hominem iustum, & à te in sponsum eius & custodem electum id totum cælauisti, & ancipitem consilij in tantum animi mærorem incidere permisisti? Sed feciſti illud diuino & recondito consilio. Primo, vt vtrique occasionem dares maioris coronæ, dum probant fructus eius crucis, quam inde à momento conceptionis tuæ por-

portare cæpisti. Secundo, quia congruens fuit, priùs MARIÆ, quam Iosepho hoc mysterium patefieri; nam vti initium datum est exitio humani generis, quando prima mulier verbis serpentis præstitit fidem, ita tu facturus initium nostræ reparationis, conueniēs fuit, vt primum hoc mysterium B. Virgini proponeres; vt sicut consensus Euæ, maledictionis, sic consensus MARIÆ esset causa & origo æternæ benedictionis.

*Iob. 7.*

Tertio, quia de te scriptum est, quod seruos tuos diluculo visites; & subito probes illos: postquam visitasti matrē cum gaudio singulari diuini cōceptus, mox quoque voluisti eius fidem & constantiam, perturbatione & suspicione sponsi probare: & similiter postquam seruo tuo Ioseph tantam gratiam dedisses, vt esset sanctissimæ matris tuæ sponsus, voluisti etiam eius iustitiā & caritatem probare. Vera enim iustitia cognoscitur, quando adiunctam habet compassionem. Vera quoq; caritas, nō seipsam quærit; nec commodi loco habet quod in aliorum vergit iacturam. Denique magno consilio Deus hanc dubitationem Iosephi permisit, vt dum post dubitationem certissimus reddi-

tur

tur de virginea suæ sponsæ integritate, omnem à nobis remoueret de hac veritate dubitationem.

5. O bone Ioseph, quis est hic timor tuus? quæ tua suspicio? O si scires, quænam sit illa, de cuius castitate dubitas; cùm sit angelorum Regina, ipsis astris angelisque purior; & item quis sit ille, quem in vtero suo concepit, nempe Saluator ab origine mundi promissus, & ab omnibus gentibus desideratus & expectatus, si, inquam, id scires, quàm longè abesses à cogitatione eam dimittendi? imò reputares te omninò indignum, vt eam in sponsam haberes, & verò beatum prædicares si tibi fas esset eam videre, vel alloqui, vel humiliter eidem inseruire.

6. Ex altera parte perpende, quibus per hoc tempus cor B. Virginis cogitationibus fuerit iactatum, vt pote minime ignaræ, quanta in afflictione suus sponsus esset, quibusque perturbationibus animus eius diuexaretur. Hinc amor & misericordia eam impellebat, vt patefacta veritate animum eius dubitatione ancipitem recrearet, illinc incerta diuini beneplaciti, & aliena, vt erat humilima, à commemoratione suarũ laudũ, tandem maluit tacere, & donum

Dei

Dei occulere , vt haberetur vilis , & culpæ obnoxia, quàm loqui, vel agere aliquid, vnde aut cælesti Patri displiceret, aut honorem vel gloriam aliquam temporalem consequeretur . In hoc statu cùm esset B. Virgo, cogita, quoties intuebatur sponsum suum ita afflictum, capite demisso, vultu mæsto, oculis turbatis & lachrymosis incedentẽ, quoties inaudiebat eius gemitus, & suspiria, toties in pio eius corde renouatum dolorem: Vnde cum sciret eum hæc omnia pati sua causa , de aliena magis afflictione, quàm de vita sua & fama sollicita, more suo confugit ad Patrem misericordiarum, eique exposita sua afflictione & desiderio, totam rem commendauit, vt velut ipse autor erat totius huius mysterij, sic ipse quoque subministrare dignaretur remedium , & vtrique pristinam consolationis spiritualis dulcedinem restituere. Vbi potes considerare, quemadmodum B. Virgo voluntatem suam conformarit diuinæ voluntati, nam etsi ex vna parte, misericordia commota, Deo præsentaret sui afflicti sponsi vulnera; ex altera tamen, per obedientiã in manus diuinas se resignans, de nouo se Domino in ancillam offerebat , non solùm

sum vt eum in vterum suum reciperet, sed vt pateretur quicquid placeret suæ diuinæ voluntati.

7. Cùm ergo MARIA & Ioseph in hac afflictione essent, Dominus, qui non permittit suos æquo longius tentari, sed si aliquando mortificet, mox tamen eos rursus viuificat, etsi deducat ad inferos, mox tamen reducit; misit Angelum suum, qui in somnis apparens Iosepho dixit. *Noli timere accipere MARIAM coniugem tuã, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum, &c.* 1. Reg. 2.

8. Contemplare quanta & quã sublimia mysteria Angelus paucis his verbis sit complexus. Magna certè fuerunt mysteria, quę per quietem DEVS reuelauit primo Iosepho. Patriarchæ Iacob filio: at multo maiora fuerunt quæ reuelauit secundo Iosepho matris suæ sponso. Etenim illa erant tantum vmbræ & figuræ rerum futurarum, at hęc sunt ipsa veritas præsens; nam reuelauit iam adesse saluatorem tantopere ab omnibus gentibus desideratum, iam completas omnes diuinas promissiones, spem & desiderium veterum Patrum, voces prophetarum, & aduenisse Genes. 39. 40. 41.

nisse remedium omnium sæculorum. Reuelauit quoque salutem, ab hoc Saluatore expectatam, non esse carnalem, nec temporalem, sed spiritualem & æternam. Reuelauit & dignitatem atque excellentiam huius Saluatoris; conceptio enim eius fuit miraculosa, nempe ope Spiritus sancti, & ex Matre Virgine perfecta, atque ita etiam excellentiam & Sanctitatem ipsius Virginis patefecit. Itaque Ioseph momento vno mutatus, eam maxima reuerentia & honore prosequi cœpit, de qua ante varias in animo voluerat cogitationes.

9. O mutationem dextræ excelsi. Ioseph, vbi post Angelicam visionem euigilauit, visus est sibi etiam ex profundissimo mentis sopore euigilare, & velut ex tenebrarũ abysso venire in lucem clarissimam. Vnde perpẽde, quàm hoc magnifico & mirifico successu fuerit stupefactus & attonitus, quanta lætitia perfusa fuerit eius anima sancta, quantum iubilum cordis senserit, cum videret se non solùm ab omni timore & suspicione liberum, sed etiam, è paupere fabro lignario in tantam dignitatem euectum, vt electus esset in custodẽ sanctissimæ eius matris, & in vnigeniti filij eius gubernatorẽ, ac denique, supra omnes

mnes veteris legis Patriarchas, tantorũ mysteriorum ministrum & consortem. Quantas, quæso, gratias hoc temporis puncto pro tantis & tam eximijs Dei beneficijs rependebat? Certè verisimile est, eum ex summa animi tranquillitate gestientem, & abundantibus lacrymis perfusum, subitò accurrisse ad B. Virginem adhuc precibus vacantem, abiectumque ad eius pedes veniam eratorum suorũ postulasse, & reuelationem sibi ab Angelo factam exposuisse. 10. Ex altera parte B. Virgo mirificam Dei misericordiam obseruans, qua suæ innocentiæ patrocinata fuisset, quodq; sponsus suus amantissimus, cuius hactenus miserta fuerat, iam omni cura vacuus in summa esset consolatione, & rei domesticæ difficultates essent sublatæ: Considera, quo senex animi affectu fuerit, quid dixerit, quas laudes, quas grates Deo pro paterna eius prouidentia in omnes in se sperantes, retulerit. Iam hic quoque expendere potes, cùm tandem & B. Virgo sponso suo (quandoquidem Deus dignatus erat se illi reuelare) omnem conceptionis suæ ordinem & modum patefaceret, quanta accessio gaudij facta sit tum bono Ioseph ex commemoratione rerum mirabiliũ,

quàm

quam sponsa ei faciebat, tum B. Virgini, ex reuelatione facta Iosepho. Quantas ibi præ gaudio effuderunt lacrymas, quot benedictionibus, quot laudibus & præconijs venerati sunt ambo diuinam Maiestatem? & denique quàm ineffabili consolatione & incredibili mentis pace, sanctissimi, castissimique illi duo Sponsi, tunc à Deo affecti & dotati fuerunt?

## COLLOQVIVM.

ORABIS Deum Dominum nostrum, vt, cum scriptum sit, illum esse protectorem omnium sperantium in se, & adiutorem eorum qui sunt in tribulatione, tibi quoque in tuis afflictionibus, spiritualibusque periculis adesse dignetur consilio & auxilio; vt diuina eius gratia illuminatus & confortatus veram pœnitentiam pro tuis peccatis agere possis, & pristinam pacem ac tranquillitatem animi recuperare.

*Psal. 9.*
*Psalm. 30.*

## DOCVMENTA.

1. *B. Virgo cùm concepisset filium Dei, hoc secretũ sponso suo nõ patefecit. Vnde discimus, securiùs esse visiões diuinas, & cælestia dona occultare, quã manifestare: atque itẽ omnia quæ in nostrã*

*lau-*

laudẽ cedunt, vel existimationẽ apud homines cõciliãt, ab alijs potiùs, quàm à nobis ipsis prodenda secundũ consiliũ Sapiẽtis. Laudet te alienus, & non os tuum. Prou. 27.

2. B. Virgo, etsi sciret se gestatione vteri magnã causã suspicionis & mœroris daturam Ioseph, tamen innocentiæ suæ conscia, cõfisa Deo, qui remediũ suppeditare, famãq; tueri posset, conticuit; Sic nos, si aliquãdo iniquè infamemur, modo cõscientia non redarguat, neque turbari, neq; nimis anxij esse debemus; tantũ committamus totam rem Deo, omniũ in se confidẽtiũ patrono, qui, si iudicabit nobis expedire, non negliget innocentiam nostram patefacere toti mundo.

3. Ioseph etsi secundum legẽ potuerit accusare, & repudiare Virginẽ, postquã cognouit esse grauidam, tamen ad tuendũ ei⁹ honorẽ, maluit occultè dimittere. Vnde discimus, qua caritate prosequi debeamus proximum, etiam post lapsum; nempe non statim (quantumuis iustè forte possemus) eum diuulgare, & hominem infamare. Cũ enim hominis Christiani sit, non facere alteri, quod nobis factum nolimus, debemus, quoad possumus, omnium bonum nomen & famam tueri.

4. Ioseph cũ versaretur in cogitatione dimittẽdi spõsam, prius rẽ diu secũ expẽdit,

quàm

quã aliquid decerneret, & idcirco à De
veritatis manifestationem obtinuit; Si
nos in reb. dubijs & incertis, si velimus
Deo illuminari, non debemus esse, aut
iudicando temerarij, aut in deliberand
præcipites, sed studiosè prius perpende
quid facto opus sit.

5. Si Deus permisit matrẽ suam innoc
tissimam, eiusq; sponsum Ioseph homin
iustum tantopere affligi? non est, quod nos
peccatores conqueramur, si aliqua affli
ctione à Domino visitemur: scimꝰ enim
si imperfecti simus eam nobis prodesse ad
vitæ emendationẽ: si perfecti & iusti, ad
augmentum meriti & coronæ in cælo.

6. Angelus B. Virginẽ appellauit coniu
gem Ioseph: vnde sequitur, posse verũ esse
matrimonium inter duos nondũ secuta
copula, si ex communi vtriusq; consensu
castè viuant. Quale matrimonium hoc
Deo gratius est, & maioris meriti, quan
to similius est matrimonio Matris
eius & Christi cum sponsa
Ecclesia.

DE

# DE NATIVITATE CHRISTI D. NOSTRI.

## MEDITATIO IV.

### EVANGELIVM.

IN diebus illis exijt edictum à Cęsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino: & ibant omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilęa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatẽ Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eò quod esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum MARIA desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem cũ essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum *Luc. 2.*

primogenitum, & pannis eum
uoluit,& reclinauit eum in pr
pio,quia non erat ei locus in di
sorio.

FIGVRA.

Exod.2. MOYSES postquam natu
positus est in fiscella scirpe

PROPHETIÆ.

Agg.2. ADHVC vnum modicum est,&
go commouebo cælũ & terram,
veniet desideratus cunctis gentibus.

Mich.5. 2. Et tu Bethlehẽ Ephrata nequaqu
minima es in principib. Iuda: ex te e
exiet dux, qui regat populũ meum Isra

Esa.7. 3. Ecce virgo concipiet, & pariet filiu
& vocabitur nomen eius Emanuel.

Esa.66. 4. Antequam partu iret peperit, anteq
veniret partus eius, peperit masculum.

Esa 9. 5. Parvulus natus est nobis, & filius d
tus est nobis, & factus est pri... patu
per humerum eius.

Esa.1. 6. Cognouit bos possessorem suum, &
sinus præsepe Domini sui, Israhel aute
me non cognouit.

Esa 52. 7. Parauit Deus brachium sanctũ su
in oculis omnium gentium, & videbun
omnes fines terræ salutare Dei nostri.

8. Post

8. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Baruch. 3.

9. *Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum.* Esa. 62.

10. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Esa. 52.

11. *Stellæ dederunt lumen in custodijs suis & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt. Adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Bar. 3.

## CONSIDERATIONES.

IAM appropinquabat tempus, vt mundo appareret benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, & terra nostra germinaret & produceret fructum illum sublimem tam Deo gratũ, & ab omnibus retro sæculis tam diu expectatum & desideratũ. Præterea tempus aderat, vt verus ille Moyses secundum faciem obuelatus humanitatis nostræ velo, descendens ex præcelso monte, se populo demonstraret, & legem nouam, non iam præduris lapideis tabulis, sed teneris hominum cordibus insculptam in lucem proferret: cum ecce B. Virgo, partim ardens conspicere Filium Dei incarnatum, partim exultans imminere tempus

Punct. 1. Tit. 3. Esa. 3. Exo 34.

natiuitatis eius, cogitur exire domo, magno suo incommodo conferre se Bethlehem, vt secundum edictum AVGVSTI inscriberetur. V considera primo eius obedientiam humilitatem, quod Mater existens R gis cælorum, non dedignetur cum t to suo periculo obedire Regi terren Deinde considera patientiam eius perferendis itineris laboribus, alijsqu afflictionibus multis; erat enim tem pus præfrigidum & asperum, via lon ga & difficilis, comites inopes & rebu necessarijs destituti, ipsa Virgo tene & iam partui vicina. Insiste tu quo que ô anima mea vestigijs horum San ctorum peregrinorum, sequere eos æ quis passibus, & perpende qua ratione hoc iter conficiant, nimirum, nunc loquendo de Deo, nunc loquendo cum Deo, aliquando suauiter & familiariter conuersando, sic vt vicissitudine exercitiorum nimiam fatigationem abstulerint, & itineris asperitatem mitigarint.

2. CONSIDERA. quomodo B. Virgo, eiusque sponsus Ioseph us, sub vesperum ingressi ciuitatē Bethlehem, etsi maximè opus haberent post tantos itineris labores quiete, non inuenerint

locum

locum in diuersorio. Vbi perpende, quanta Sanctus ille Ioseph sollicitudine & diligentia singulas obeat domus, vt locum inueniat, quantoq; dolore & angore percellatur, dum ne quidē pro dilecta sua sponsa, pretiosóque deposito à Deo ei commisso, locum inuenire potuit.

Erga B. Virginem quoque misericordia commoueâre, per tenebras noctis inter inhumanos istos homines errantem, totam defatigatam & verecundam, cumque à nemine tandem, ob paupertatem reciperentur, in locum publicum quasi semirutum stabulum, in quo locari solent bestiæ, coactos diuertere. O anima mea, quomodo non commouentur viscera tua? cur non occurris huic pauperi Societati? huic matri benedictæ, quæ in vtero suo gestat Saluatorem, cumque videas eam ab omni officio pietatis desertam, coge eam benignè, vt saltem in tui cordis hospitium ingredi velit. Nam minimè abhorrebit ingredi ad te ille, qui propter te, in tantas se dimisit ærumnas. Quod si ex humilitate gaudeat hospitari in stabulo, inueniet quoque in te bestialium affectionum stabulum. Verum sicut ille stabulū, in quo natus est, con-

uertit in paradisum, sic in te ingressus, te faciet mundum, & sanctum suæ Maiestatis templum.

3. B. Virgo vile stabulum ingressa, vt erat diuina quadam sapientia prædita, mox aduertit, hunc esse paradisum, & delitiarum hortum, quem Deus præpararat secundo Adamo; & hanc humilem spelunca esse regium illud palatium ab æterna sapientia glorioſæ natiuitati suæ erectum. Deinde præsepe, esse lectulum illum floridum, à sponsa pro quiete dilecto suo constratum, & thronum regium, in quo verus Salomon sedere debebat, & ex illo mũdum docere veram sapientiam, & veram salutis viam, quæ est, humilitas ipsa & paupertas. Cùm ergò B. Virgo, partim stupore, & summa admiratione huius mysterij, partim incredibili gaudio & lætitia mentis, staret abrepta & absorpta in Deo, Ecce nouo & admirabili modo, ex purissimis vteri visceribus, quasi ex nobili thalamo, intemeratis virginitatis claustris sponsus cœlestis, ne ipsa quidem aduertẽte, subito egressus est.

*Prou. 9.*

*Cant. 1.*

*Psal. 18.*

4. O fœlix & beata Mater, quanto gaudio lætitiaq; spirituali tunc abundasti, quando vocibus, concentuq; angelorum

rum excitata oculis tuis iacentem aſpexiſti in terra, quàm firma fide credebas in ſinu patris quieſcentem in cęlis quãdo oculis corporeis in forma hominis tanta humilitate vidiſti præſentem illum, quem lumine Spiritus in forma Dei, in throno diuinitatis excelſo ſciebas collocatum. Dic mihi, quæſo, ô Mater ſancta, quod cor, quæ mens, quis animus tibi tunc fuerit? O quantum tũc anima tua Dominum magnificabat? quam exultabat Spiritus in Deo ſalutari ſuo? cũ videres completum, quicquid à cœleſti nuncio fuerat prænunciatum nempe iam natum eſſe illum altiſſimi filium, qui ſeſſurus erat in throno regio Dauid, & regnaturus in domo Iacob in æternũ. Verũ quid facies, ô pientiſſima Virgo? Ecce filius Dei, tener infantulus in nuda terra iacet, flens & tremens præ frigore, nec ſine periculo, ſi ita eum relinquás. Contra, tantáne tua eſt audacia, vt hunc virgineũ & diuinum fœtũ manibus tuis attingere non verearis? Audebíſne humilis virguncula mortalibus brachijs ferre & contrectare hoc pignus cęleſte, verbum æternum incarnatum, ad cuius præſentiam omnes cæleſtes virtutes contremiſcunt?

5. Magnum hîc certamen erat in

MARIÆ pectore, inter timorem re uerentialem, qua verebatur manibus suis attingere filium Dei, & amorem filialem, acriter stimulantem, vt omni resciſſa mora tanquam proprium filium in sua brachia eum reclinaret; ad id enim ab æterno Patre se sciebat electam. Tandem vicit amor, & misericordia: nec potuit flentem infantulum diutius contueri, quin ipsa quoque diffluereret lachrymis, sed dulciſſimis cum incredibili lætitia sponte manantibus. Collegit ergò virgineis manibus suis pretiosum & incomparabilem istum cælestium diuitiarum thesaurum. Vbi perpende quanta significatione amoris, materna omnia officia erga eum exercuerit, panniculis inuoluendo, pectori suo admouendo, puriſſimo lacte nutriendo, & humiliter in corde suo eum adorando.

6. At dic mihi, Virgo benedicta, quo loco reposuisti tam dulcem & amabilem filium? vbi vnigenitus filius Dei per natiuitatem temporalem factus homo primam in mundo sedem habuit? O quàm mollis, quàm odoratus quàm floridus esse debebat lectus, in quo requieſcere debebat tantus Rex & Dominus, quàm pretiosæ cunæ, in quibus locanda

canda tam nobilis & illustris proles, quanto auro fulgere, quàm præstantibus aulæis vestiri debebat locus ille, in quo natalitia tanti Principis erant celebranda. Tu virgo sancta, quæ præsens his omnibus adfuisti, fatere nobis: quo loco reposueris dilectum tuum supra omnes dilectos, & electũ ex millibus? Heu non in lecto molli, non inter tenueras plumas, non in nobilibus cunis, sed in vili, duro & frigido brutorum animantium præsepi, in loco vili & abiecto, in immundo & fœtente stabulo. Ad id impulit te necessitas & paupertas nostra, ad hanc demissionem traxit filium Dei arrogantiæ nostræ magnitudo. Hic æterna sapientia aduentus sui in mundum primum voluit esse diuersorium. *Cant 5.*

7. Verum quid sibi vult, ô suauissime Domine, cùm tu sis sapiens ille puerulus, de quo Propheta dixit, quod sciat reprobare malum, & eligere bonũ, cui seruiunt dies & tempora, quo auctore consistunt omnia in cęlo & terra, quod veniens in mundum elegeris deteriora & molestiora, vt nasci in tanta inopia, tempore tam incommodo, loco tam vili, & quidẽ nocte obscurissima? non certè alia de causa, quàm vt pude- *Esa. 7. Matt. 1.*

Esa. 7. 1. Cor. 1. faceres sapientiam sapientum, & reprobares prudentiam prudentum huius sæculi, & intelligerent non esse vera bona, quæ mundus admiratur, & suis suadet sectatorib. sed quæ tu elegisti, tuoq; exemplo suasisti, nempe, paupertatem, perpessionem afflictionum, sui, omniumq; rerum despicientiam.

8. O cæci & stulti Adæ filij, quibus natura indidit tantum sciendi desiderium, venite & præbete aures huic Doctori cælesti, Magistro gentium, & audite admirabilem prælectionem, quam ex hoc præsepio, tanquam è magistrali cathedra hodie facit, & vobis tradit, notate eum, qui nondum nouit linguam formare in verba, iam nunc exemplo vobis prædicantem. Videte, quo pacto sua paupertate extrema confundat vestram auaritiam, dulcedine caritatis suæ inuidiam, & cordis vestri duritiam, puritate ortus Virginei refrenet vestram luxuriam, mansuetudine leniat iracundiam, parcitate victus & simplicitate accuset nostram gulam, Societate laboriosorum animalium redarguat acediam, & denique tenellorum suorum membrorum frigore & tremore damnet nostram mollitiem, & in perferen-

ferendis aduersis impatientiam. Malæ ergò sunt corporis voluptates & dilitię bona mortificatio, & carnis afflictio; nam hanc sapiens ille puer elegit, illam repudiauit. Fuge igitur ô homo voluptates, nam portæ voluptatis proxima est mors, pœnitentiam age, nam per illam patet aditus ad cælum. Id tibi prædicat hoc stabulum, hoc clamat præsepe, hoc membra infantilia, & lachrymæ infantuli IESV tibi euangelizant.

9. CONSIDERA mirabilem diuinæ Sapientiæ œconomiam; nam quia homo non agnoscens dignitatem suam, in qua à Deo conditus fuit, per peccatum similis factus est iumentis insipientibus, & idcircò eiectus paradiso in hunc mundum amandatus est, vt de cætero inter bestias ageret, earum que cibo victitaret: propterea Saluator in mundum aduenies, vt hominem pristinæ restitueret dignitati, quo alio in loco illum quærere debuit, quàm in stabulo? & cùm se voluerit illi dare in cibum, vt eum in semetipsum transformaret, & ad cœlum perduceret, nónne loco fœni collocare se debuit in præsepio animalium? Natus est ergò in Bethlehem, hoc est, in *Psal. 48.*

*Iob 38.* domo panis, panis ille viuus, qui de cæ
*Psal. 79.* lo descendit, vt det vitam mundo, &
*Dan. 3.* ille, qui in cælo est panis Angelorum
*Rom. 9.* descendens in terram, se fecit panem bestiarum. Contemplare nunc magni Deum, quem laudant astra matutina, qui sedet super Cherubin, & ambulat supra pennas ventorum, quomodo ab breuiatus, & reclinatus sit in præsepio
*Dan. 7.* super exiguo fœno. Ille, cui astant, &
*Psal. 45.* quem adorant mille millia Angelorũ, ille, cuius conspectus lætificat totam ciuitatem Dei, nunc iacet plorans, præfrigore contremiscens, & vilibus fasciolis inter duo animalia obuolutus. O Rex gloriæ, ô Speculum innocentiæ, tibine congruunt hæ lachrymæ, hoc frigus, hæc nuditas? Quid tibi cum præsepi, cuius regius thronus est cœlum, & scabellum pedum tuorum terra? cur factus es mutus, æternum verbum Patris? cur suspiras & ploras, Angelorum gaudium? Hoc tributum, nimirum, hæc pœna, debebatur sceleribus nostris; sed culpæ nostræ iniuria, & caritatis tuæ excellentia, te adegerũt, vt hæc omnia in tuos humeros deriuares.

10. CONSIDERA, quomodo hoc tẽporis pũcto, sancti Angeli, Cherubini & Se-

& Seraphini, cum vniuersa Hierarchia cælesti videntes Deum gloriæ, hominem factum recumbere in vili præsepio, quasi pudefacti se remanere in cælo. Creatore suo tanta humilitate abiecto in terra, omnes pariter alas suas demiserint, & de cælo descenderint ad eum adorandum, omniaque ministeria aulæ cælestis propria præstandum. Dixisses in Stabulo tunc esse ipsum cælum, & præsepe cælo fuisse magnificentius & augustius. Tunc angeli cæpe runt esse incolæ terræ, & homines contra esse ciues cæli.

11. SED ô beata Dei mater, quis fando exprimet, quæ sensa, qui motus animi, quæ extases mentis tuæ fuerint, cùm inter tot gaudia, tot angelorum choros, tantas amoris flammas ex dulci illo præsepi erumpentes, versarêre; cùm videres te præsentem astare ipsi DEO, sciresq; illum ipsum esse & Patrem tuum, & Sponsum, & filium? Si cæli, vt Propheta loquitur, distillauerunt manna ante faciem Dei, & montes dulcedine Saluatoris huius in terram descendentis liquefacti sunt, & colles lacte & melle fluxerunt; tu cùm videres Deum ipsum in forma infantuli è mammillis tuis pendentem, ma-

*Psalm. 67. Exod. 3.*

nus suas pretiosas, & pedes in paruo lectulo tendentem, diuinos suos ocellos in te conijcientem, risuque suo te mirificè recreantem, cum eum in brachia reciperes, fascijs inuolueres, virgineis labra ori melle dulciori imprimeres, totumque pectori tuo astringeres, quot tunc dulcedinis torrentes, suauitatis & consolationem spiritalium flumina redundarunt in amoroso corde tuo?

## COLLOQVIVM.

PRECABERE dulcem IESVM, vt sicut ipse gigni voluit ex humili ancilla, inuolui vilibus pannis, deponi in abiecto præsepi, ita dignetur nunc nouo caritatis ardore renasci in paupercula anima tua; vt velut ille amore tui factus est consors tuæ humanitatis, sic tu, per institutionem vitæ nouæ, imitando eius paupertatem & humilitatem, *merearis fieri particeps suæ diuinitatis.*

## DOCVMENTA.

1. IOSEPH *discedens è Galilæa quod interpretatur, volubilis, abijt in Iudæam quod, Confessio, in Bethlehem quod interpretatur, D... panis, vt inscriberetur in catalogum eorum qui erant*

rant de familia Dauid. Et nos si velimus, vt veri filij, & domestici cælestis Dauid scribi in libro vitæ, deseramus res volubiles & transitorias huius mundi, & facta vera cõfessione, expurgataq; ab omnibus sordibus conscientia, sæpe adeamus mensam panis viui, qui descendit de cælo, vt det vitam mundo.

2. SI B. Virgo cum tanto suo incõmodo, & afflictione domũ propriã deseruit, & abijt in Bethlehẽ, vt pareret edicto Principis terreni, quanto potiùs nobis omnia incõmoda, & labores perferẽdi sunt, vt pareamus mandatis diuinis. Ioan. 6.

3. Deus descendendo in terram pronatiuitate sua elegit exiguam vrbem Bethlehem, & pro ignominiosa morte sua regiã vrbem Hierosolymam, ad confusionẽ nostram: qui si quid dignum laude vel gloria agimus, id volumus mox publicari, & in totum mundum diuulgari. Defectus verò nostros, & si quid reprehensione dignum committimus id volumus celari, & si fieri posset, etiam intra viscera terræ recondi.

4. Si Religiosi, qui professionem faciunt imitãdi Christum, cõtemplarentur Filij Dei paupertatem vilibus fascijs illigati, in præsepi animalium depositi, paruo lacte pasti, nunquam grauiter ferrent

aue

aut lecti sui duritiem, vel mensæ parcitatem, vel vestimentorum vilitatem.

5. Filius Dei veniens in hunc mũdũ elegit in natiuitate sua pauperẽ domũ, pauperem lectum, pauperẽ matrẽ, res omnes pauperes. Si Iesus est Sapientia æterna, de qua dicit Propheta, quod sciuerit reprobare malũ, & eligere bonũ, certũ est, non esse vera bona, quæ homines huius sæculi bona existimãt; vt opes, honores delitias &c. Sed quæ elegit Christus, vt paupertatem, humilitatẽ, & malorũ tolerantiã.

6. Deus veniens in hunc mundũ, non inuenit locũ pro se, & ideo opus habuit, cum tanta sua molestia nasci in stabulo. Quare homines qui in hoc mundo volũt frui omnibus commodis, magnam habẽt dubitandi causã, qua parte fruituri sint in altero. Cõtrà, gaudere debẽt pauperes, & omnes humanis auxilijs destituti, nã tanto in cælo apparebunt gloriosiores cum Christo, quamto in terra fuerint illi similiores.

QVO.

# QVOMODO ANGELVS APPARVERIT PASTORIBVS.

## MEDITATIO V.

### EVANGELIVM.

PASTORES erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus, Nolite timere; ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subitò facta est *Luc. 2.*

est cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum & dicẽtium, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factũ est, vt discesserunt ab eis angeli in cælum, pastores loquebãtur ad inuicem: Transeamus vsque Bethlehẽ, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerũt MARIAM & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati sunt, de his quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos MARIA autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.

## PROPHETIÆ.

*Esa 9.* 1. *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.*

*Psal. 111.* 2 *Exortum est in tenebris lumen rectis corde.*

3. *Et addẽt mites in Domino latitiã, & pauperes homines in sancto Israhel exultabunt.*

CON-

## CONSIDERATIONES.

CONSIDERA, quomodo Angeli sancti cõspecto cum summo gaudio & adorato Domino suo, scientes eum venisse in mundum, & carnẽ assumpsisse, non solum ob gloriam Dei in cælo, sed etiam pro pace hominum in terra, imò præcipuè pro salute hominum, ex qua tanta in Deum gloria, & in homines tanta lætitia redundare debebat, accepta licentia à puerulo IESV celeriter accurrerunt, nõ ad Reges terræ, vel sapientes mundi, non ad eos qui recumbebant in stratis mollibus, & pacem suã in opibus & voluptatibus terrenis quæsiuerunt, sed ad pauperes & simplices pastores nocte super gregem suum vigilantes: His volunt Dominus annunciari suam natiuitatem, quia propter tales præcipuè à Deo missus erat, vt habet propheta *Pauperibus*, inquit, *euangelizare misit me*. Cum talib⁹ gaudet cõuersari æterna sapientia, vti scriptũ est. *Et cũ simplicibus sermocinatio eius*. Hi quoque ob vigilantiam præ alijs meriti, sunt participes esse huius noui nũcij; nã scriptũ est. *Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me*. Deniq; ad modũ cõueniens erat, vt Pastorib. (quo

*Punct. 1.*

*Esa. 61.*
*Luc. 4.*
*Prou. 3.*
*Prou. 8.*

ratio-

rationem pascendorum & instruendorum subditorum discerent) primum annunciaretur huius veri pastoris aduentus, qui relictis nonaginta nouem ouibus in cælesti illo deserto, ad hanc solam generis humani ouiculam longè aberrantem quærendam aduenerat, vt eam sermone vitæ pasceret, sanctæ conuersationis exemplo instrueret, & semetipsum ei in cibum offerret, vt transformata in ipsum, & membrum eius facta in ouile cæleste transferretur, vbi in montibus excelsis Israël, in pinguibus & vberrimis pascuis pasci, & æterna salute exsaturari posset. Ezec. 34.

2. CONSIDERA, fide dignum esse, sanctos hos Pastores, vt erant (quantum licet iudicare) pleni timore Dei, nec solum, vt alij omnes, expectarant Christi aduentum, sed speciali quodam lumine illustrati, & desiderio accensi erant, id temporis quodam quasi Solis radio iam orti præuentos, sermones inter se conseruisse de fælici aduentu, cùm splendorem è cælo erumpentem viderent, non solùm tenebras nocturnas discutientem, sed mentes quoq; eorum interius colluſtrantem. In illo autem conspexerunt Domini angelum candidissima veste indutum,

vultu

vultu splendido & læto, qui creditur fuisse archangelus Gabriel. Nam vt hic primus B. Virgini nunciauit conceptionem filij Dei, sic meruit esse primus, qui indicaret eius natiuitatem hominibus. Apparuit autem angelus cum splendore, vt significaretur, ortum esse verum solem, qui venerat ad illuminandos omnes sedentes in tenebris & vmbra mortis. Nusquam in diuinis Scripturis legitur Angelos antiquis Patribus cum luce & splendore apparuisse; nam hoc priuilegium reseruatum erat in aduentum Saluatoris, cuius tempore secundum prophetam exoriri debebat in tenebris lumen rectis. Nunc cogita quanto simplices illi pastores tum ex subita & diuina luce, tum ex insolita Angelorum visione, metu & stupore mentis fuerint perculsi. *Esa. 9.* *Psalm. 111.*

3. *Ecce*, dixit Angel⁹, *euangelizo vobis gaudiũ magnũ, quia natus est vobis hodie saluator*. magni profecto gaudij causa erat, non solum Pastoribus, verum & toti populo, immò toti mundo. hodie enim audiri cæpit, vox turturis, vox Euangelij, id est, boni nuncij, inde à mundi initio nunquam auditi, vox gaudij salutis & pacis. In veteri lege solebat

Deus

Deus ſolari populum ſuum, per vti
bras figurarum, promiſſionibus, ſpe
expectatione futurorum, & dicere pe
Prophetas. Veniet, naſcetur, ſaluabit
&c. at hodie non ſine immenſo fulgo
re, cæleſtis nuncij ore dicitur Paſto
bus. *Iã natus eſt Saluator*, & inuenietu
eum in præſepio. Bonus verè & nouu
nuncius; mundus enim in hanc vſqu
horam fuerat in tenebris, & luctu, ſed
hoc die, vti loquitur Propheta. *Populu
qui ſedebat in tenebris vidit lucem mag
nã.* Hodie ceſſant omnes cauſę merori
& lachrymarum; nam adeſt Natalis vi
tæ. Quare rectè hac nocte dixit Ange
lus. Hodie eſt natus, nam orto iuſtitiæ
ſole, nox cõuerſa eſt in diem, imò die
illuſtrior facta eſt. non enim ab hoc ſole
corporeo, ſed à diuino, qui in ea ortus
eſt, claritatem ſuam accepit.

*Eſa. 9.*

4. CONSIDERA, Angelum nõ di
cere tantũ eſſe natum, ſed, *natus eſt vo
bis* neque enim Saluator noſter eſt na
tus ſui cauſa, cum per natiuitatem nul
la ei perfectio acceſſerit, quam ante nõ
habuerit; multo minùs verò natus eſt
propter angelos; nam qui firmi per
ſtiterant in veritate, reparatione non
indigebant; qui verò lapſi erant, nõ e
rant redemptionis capaces. Itaque nõ

bis

bis & propter nos natus est Saluator, vti testatur quoque propheta. *PVER natus est nobis, & filius datus est nobis.* Esa 9. Quare magnam causam exultandi habemus; Magna quoque obligatio nostra erga æternum Patrem, qua tanti doni nomine ei deuincti sumus. Si enim agnoscimus nos tantoperè diuinæ eius Maiestati obstrictos, quod hũc mundum non propter Angelos, sed propter nos condiderit; quãto amplius obstricti erimus, quod nobis Vnigenitum suum filium dederit. Quod beneficium hoc longè excellentius est primo, quo maius & nobilius opus est, Deum fieri hominem pro nostra salute, quam conditum esse pro nobis hoc totum vniuersum.

2. CONSIDERA, quomodo Angelo, post annũciationẽ lætam factam Pastorib⁹, subito adiũxerit se ingens multitudo militiæ cælestis vna voce laudãtiũ Deũ, & dicentiũ: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominib. bonæ volũtatis.* Vbi perpẽde, quis sit ille, qui licet paruulus & abiectus, tanto honore afficitur, licet recumbens in præsepio, & humi, cõcentu angelico celebratur in cælis. Quid enim vilius, quid contemptius esse potest, quàm nasci in stabu-

ſtabulo, & locari in præſepio, bell
rum potius quã hominum loco? Co
tra quid ſublimius, quid glorioſius
ſe poteſt, quã in natali alicuius die te
ram clariſſimo lumine collucere, triu
phum agere cęlites, choros angelor
exultare, & decantandis diuinis laud
bus, harmonia vocum ſuauiſſima a
rem complere ? Verum ſi expenda
quantæ dignitatis & Maieſtatis ſit pe
ſona huius infantuli, nempe filius a
tiſſimi, facilè intelliges, eum dignu
omni veneratione & gloria, de qua

*Ioan. 1.* gebat B. Ioannes, cùm diceret. *Vidim
gloriã eius, gloriam quaſi vnigeniti à P
tre.* Si verò conſideres, qua de cauſa
hunc mundum venerit, nimirum pro
pter inobedientiam & ſuperbiam no
ſtram, facilè cognoſces, congruentem
ei fuiſſe abiectionem & humilitatem,

*Iſa. 53.* de qua loquebatur Propheta, cùm di
xit. *Vidimus eum deſpectum & humilia
tum, virum dolorum, & ſcientem infir
mitatem.*

6. *ET pax in terra hominibus bonæ vo
luntatis.* Rectè id dixerũt angeli, natus

*Eph. 2.* enim erat is, qui eſt pax noſtra, qui per
crucem, vt loquitur Apoſtolus, inter
ficiens inimicitias in ſeipſo, reconci
liauit nos Deo; & veniens euangeliza-

uit

uit pacem tam ijs qui longè fuerant, quàm qui prope. O quantum amasti nos ô bone & dulcis IESV: nam cùm nos primi simus, qui rebelles in te arma conuertimus, & summa affecimus iniuria, nec iure aliud quàm vindictam de cœlo expectare poteramus, tamen per Angelum iussisti nobis annunciari pacem, imò tu ipse aduenisti, & quasi supplex ad nostros pedes obtulisti non modo pacem, verum etiam teipsum ad luendam pœnam & cruciatus, quę nostris criminibus in te commissis debebantur Caritas certè inaudita, & amor incredibilis.

7. CONSIDERA, quo pacto post hæc angeli cantando, & iubilando reuerterint in cœlum, totamque Hierusalem cœlestem, exposito suis ciuibus fælici nuncio cõplerint ineffabili gaudio, excitarintq; ad decantandas æterno Patri pro tanto beneficio infinitas laudes & gratias. Deinde considera, quanta lætitia & consolatione sancti illi Pastores perfusi fuerint; nam subitò desertis gregibus, ac si nato Saluatore non amplius opus haberent custodia, acceleraruntiter in Bethlehem, ad eum videndum & adorandum. Inuento autem ab illis cœlesti hoc infantulo,

cogita, quantæ voluptati fuerit pau
ribus Pastoribus oculis cernere De
Maiestatis in carne, tangere manib
congratulari illi, & omnia officia &
titiæ signa illi exhibere : ex alia v
parte videre sapientiam illam æ
Esa. 40. nam, quæ condidit & gubernat orb
terrarum, magnum Deum, qui ton
mundum vno complectitur palmo
cere in forma paruuli pueruli, se ob
ctantis simplicium illorum homin
consuetudine, & lætitia vultus, om
busque gestibus, cum sermone no
dum posset, quantum eorum p
sentia recrearetur, demonstrantis
fælices pastores, quibus fas fuit vide
quod tot Reges & Prophetæ desid
runt videre, & non potuerunt. O be
tos, quod oculos vestros non offe
dit, neque loci vilitas, neque ma
paupertas, nec à pio proposito reuoc
uit tanta Saluatoris submissio & hum
litas.

8. CONSIDERA, quid sanctæ
Mater in hoc tam nouo, & tam adm
rabili spectaculo egerit, vel dixerit
quanta intelligentiæ luce, quo sensi
interno, animam illam gratia, omni
busque diuinis donis circumfluentem
Spiritus sanctus cumularit: qua hilari-

tate

tate & voluptate exilierit cor eius, dum auribus hauriret cœlestem angelorum melodiam, dum oculis vsurparet tantam filij sui gloriam, dum miranda illa, quæ à Pastoribus narrabantur, intelligeret. Certè non dubito, si verbum incarnatum Vnigenitus filius eius non adfuisset præsens, animam eius sanctã nimia dulcedine liquefactam, & à corporis vinculis solutam vnà cum Angelorum choris euolaturam fuisse in cælum.

9. Age ergò anima mea, quandoquidem aduertis tantam esse Domini tui humilitatem, vt neque animalium societate indignum se æstimet, neque visitatione inopum pastorum, adiunge te illis, & genibus humi positis humiliter cum illis adora tuum redemptorẽ. Deinde reuerentiam exhibe Virgini eius Matri, & simul salutem imperti sancto seni Iosepho. Hinc deuotè exosculare infantuli IESV in præsepio iacentis pedes, eiusque Matrem obsecra, vt tibi eum porrigere velit, aut saltem permittere, vt eum brachijs complecti possis. Quod si tibi fortè fuerit ex singulari gratia concessum, tene illum & constringe, nec eum dimitte, quia vita tua est, salus tua, & omne

bonum tuum. Neque diffidas te pos
eum obtinere, etiam si agnoscas te pe
catorem & indignum; ille enim pr
pter peccatores in mundum venit,
eum peccatoribus humiliter conuer
tus est, pro ijsdem voluit mori, & d
nique ijsdem seipsum in cibum reli
quere.

## COLLOQVIVM.

ORABIS verbum incarnatum, v
quoniam congruenter illi dic
Prophetæ *humilia respicit, & alta à l*
*gè cognoscit*, manifestare voluit natiu
tatem suam humilibus Pastoribus, co
rumque pectora tanta complere lætit
tibi largiatur gratiam, vt imitando co
rum in tui custodia vigilantiam, &
bonis operibus simplicitatem, à Dom
no spiritaliter visitari, & cælestibus co
solationibus affluere merearis.

Psal. 137.

## DOCVMENTA.

1. CHRISTVS *mysterium natiuita*
*tis suæ patefecit Pastorib. mitten*
*eis angelum, & cæleſti eos splendore illu*
*strans. Deus voluntatẽ suã, doctrinamq;*
*cælestem imprimis communicat Pastor*
*bus, & Ecclesiæ præsidibus, eosq; amplio*
*ri lumine donat, & studiosius eis adsistit*
*ad dirigendos ipsos & alios. Et ideò sub-*

*diti*

*diti non suo arbitrio, sed eorum nutu, & iudicio regendos se tradere debent, quos Deus eis dedit Pastores: scientes quo longiùs ab eorum obedientia recesserint, hoc longiùs quoque à salutis via, ipsoq; Deo recessuros.*

2. *Christus natus, summus Pastor se manifestauit Pastoribus vigilantib. in gregem, vt indicaret, cuiusmodi vellet esse sua Ecclesia Pastores, humiles videlicet & vigilantes.*

3. *Pastores vigilias agebant noctu, ne grex inuaderetur à feris id temporis maximè in prædam effusis: sic Pastores animarum, etsi quouis tempore vigilias agere debeant, studiosiùs tamen per noctis tenebras, hoc est, quando subditis aliqua desolatio, tentatio, vel salutis discrimen impendet, ne à lupo infernali deuorentur.*

4. *Pastores dixerunt.* Transeamus in Bethlehem, & videamus verbū quod factum est. *Et nos exemplo Pastorum horum studeamus transire à vitijs ad virtutes, & de virtute in virtutem proficere, vt in illa cælesti Bethlehem, ciuitate panis, de quo scriptū est.* Beatus qui man ducauerit panem in regno cælorū, *mereamur intueri verbum incarnatum, non iam in præsepio plorans, sed in sinu* *Luc. 20.*

*Patris in æternum regnans.*

5. Et inuenerunt infantem positum in præsepio. *Illi inueniãt Christum, qui velut hi Pastores sunt similes ipsi, id est qui suæ infantiæ simplicitatem, fasciarum paupertatem, & Præsepij vilitatem imitantur.*

6. *Pastoribus vigilantibus apparuit Angelus, eosq; diuina lux circumfulsit, vt significaretur, illos dignos esse mysteriorum diuinorum notitia, & illustratione mentis, qui cum sollicitudine aduigilant gregi fidelis populi sibi commisso; Vnde quãdiu, magna pietate & studio saluti eius procuranda dant operam, abundantiq; diuina gratia luce Dominus eos collustrat.*

7. *Angelus signum dedit Pastoribus, quod inuenirent infantulum panniis inuolutum, & positum in præsepio; vt notamus, quæ conditiones eorum sint, à quib. Christus se sinit inueniri. Prima, vt sint simplices & puri, significati per eius infantiam. Secunda, vt pauperes, quod significatur per pannos viles, quibus est obuolutus. Tertia, vt humiles & contempti, quod significatum est per Præsepe, in quo ipse decumbebat.*

DI

# DE CIRCVNCISIONE CHRISTI.

## MEDITATIO VI.

### EVANGELIVM.

POST QVAM consummati sunt dies octo, vt circũcideretur puer, vocatũ est nomen eius IESVS, quod vocatum est ab angelo, prius quàm conciperetur. *Luc. 2.*

### FIGVRAE.

1. ISAAC *filius Abrahæ vnigenitus circunciſus fuit octauo die poſt ſuam natiuitatem.* *Gen. 21.*

2. IOSEPH *Patriarchæ impoſitum eſt nomen à rege Pharaone. nam lingua AEgyptiaca eum vocauit, Saluatorem mundi.* *Gen. 41.*

## PROPHETIÆ.

Esa.30. 1. ECCE nomen Domini venit de l
ginquo.

2. Et vocabitur tibi nomen nouũ, qu
os Domini nominauit.

Esa.7. 3. Voca nomen eius, Accelera, Spolia
trahe, Festina prædari.

Abac 3. 4. Ego autem in Domino gaudebo, &
exultabo in Deo Iesu meo.

Zac 39. 5. Nomen sanctum meum notum faci
in medio populi mei Israël.

Esa 52. 6. Propter hoc sciet populus meus nom
meum in die illa.

## CONSIDERATIONES.

Punct.I. CONSIDERA obedientissimum Dei filium post præstitam obedientiam æterno Patri in Incarnatione, hodie in Circunciſione ſua per eandem obediẽtiam etiam ſubijcere ſe Legi, idque conuenienter, nempè, vt ſicut primus Adam in primo ſuo ingreſſu in mundum per obedientiam cauſam dedit generis humano exitio, ſic ſecundus Adam primo ſuo ingreſſu per obedientiam initium daret liberationi. Vbi quoque immenſa ſe prodit eius caritas: neque enim pro ingenti amore, quo ferebatur in nos, potuit expecta-

re in

re in ætatem perfectam, sed mox atque natus & productus in lucem est, spargendarum lachrymarum, & cruentandæ carnis, experiundique doloroſi cultelli voluit principium facere. O Sponſe ſanguinis, cur ita caritate inebriatus es verſus peccatores, vt etiam in teipſum ſine miſericordia ſæuias? vt in tenera iſta ætate ita crudeliter innoxiam carnem dilaceres? O Sol iuſtitiæ, qui inſtar ſolis iſtius naturalis, (qui dum in ortu rubet ſignum eſt futuræ pluuiæ; dum verò in occaſu rubet inditium eſt ſequuturæ ſerenitatis) tam in ortu, quàm in occaſu rubere voluiſti. In ortu, vel natiuitate, in ſignum pluuiæ ſanguineæ in ligno crucis futuræ. In occaſu verò vel morte, in ſignum ſequuturæ ſerenitatis, quando deſtructo & abſorpto mortis noſtræ aculeo, glorioſa reſurrectione tua ſerenam pacem, & vitam tranquillam reſtituiſti.

2. DECLARAVIT quoque Saluator in hoc myſterio profundam ſuam humilitatem, quam voluit maximè eminere in vitæ exordio, ceu radicem, & omnium virutum fundamentum. Apparuit eius humilitas in Incarnatione, eò quod exiſtens in for-

ma Dei, acceperit formam serui, mino
omnibus angelis factus; at multò ma
gis apparuit in circunciſione, in qua
minor hominibus factus eſt, eò quo
non ſolùm hominis, ſed etiam homi
nis peccatoris formam aſſumpſit. Qu
enim humilitas maior eſſe potui
quàm formam peccatoris aſſumi a
illo, qui erat omnium peccatorum re
medium? videri culpæ obnoxium, qui
erat omnis puritatis & innocentiæ ſpe
culum? agnus Dei immaculatus? qui
nulla egebat circunciſione, velle circun
cidi? qui nullum vel ſignum vulneris
habebat, velle obligari faſcijs mor
vulneratorum. Vide quouſque deſcen
derit, ſeque demiſerit ſumma altitudo,
nam cùm fieri non poſſet, vt Deus deſ
cenderet vſque ad aſſumptionem pec
cati, tamen in deſcenſu tam prope ab
fuit, vt cùm peccator eſſe non poſſet,
aſſumpſerit tamen imaginem & ſimi
litudinem peccatoris. Non ſic agit hu
manæ ſuperbiæ peruerſitas; nos enim
potiùs gloriamur in vulneribus, &
in remedijs adhibendis erubeſcimus.
*Ioan. 8.* Saluator noſter, quem nemo argue
re poterat de peccato, nulla impul
ſus neceſſitate vſurpare voluit reme

dium

dium tam acerbum & probrosum, nos verò, qui quotidiè peccamus, remedium pœnitentiæ nobis probrosum putamus.

3. VERVM si Saluator noster erat Emanuel ille, de quo dixit Prophe- *Esa.7.* ta, quod deberet comedere butyrum & *Matt.1.* mel, hoc est, scire eligere bonum, & reprobare malum, ab Ape colligere mel, & aculeum relinquere, ex lacte accipere butyrum, & relinquere caseum: & ideò factus homo, in hunc modum secreuit naturam à culpa, sic vt assumendo carnem nostram, per quam erat verus homo, non contraxerit culpam & peccatum ipsius naturæ; cur ergò peccati expers assumere voluit cauterium vel remedium peccati? Prima causa eius rei fuit, quam annotat Apostolus, ad confirmandas pro *Rom.1.* missiones à Deo priscis Patribus de Saluatore ex eorum semine nascituro, factas. *Gen.12.* Vt itaque constaret Christum esse ex semine Abrahæ, omnisque dubitandi ansa Iudæorum animis eximeretur, necesse fuit eum circuncidi. Secundò, vt legem veterem, & mandatum circuncisionis à DEO latum approbaret, declarando legem esse

sanctam & bonam, seque non ad destruendam, sed adimplendam legem veniſſe, quod effecit parendo legis præceptis. Tertio, vt ſuſcepto in ſe legis onere, alios iugo ſeruitutis intolerabilis *Gal. 5.* vt loquitur Apoſtolus, liberaret; atque ita in ſeipſo legi veteri timoris, & circuncisioni carnali finem imponeret, initium daret legi nouæ, & circuncisioni ſpirituali. Quarto, quia; cum veniſſet ad procurandam mundi ſalutem, natus mundo mox initium exequendi officij Saluatoris, hoc actu, quod ſine profuſione ſanguinis fieri non poterat, facere voluit. Quare hodie incipiens ſanguinem effundere, quaſi veteris debiti arrham dat, ſecundum quam poſtea pleniſſimè in ſua paſſione pro nobis ſit ſatisfacturus.

4. VERVM bone IESV quid feſtinas? cur tam citò ſanguinem tuum profundis? cur non expectas, donec labentibus annis & plus ſanguinis tibi ſuppetat ad offerendum, & vires firmiores ad tolerandos noſtri cauſa labores? quare tam cito delegiſti tibi tam durum præſepium? vile ſtabulum, triſte vulnus, Herodis odium, fugam Ægyptiam, & exilium in gente

tam

tam peregrina & barbara? Quàm bene in te conueniunt verba illa Prophetæ, *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea*, imò rectiùs dicere poteras, ab infantia mea. Verum huius non alia causa fuit, quàm amor immensus, imò impatiens salutis nostræ, dum nesciuisti expectare, nec in offerendo cunctari, sed primo quoque tempore cæpisti procurare salutem nostram. *Psal. 90.*

5. CVM vero pia IESV mater videret oculis suis in circunciſione sauciari & cruentari innoxiam filij sui carnem, sciretque guttulas illas sanguinis typum esse sanguinis aliquãdo copiosissimè effundendi in Mõte Caluariæ, exiguamq; lanam, quam quasi arrham mansueto agno adimebant, argumentum esse eius paucis post annis impiorum manibus toto corpore tondendi & excoriandi: Cogita, quanto dolore, quanto cruciatu obruatur maternum eius pectus; neque enim dubium est, quin tum propter hæc, tum propter cõspectas lacrymas, auditosque gemitus filij, non potuerit se ab vberrimo fletu continere. Plorabat autem Saluator, nõ tam propter dolorem tenellæ carnis, quam propter doloris causſam, hoc est,

propter noſtra peccata. Et conijciet flebiles ocellos ſuos in dilectam matrem, tum vt indicaret ei doloris ſui acerbitatem, tum vt ex ſuaui eius aſpectu caperet aliquod ſolatium, tamen cum aduerteret & illam perfudi lachrymis, ſuumque dolorem, ei dolorem procreare, miſericordia motus, oculos ſuos reflexit retro. O dulcis IESV ante octo dies vidi te in præſepi tremẽtem & plorantem, & hodie video ſanguinem pro mea ſalute profundentem. O quomodo de die in diem ſemper augeſcit caritas tua, & patiendi deſiderium? quomodo quotidiè tibi pluris conſtat anima mea? Hæne primitię ſunt, quas tibi offert terra noſtra? Hiccine fructus quem expectaſti ex tua Vinea electa, quæ non dulces vuas, ſed acerbas labruſcas, ſpinas aculeatas, & vuam fellis amariſſimi protulit? *Eſa. 5.*

6. *CIRCVNCISVS eſt puer, & vocatum eſt nomen eius IESVS.* Magnum myſterium, mirabilis connexio; circuncidi, quaſi ſalute indigeat, & vocari Saluatorem. Si enim ſalute indiget, quomodo poteſt eſſe Saluator? vel ſi Saluator eſt, quomodo indiget ſalute? Nam Saluatoris eſt potius circũcidere

alios

alios, quã vt ipse circũcidatur. Vbi considera, quomodo CHRISTVS cùm venerit, tanquam Mediator noster ad veniendum hominem cum Deo, & Deum cum homine, cœperit inde à Natiuitatis suæ exordio coniungere ima summis, humana diuinis. Vnde natus ita Matri suæ dedit fructum fœcunditatis, vt simul conseruârit florem virginitatis, ita fuit obuolutus pannis vilibus, vt simul fuerit concentu Angelico honoratus, ita delituit in præsepio, vt tamen splendore stellæ fuerit manifestatus in cælo. *Math. 2.*

Circuncisio fuit signum veritatis carnis ab eo assumptæ, sed nomen, quod est supra omne nomen, fuit argumentum Diuinæ Maiestatis & gloriæ. Circuncisus fuit, vt verus filius Abrahæ, at vocatus est IESVS vt verus filius Dei; Et nomen quidem Christi, non fuit magni alicuius nominis vmbra, sed veritas non vacuum & inane, sed vtile, & mundo salutare. Alij Saluatores, quos in veteri lege Deus misit in auxilium populi, afferebant tantum salutem corporibus, idque ad tempus breue animabus interim peccati, & dæmonis seruitute obnoxijs; at hic salua-

Saluator attulit salutem verā & æternam; sublatis enim & excisis omnibus malis tam culpæ quàm pœnæ integrè hominem totum saluauit. Hæc salus est, quam desiderarunt Patriarchæ, quam tantis clamoribus postularunt Prophetæ. Hęc est, quæ toties promissa est in antiqua lege, & denique spe & expectatione huius Iacob Patriarcha trā-

*Gen. 49.* quilla mente clausit vitam, & securus aspexit mortem, dicens. *Salutare tuum expectabo Domine.*

7. O fœlix salus, & salus digna tanto Saluatore: hæc est illa, quam in aduentu suo voluit impartiri mundo, hæc illa, quæ nouo hoc nomine IESV illi imposito, designatur. O nomen gloriosum, nomen venerabile, nomen salutare, inuentum à Deo, delapsum de cælo, annunciatum ab Angelo, & expectatum ac desideratum ab omni sæculo. Hoc sacro nomine fugantur dæmones, terrentur inferni agmina, obtinentur victoriæ, tentationes vincuntur, afflicti solantur, & peccatores animantur. Hoc est nomen, de quo sponsa locuta cum sponsa ait. *Oleum effusum*

*Cant. 1.* *nomen tuum.* Verè effusum, nam non solùm effusum est in cælo, vbi dulcedine sua vniuersam Hierusalem cælestem

ſtem condit & vngit, ſed etiam penetrans cælum diffundi cœpit in terra, & per totum mundum diffluens tandem etiam ad partes inferni peruenit. Quare meritò ad hoc ſacrum nomen IESV omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confitetur dicēs. Oleum effuſum, Domine, eſt nomen tuum. *Phil. 2.*

8. CONSIDERA, quare nomen Domini à ſpōſa ſit aſſimulatum oleo. Nam ſicut oleum eſt lux quędam, quia nutrit flammam, & cibus ac medicina corporis humani; ſic nomen ſponſi primo velut lux per prædicationem reſplendet; vnde enim tantum lumen fidei tam cito totum mūdum colluſtrauit, niſi beneficio prædicationis nominis IESV? Hoc nomen commendauit Chriſtus Apoſtolo, vt inſtar luminis illud portaret coram gentibus, Regibus & filijs Iſrahel. *Act. 9.* *Mar. vlt.* Hoc nomen etiam commendauit ſuis diſcipulis, vt euntes per mundum vniuerſum annunciarent omni creaturæ. Secundo, nomen IESVS non ſolum eſt Lux, verum etiam cibus, & cibus plenus ſuauitatis. O quantam dulcedinem anima deuota experitur in ore ſuo, quando illud nominat & inuocat? quantum

accedit tobur, quando eius recordatur quam mens pingueſcit, cum de eo cogitat? Et quæ, rogo, res amplius affectus animi componit, vires confortat, honeſtos mores iuuat, ſancta & caſta deſideria conſeruat, quàm hoc ſuauiſſimi nomen? Omnis cibus aridus & inſipidus eſt animæ, qui hoc ſapido oleo nõ conditur; nam IESVS eſt mel in ore, ſuauis melodia in aure, & dulce iubilum in corde.

9. SANCTVM hoc nomen quoque medicina eſt, nam ſi in cor mœſti & afflicti ſubeat IESVS, & indeaſcendat in os, ſubito ad huius nominis lucem omnis triſtitiæ nubes euaneſcit, & conſolationis ſerenitas in animam reuertit.

10. Si quis labatur in graue peccatũ, & deſperans currat in mortis laqueum, inuocato hoc ſalutifero nomine ſtatim incipit reſpirare, & in ſpem vitæ reſurgere. Et quis in magna afflictione vel periculo exiſtens; inuocato cum fide hoc nomine ſancto, omni ope & auxilio fuit deſtitutus? Denique in omnibus animæ noſtræ morbis vnica & ſalutaris medicina eſt: nulla enim res eſt, quæ æquè iræ impetum refrenet, ſuperbiæ faſtum comprimat inui-

inuidiæ liuorem sanet, libidinis flammam exstinguat, sitim auaritiæ temperet, ac huius salutaris nominis memoria & inuocatio.

11. Age anima mea, habes hîc salutifera & pretiosa tragemata & bellaria thecæ Sancti nominis IESV inclusa, pro omnium infirmitatum tuarum remedio, pro auxilio in tentationibus, & pro solatio in omnibus afflictionibus huius vitæ. Atque ideo semper illud *Cant. 8.* quasi sigillum gesta in corde, amando illud, & complectendo super omnia. Gesta quoque quasi signaculum in brachio, omnes actiones ad eius gloriam dirigendo Gesta & in lingua, semper illud laudando & inuocando, tum in vita, tum maximè in morte, cum fide & deuotione dicendo. O bone Iesu, sis mihi Iesus, hoc est vita mea & salus. Nam scriptum est. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* *Ioel. 2.*

## COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum Dominum nostrũ, quoniam pro tuorũ peccatorum remedio subijcere se voluit duro Circuncisionis præcepto, & simul salutari illo nomine IESV appellari,

vt dignetur cor tuum, & affectus tuos
ab omnibus vitiosis inclinationibus
circumcidere, vt perfectè mundatus in
vtroque homine interiore, & exteriore
consequi possis veram salutem, quam
ille attulit mundo.

## DOCVMENTA.

1. CHRISTVS primo opere, quod post
Natiuitatẽ suã fecit, nẽpe Circum-
cisione & susceptione nomine Iesu, duos
magnos lapides in fundamentũ Ecclesiæ
suæ coniecit. Vnus fuit obedientiæ, cũ sub-
iecit se Legi. Alter humilitatis, cũ signi
& similitudinem assumpsit peccatorũ.
Quæ significatur, eos qui has duas vir-
tutes non substernunt aliis fundamenti
loco, non habere Christũ pro fundamẽto,
ac proinde non sunt ex numero eorũ, qui
per ipsum sunt saluandi.

2. Christus ob assumptã circunciſionẽ,
quæ erat symbolũ hominis peccatoris, li-
cet innocẽtissimus, non dedignatus est ha-
beri peccator, ad confusionem nostram,
qui cum peccatores simus, tamen non vo-
lumus videri, vel haberi.

3. Christus voluit carnem suã circũci-
dere, ad nos instruẽdos, qua ratione circũ
cidere & resecare debeamꝰ omnes vitiorũ
superfluitates. Debeamꝰ enim circũcidere

cor

cor nostrũ à prauis cogitationibus, linguã nostrã à sermonibus otiosis et pernitiosis, omnia mẽbra et sensus corporis nostri, ab omnibus rebus illicitis & vetitis, abstinendo non solùm à peccatis, sed etiã peccati occasionibus: qui enim non fugit occasiones, non facilè effugiet peccata ipsa.

4. Deus factus homo accepit nomẽ Saluatoris, vt homo peccator, si forte timore iudicij desperaret, eò quod sit Deus, occasionem haberet in eum sperandi & cõfidendi, eò quod sit Saluator.

5. Si Christus, qui erat Dominus & Capitaneus noster pro salute nostra, recepit nomẽ Saluatoris, certè tunc veri eius erimus serui, eiq; similiores, quando non solùm nostra, sed etiam aliena saluti procuranda studuerimus.

6. Christus, cũ nõ solùm voluerit nasci, verũ etiam nomen Iesu, id est, Saluatoris pro nostra salute assumere, armemus nos in omnibus tentationibus, afflictionibus & periculis huius sancti nominis clypeo, insculpendo illud cordi nostro, & ore cõtinenter inuocando.

7. Sexies Christus pro nobis effudit sanguinẽ. 1. in circuncisione, vt instruat nos, quomodo rescindere & abijcere à nobis debeamus omne peccatũ. 2. in oratione facta in horto, vt doceat nos, tolerãdos

esse

*esse angores & afflictiones pro peccat commissis. 3. in flagellatione, vt doceat quod & nos castigare & domare carn nostram debeamus. 4. in Coronatione vt doceat, quomodo animam nostram serto virtutum coronare debeamus. 5. Crucifixione, vt instruat, quemadmodū membra nostra ad obseruationē diuino rum mandatorū alligare debeamus 6. in vulnere lateris, vt doceat cor nostrum debere esse diuina caritate vulneratum.*

# DE ADORATIONE MAGORVM.

## MEDITATIO VII. EVANGELIVM.

*Math. 2.* CVM ergo natus esset IESVS in Bethlehem Iudę in dieb. Herodis regis, ecce Magi ab oriēte venerunt Ierosolymam dicentes. Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriēte, & ve-

& venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et cõgregans omnes principes sacerdotum & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ: Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populũ meũ Israël. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniẽs adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt: & ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsq; dũ veniens staret suprà, vbi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valdè. Et intrantes domum inuenerunt puerum cũ MARIA matre eius, & procidẽtes adora-

rauerunt eum: & apertis thesau
suis obtulerunt ei munera, aurum
thus & myrrham. Et responso a
cepto in somnis, ne redirent ad H
rodem, per aliam viam reuersi sun
in regionem suam.

FIGVRA.

3. Reg. 10. REGINA Saba commota Sa
pientia Salomonis fama, cum
pretiosis donis auri & aromatum a
eum visitandum, dictisq; donis hono
randum venit.

PROPHETIÆ.

Num. 24. ORIETVR stella ex Iacob, & consur
get virga de Israël.

Esa. 60. 2. Surge illuminare Ierusalē, quia venit
lumen tuum, & gloria Domini super t
orta est, & ambulabūt gentes in lumine
Ibid. tuo, & Reges in splendore ortus tui.
3. Omnes de Saba veniēt, aurū & thu
Psal. 71. deferētes, & laudē Domino annūciātes.
4. Reges Tharsis & insulæ munera offe
rēt, reges Arabū & Saba dona adducet,
& viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ.
Psal. 85. 5. Omnes gentes, quascunq; fecisti veni
ent, & adorabunt coram te Domine, &
glorificabunt nomen tuum.

CON-

*CONSIDERATIONES.*

IN ingressu Christi Saluatoris in hũc mundum, quod solet etiam fieri magnis Regibus & Principibus sæculi, cum possessionem regni vel principatus sui capiunt, ex omnibus mundi partibus aduenerunt legati, vt eum pro legitimo suo Rege & Domino agnoscerent & venerarentur. Et primò quidem ex cælesti Hierosolyma venerunt Angeli ad eum adorandum in præsepio, secundum illud Apostoli, *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit. Et adorent eum omnes angeli Dei.* Deinde ex parte omnium corporum cælestium venit stella, vt suo splendore eum honoraret, & mundo patefaceret. Ex parte verò populi Iudaici, cuius præcipuè causa missus erat Saluator, venêre Pastores ad eum inuisendum; ac denique ex parte omnium gentium, tanquam earũ primitiæ hodie aduenêre Magi cum muneribus ad eum adorandum, eumque in Dominum suum suscipiẽdum & inaugurandum. Hoc die *cæli annunciare* cęperunt *gloriam Dei, & in omnẽ terram exiuit sonus eorum*, cum Magis missa est stella, vt eos duceret ad præsepium, vt ab oriente in occidentem na-

*Punct. I.*

*Heb. 1.*

*Psal 18.*

tiuitas huius noui Regis reſplende
*Dan.2.* Hodie paruulus ille lapis, qui abſci
eſt de monte ſine manibus, cœpit
cere,& dominari, donec ſua magni
dine totum compleret mundum. H
die deniq; ſponſa Eccleſia ex genti
congreganda inuenit ſuum dilect
quem à Synagoga repudiatum,ten
nec vnquam dimiſit.

2. CONSIDERA mox poſt Sal
torem natum apparuiſſe in Orient
lam nouam inſolitæ magnitudin
ſplendoris, à multis,& maximè ab
tribus Magis conſpectam, qui tũc te
poris erant gentiles, ſed inſigni ſapi
tia clari & ſeduli ſignorum motuum
cæleſtiũ obſeruatores. Hi itaq; viſa ſt
la, vbi diuina inſpiratione cognouer
illam eſſe, de qua olim Baalam vati
*Num.24.* natus dixerat. *Orietur ſtella ex Iacob
conſurget virga de Iſraël* incredibili la
titia pleni (veriſimile enim eſt eos ſi
gulari huius cæleſtis Regis videndi c
ptos fuiſſe deſiderio) ex Oriẽte cũ mu
tis donis ad cũ quærendũ diſceſſerun
Conuenienter autẽ venerunt ex Orie
te, vt qua orbis parte, eſt ortus diei & lu
cis, ab eadem quoq; initium eſſet lumi
nis fidei, quo omnes homines venien
tes in hũc mundũ illuminari debebãt.

Ex

Ex Oriente quoq; venerũt; nam cũ venerint ad annunciandũ ortũ noui solis totũ mundũ læto hoc nuncio illustrarunt. Vbi potes cogitare, quo modo Iesus infantulus, existẽs licet in præsepio, è tam lõginquis regionib. funiculis suę caritatis horũ sanctorũ Magorũ corda attraxerit. Vnde & diuina consolatione pleni suauissimè inter se confabulando & desiderium cælestis partus videndi accendendo, totum iter confecerunt.

3. CONSIDERA, quomodo stella, postquam Magis in Oriente apparuerat, postea disparuerit, & amplius cõspecta non sit. Itaq; magna fide recta in Iudæam iter direxerunt versus Hierosolymam, vbi sperabant se vel nouum hunc Regem inuenturos, vel saltẽ certiores de eo reddendos. Id quod permisit diuina prouidentia certis de causis. Primò, vt Magi iam cælestibus signis commoti, doctrina Prophetarum & Doctorum, qui in illa vrbe erant, magis confirmarentur. Secundò, vt aduentus Christi promulgaretur in vrbe regia, omnesque intelligerent vaticinium de loco Natiuitatis Christi impletum. Tertiò, vt studio & diligentia horum Magorum, condemnaretur ignauia & negligentia Iudæorum. Illi

enim summa sollicitudine quærebat Christum ; hi verò, ad quos maxime pertinebat, omnem curam de eo quærendo abijciebant. Quartò, ne ludæi dum Christum non receperunt, prætendere possent excusationem, se tempus aduentus illius non cognouisse. Nam Magi & patefecerunt tempus, & locum Natiuitatis demonstrarunt. Cuius rei signum fuit, sacras literas apud solos permansisse Iudæos, vt per illas gentes instruerentur, & illuminarentur, ipsi verò excæcarentur.

4. Quærebant autem Magi, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum.* Quo loco perpende magnam fidem & constantiam istorum Sanctorum, non enim quasi dubij & incerti quærunt sit natus, sed magna freti fiducia omni excluſa dubitatione dicunt. *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum ?* Et quamuis scirēt Hierosolymis regnare Herodem capitalemque esse pœnam, viuente Rege, alium vel publicare vel adorare, nihilominus audacter confitentur Christum, & licet necdum viderint, parati sunt tamen pro eo mori. O beati Magi, qui in præsentia Regis tam crudelis, ante cognitum Christum facti estis Confessores Christi. Verum quid sibi vult

vult ô Magi, quod Regem Iudæorum appelletis illum, qui non solùm Iudæorum, sed etiam omnium hominum & Angelorum Rex est? Quanquam rectè eum vocastis Regem Iudæorum, hoc est, confitentium. Licèt enim sit Rex vniuersalis omnium, tamen Specialis Rex est, & Saluator eorum, qui eum confitentur & adorant in cœlo & in terra. Iam verò Herodes cognitis his nouis, totus turbatus est. Si cunæ infantuli IESV tantum terrorem iniecêre superbis regibus, quid faciet tribunal Iudicis, quando veniet ad iudicandum? Nec mirum fuit, turbari Herodem hominem impium; sed quod Hierosolyma ciuitas Dei, dicta Visio pacis, simul cum Herode turbata fuerit, id magis est admirandum. Vę populo, cui propter peccata Deus permittit, vt regatur à peruerso Principe. Si enim in cœlo Empyreo tantum potuit sua nequitia supremus angelus, vt secum in abyssum traxerit tertiam partem stellarum: quanto magis in terra gubernatores mali & peruersi, poterunt suos subditos peruertere, & vnà secum trahere in gehennam? *Apo. 12.*

5. CONSIDERA, quomodo Magi

gi, audito Herodis responso, mox
vrbe egressi sunt versus Bethlehem,
sum conspexerint stellam, quam p
viderant in Oriente, eamque mu
quam ante splendidiorem, præbent
se ante eos quasi viæ ducem, suaq
specie & pulchritudine mirè eos co
fortantem. Hic perpendere potes, qu
tum gaudium, quàm ineffabilis tu
fuerit S. Magorum lætitia, cùm stell
viderent: quantas laudes dixerint,
gratias egerint Domino illi, qui tanta
pere eis fauebat, & tam suauiter ad
alliciebat. Quare incredibili consola
tione pleni, sequendo stellam, bene
cio lucis visibilis, quærebant veram lu
cem, & simul muneribus, quæ defere
bant, eum confitendo, in corde humi
liter absentem adorabant. Vide deinde
quomodo stella paulatim è sublimio
lo descendens tandem defixa fuerit su
pra locum, in quo iacebat puer Iesu
quasi annuens eis & dicens: Hic est ille
qui natus est Rex. Hic est ille, de quo
vobis testimonium dedi. Quid verò a
liud significabat hæc stella, quæ luce
sua Magis demonstrabat viam, quàm
ipsum Christum? Hic enim est stella
matutina, quæ intra nubes resplendet
& de qua dixit Propheta. *Orietur stella*

*ex Iacob.* Similiter Christus est quoque via, nam de seipso dicit. *Ego sum via.* Ita- *Num. 24.*
taque Christus sua ipsius luce seipsum *Ioan. 14.*
demonstrauit.

9. MAGI in humili casu inuenerunt puerum cum MARIA matre eius. Fœlix es Maria, quia semper tecum inuenitur IESVS, tecum nascitur, quia ministra fuisti incarnationis: tecum viuit, quia seruisti ei in educatione, tecum moritur, quia comes fuisti in eius passione. Inuenerunt igitur Magi puerum cum Maria. Vbi potes expendere quàm inæstimabili gaudio sancti illi homines affecti fuerint, cum cursu suæ peregrinationis fœliciter confecto, in locum tãtopere exoptatum, delati duo maxima mundi lumina repererint, Filium illum, & illam Matrem. Regẽ tanto studio desideratum & quæsitum. Si Magi tanta lætitia exultarunt, quod absoluto itinere inuenerint Dominũ in forma hominis passibilis, in tanta humilitate & solitudine natũ: quanto maiore lætitia exultabit anima nostra, cũ perfecto huius periculosæ mortalitatis curriculo Dominum conspiciet à facie ad faciẽ, videbit regem illũ æternum in sua claritate, non in vili stabulo, sed in cælesti palatio, non in præ-

pi ſupra fœnum, ſed in regio ſuæ glor
throno, non in abiectione noſtræ hu
militatis & paſſibilitatis, ſed in glor
ſuæ Maieſtatis.

7. CONSIDERA, quomodo Ma
conſpecto IESV intelligentes hunc e
ſe diuinum partum ſibi à ſtella com
monſtratum, mox in terram proſtrat
atque ſi quippiam pluſquàm huma
num in illo infantulo animaduerter
eum adorarunt, vt Deum, honorarun
vt Regem, & ſalutarunt vt hominem.
Deinde apertis theſauris ſuis pretioſ
illa dona obtulerunt, nempe, aurum,
thus & myrrham, auro confitentes e
ius poteſtatem regiam, thure Maieſta
tem diuinam, & myrrha humanã mor
talitatem. Vbi vide quomodo cum mu
neribus iſtis offerant quoque ſeipſos,
hoc eſt corda ſua per amorem & carita
tem quandam perfectam; mentem ſuã
per intimam deuotionem, & denique
corpora ſua, per humilem obedientiam
& reſignationem. Atque hic amor, hæc
deuotio & reſignatio S. Magorum, in
ſtar pretioſorum aromatum plus Do
mino placuerunt, & in oculis Diuinæ
Maieſtatis pluris æſtimata fuerunt, quã
quæcunque alia dona, quæ offerre po
tuiſſent.

8. Oa-

8. O anima mea quandoquidem dulcis & amabilis Iesus portam suæ caritatis aperuit, omnesque se inuisentes recipit, vade tu quoque; & si digna non es, vt cum illustribus istis personis compareas, adiunge te vt seruam seruorum Domini tui, ac post pretiosas eorum oblationes, conare tu quoque aliquid licet vile offerre. Nã si Iesus amore tui voluit se tam pauperem facere, non dedignabitur quoq; à te donum licet pauperculum acceptare. Et si tanta est tua inopia, vt nec exiguum quid possis offerre, roga humiliter Matrem eius, vt particulam tibi aliquam ex magnis illis Regum donis largiri velit, & si non ex pretiosioribus, saltem ex amara myrrha paucula grana; vt quando aliud nõ suppetit filio eius offerendum, offerre saltem possis lachrymas, & veram tuorum peccatorum contritionem.

7. CONSIDERA, quàm magna fuerit Magorum fides, quæ ita conuicit & captiuauit eorum intellectum, vt eum pro vero Deo & mundi Conditore adorauerint, quem videbãt exterius esse pauperem & abiectum coram mũdo. Non retrocesserunt, non offensi sunt, nec stabuli, nec præsepis, nec pannorum vilitate, multò verò minùs scan-

dalizati, aut lachrymis & imbecillitat
infantuli, aut pauperis matris præsen-
tia. Dicite ô Magi, si tãta sapientia pra-
diti estis, cur veneremini tanquã Deũ
hunc infantulũ, Regijsq; munerib. ho-
*Psal.10.* noretis? cũ scriptũ sit, *Deum habitare*
*Psal.111.* *Tẽplo sancto suo, gloriã & diuitias esse*
*Eccl.43.* *domo eius, cuius mirabilis potẽtia, virt*
*magna, & sapiẽtia sine numero.* Iã quid
stabulo cum cęlo? vilitati cũ gloria, pau
pertati cum diuinis opib. infantię hui
pueruli, cum infinita sapientia & poten
tia Dei? si hic Rex est, vbi purpura Rega
lis? nisi fortè sunt hi viles panniculi, qui
bus eũ videtis obuolutũ. Et si Rex est,
vbi corona Regia? nisi fortè diademae-
*Cant.3.* ius, quo coronauit eum mater sua, est
saccus nostræ mortalitatis. Denique si
Rex est, vbi aula regia, vbi turba famu-
lorũ? nisi fortè præsepe est, thronus, &
aulici eius sunt pauper Ioseph & Maria.
Hæc secundum mundum potius sunt
stultitia quàm sapientia. O sapiens stul-
titia Magorũ, & stulta sapientia mun-
di. Facti sunt stulti, vt ad verã sapientiã
peruenirent, & à Spiritu S. docti in pra-
xim redegerunt doctrinam cælestem,
quam postea prædicauit Apostolus di-
*1.Cor.3.* cens. *Si quis videtur inter vos sapiens es-*
*se in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens.*

10. CON-

10. CONSIDERA denique, quantum gaudium B. Virgini obortum fuerit, cernenti lætas illas lacrymas, munera, & deuotionem Sanctorum Magorũ; probeq; intelligenti, iam dari initium amplificandi regni Christi, & cognitionis veri Dei. Cogita quo iubilo exilierit cor eius, quis ardor in sacro illo pectore exarserit, cùm videret filium suum tantopere dilectum tanto honore & gloria honestari, cùm videret tam læta conuersionis mundi exordia tam impensè exoptata; Et si tanta erat exultatio matris, quanto maior debuit esse filij Iesu hominum amatoris? spectantis in trium istorum Magorum fide humanæ salutis primitias, Patris gloriam confusionem diaboli, peccati triumphum, & mortis victoriam? Aduerte qua maturitate & senili quasi grauitate sapientissimus infantulus, non loquendo, sed, ac si omnia intelligeret, auscultando, hilariq; & benigno vultu eos aspiciendo, ac deniq;, dum illi postulata discedendi potestate magna deuotione manus & pedes eius exosculari conantur diuinas suas manus ad osculum, vt eos in suo amore cõfirmaret porrigendo, data benedictione incredibili consolatione plenos dimiserit.

## COLLOQVIVM.

ORABIS Christum Dominum, vt sicut indicio stellæ manifestare voluit Magis, faciendo eos per aliam viam redire in regionem suam, sic lumine gratiæ suæ illuminare dignetur conscientiæ tuæ tenebras, & dare tibi notitiam sui, simul & tui ipsius, vt agnoscens quantum ille fecerit pro te, & quantũ vicissim tu debeas illi pro consequenda perfecta dilectione illi offeras totum cor tuum & animam, & sicut per consuetudinem peccandi longè recessisti ab æternæ fœlicitatis patria, sic duce eius gratia per viam pœnitentiæ in eandem reuerti possis.

## DOCVMENTA.

1. *NATO Christo, statim Magis apparuit stella, venerunt q3 cum muneribus ad illũ quærendũ & adorandũ. Quando Dominus per gratiam nascitur in anima, statim immittit diuinæ inspirationis radios, quæ eũ moueant ad commutandã vitã, quærendumq3 Christũ, & offerendũ ei bonorũ operũ munera. Vnde quando nos sumus tepidi, & non vacamus operib. bonis, aut sectãdis Christi virtutibus, signum est illum nondum esse in nobis natũ, nec nos ab eius spiritu duci*

2. Magi

2. *Magi quærẽtes Christũ Hierosolymis, non inuenerũt. Christus non inuenitur in magnificis palatijs, & cõmodis diuitũ domicilijs, sed in abiecta & humili ciuitate Bethlehẽ. Vnde dicit ipsa Veritas, diuites difficulter ingressuros regnum cælorũ: Econtrario verò ait, pauperum esse regnũ cælorum.*

3. *Herodes, ignorãs quo loco nasciturus esset Christus, cõsuluit Pontifices & Legis Doctores, qui licet Christi inimici, veritatẽ cõfessi sunt, & locũ natiuitatis indicarũt. Vnde discimus, in Conscientia dubijs, recurrendũ esse ad Prælatos & Pastores, firma in Deum fiducia freti, etiamsi peruersa sint vita. Deum non passurũ, vt in rebus ad gubernationem & directionẽ animæ nostræ pertinentibus hallucinentur, sed viam salutis doceant.*

4. *Magi relicto Herode egressi Hierosolymam, de nouo conspexerũt stellã, & ineffabili lætitia sũt perfusi. Si perfectè vis illuminari, & cor tuũ vera consolatione & lætitia perfundi, quã nemo possit tibi adimere, desere Herodem, egredere Hierosolymam, renuncia mundo & omnibus eius pompis, fuge huius periculosi sæculi tumultus, & subitò tibi apparebit diuinæ gratiæ Stella, quæ te comitabitur vsq; ad beatificam visionem tui Creatoris.*

Luc. 2. 5. *Magi inuenerunt puerum Iesum cum Maria matre eius, idē legitur de Pastoribus, quod inuenerint Mariam cum puero Iesu. Non reperitur filius sine matre, nec mater sine filio. Vnde intelligimus, nō posse aliquem esse verū seruum Iesu, qui non sit simul deuotus Mariæ, & contra non fore verè deuotum Mariæ, qui non fuerit verus seruus Iesu.*

6. *Magi inuento Iesu aperuerunt thesauros suos, vt eos offerrent. Quo exēplo discimus, nō aperire thesauros nostros, hoc est, publicare & ostentare virtutes nostras & gratias quandiu in via huius vitæ versamur, donec liberi ab insidijs inimicorum, & peregrinationis nostræ exitum consecuti eas offeramus soli Deo, à quo eas recepimus.*

7. *Magi primò supplices in terrā abiecti adorarūt Christū, & deinde sua munera obtulêre. Et nos, si volumus operū nostrorū dona grata Deo, offeram⁹ ei primo nos ipsos, hoc est, cor nostrū & voluntatē*

Gen. 4. *Deo enim scriptum est* Respexit primū ad Abel, deinde ad munera eius.

8. *Magi obtulerunt Domino aurū, thus & myrrham. Tūc Christo offerimus aurum charitatis, quādo eum perfectè super omnia diligimus. Tūc offerimus Thus de nota orationis, quādo eū benedicim⁹, laudamus,*

dam⁹, & agim⁹ gratias pro acceptis beneficijs. Tũc offerimus myrrham mortificationis, quãdo sui amore refrenam⁹ appetitũ & desideria inordinata carnis nostræ. Similiter tunc offerimus Christi aurum bonorũ temporaliũ, quando illis vtimur in finem, ob quẽ sunt condita, nẽpe ad nos sustẽtandos, & iuuandes proximos. Tũc offerimus thus bonorũ spiritualium quæ sunt facultates animi nostri. Intellectum scilicet. Voluntatem & memoriã, quando illis vtimur, in eum finem, ob quẽ dominus illas nobis dedit. Tunc deniq; offerimus myrrham, bonorum corporaliũ, quãdo custodimus nostros sẽsus mortifica m⁹ passiones & totos nos omnesq; vires et actiões nostras diuino seruitio impẽdim⁹.

9. Religiosi, tribus votis Deo consecrati, tũc cũ magis Christo offerunt aurũ, quãdo per paupertatẽ renunciãt, & perfectè expoliã se bonis huius mũdi. Tunc verò offerunt Thus, quando per castitatẽ è corpore suo faciunt sacrificiũ mundũ & odoriferũ diuinæ Maiestati. Tunc aũt offerũt myrrhã, quando per obedientiã mortificant propriam volũtatem & iudiciũ, subijciendo illud iudicio superioris.

10. Magi admoniti in somnis per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Sic nos postquã per pœnitentiã inuenerimus

Chri-

*Christũ, & consecuti fuerimus eius gratiam, non debemus in primã viã redire, sed mutato itinere, alia via tẽdere in patriã, è qua per peccatũ discesseramus. Patria nostra est paradisus, è qua homo discedit superbiẽdo, inordinatas appetitiones sectando, & adharẽdo rebus terrenis, ad quam reditus non patet, nisi per viã contrariam, nẽpè humilitatis, panitẽtiæ, contemptus mũdi, et mortificationis carnis*

# DE PVRIFICATIONE B. VIRGINIS, ET PRAESENTATIONE CHRISTI IN TEMPLO.

## MEDITATIO VIII. EVANGELIVM.

POSTQVAM impleti sũt dies purgationis MARIAE secundum legem Moysi, tulerunt puerum in

in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur, & vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturū, aut duos pullos columbarū. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomē Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israhel, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum IESVM parentes eius, vt facerēt secundum consuetudinē legis pro eo, & ipse accepit eum vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium, & gloriā plebis tuæ Isra-

Israhel. Et erat pater eius & mat
mirantes super his quę dicebantu
de illo. Et benedixit illis Simeon, &
dixit ad Mariam matrem eius. Ecc
positus est hic in ruinã & in resu
rectionẽ multorũ in Israhel, & i
signum cui contradicetur: & tuã
ipsius animam pertransibit gladius
vt reuelentur ex multis cordibu
cogitationes. Et erat Anna prophe
tissa filia Phanuel, de tribu Aser
hæc processerat in diebus multis,
& vixerat cum viro suo annis se
ptem à virginitate sua. Et hæc vi
dua vsque ad annos octoginta qua
tuor, quæ non discedebat de tem
plo ieiunijs & obsecrationibus ser
uiens nocte ac die. Et hæc ipsa hora
superueniens confitebatur Domi
no, & loquebatur de illo omnibus,
qui expectabant redemptionem
Israhel.

## FIGVRÆ.

*Exod. 29. Num. 28.* 1. *MANDAVIT Deus in le-*
*ge quotidiè offerri in ho-*
*locaustum agniculos immaculatos*
*duos;*

*duos; vnum mane, alterum ad vesperum, ad præsignificandas duas oblationes, quas Christus verus & immaculatus agniculus de seipso facturus erat Patri. Vnam hodie initio suæ vitæ: alteram in fine, in ara crucis pro generis humani redemptione.*

2. *Anna Samuelis mater quondam sterilis, cùm precibus à Deo impetrasset illum filium, obtulit eum in domo domini, dedicando eum diuino seruitio, & simul vitulum in sacrificium efferendo.* 1. Reg. 1.

## PROPHETIÆ.

1. *ECCE mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis.* Malach. 3.

2. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Psal. 47.

3. *Notum fecit Dominus salutare suum ante cōspectū gētiū reuelauit iustitiam suam.* Psal. 97.

4. *Desiderium suum iustis dabitur.* Prou. 10.

## CONSIDERATIONES.

CONSIDERA, quomodo B. Virgo postq̄ diuino suo partu locupletassset Punct. I.

set & consecrasset vile & humile præ-
sepe Bethleëmiticum, & exacti essent
quadraginta dies, quib. per legem non
licebat ei ingredi templum, se cum puer
o IESV in viam dederit versus Hie-
rosolymam, vt eum ibi offerret tan-
quam agnum immaculatum in sacri-
ficium matutinum, & in odorem sua-
uitatis æterno Patri pro redemptione
generis humani. Vbi obseruandum
*Leu. 12.* est, duo fuisse in lege de Muliere pari-
ente præcepta. Alterum erat, vt si pepe-
risset masculum, septem diebus tan-
quam immunda, separata esset ab ho-
minum consortio. Octauo autem die
circumcidebatur infantulus: ipsa verò
triginta tribus diebus domi remane-
bat, nec foras exire, nec templum in-
gredi poterat. His autem expletis adi-
*Exod. 13.* bat cum filio templum, & sacrificia
pro se & pro illo offerebat. Alterum
præceptum erat speciale de primoge-
nitis, quos Dominus, à quo tempore
occisa erant omnia primogenita Æ-
gypti, & Saluati filij Israhel, offerri &
consecrari sibi voluit, sicut & voluerat
sibi offerri primitias omnium frugum.
His ergo legibus & præceptis Filius
Dei natus ex muliere voluit esse sub-
iectus, atque in se, suaque matre perfe-

ctè

ctè adimpleri. Non satis fuit humilitatis Magistro, licet per omnia æquali æterno Patri, subijcere se humili virgunculæ, quin etiam ad exemplum nostrũ subijceret se legi peccatorum & seruorum.

2. CONSIDERA, quomodo Saluator noster in dies mirificos progressus faciat in obedientia, humilitate & caritate. In obedientia, quia sicut primò in sua circunciſione, sic nunc se in sua redemptione præceptis Legis subijcit. In humilitate, quia in circunciſione quidem signaculum illud accepit tanquam peccator, qui salute indigeret; nunc autem pro redemptione sui offert quinque siclos, atqui si non solùm peccator, verumetiam seruus esset, qui opus haberet redemptione. In caritate denique profecit, quia cùm esset liber, vti verus filius & legitimus hęres in domo Patris sui, amore nostri suscepit formam serui, vt nos redimeret è captiuitate tyranni infernalis, & in veram filiorum Dei libertatem restitueret.

5. CONSIDERA, quomodo etiam B. Virgo, eius mater, etiamsi subiecta non esset Legi de mulieribus immundis, (erat enim teste Spiritu sancto spõso suo tota pulchra, & pura, sine macu-

la)

la) alijs mulieribus conformare se voluerit, sicut filius eius se confirmauit nobis. Vnde sicut, ille, etsi non indigeret, circuncidi voluit, sic illa, vt vera humilitatis filij sui imitatrix, etsi omnis maculæ expers esset, voluit parere legi purificationis. Secundo, vt Iudæis, quos mysterium Conceptionis latebat, nullam occasionem daret aut scandali aut obmurmurationis. Tertio, vt finē imponeret aduentui Christi filij sui. Finis autem erat vera nostra purificatio secundum præceptum legis. Quarto, vt nobis relinqueret exemplum humilitatis, doceretque suo exemplo, vt magistra virtutum, quod ratione sexus muliebris facere non licuit verbo.

4. Iam verò ô anima mea deuotis passibus sequere B. Virginem iter facientem, considera modestiam & honestatem, qua progressa est, reuerentiam qua deportauit, & filium suum, Deum suum virgineo pectori astrinxit, & deuotionem, qua templum ingressa est pretiosissimum ventris sui fructum in brachijs suis ferens. O pulchrum & iucundum spectaculum, tum filij qui portabatur, tum Matris quæ illum portauit, cuius præsentia exhilarabat

bat Angelos, & totum illud templum exornabat. Tunc vero Salomone, & Templi Domino ingrediente Templum suum, impletum est, quod prædixit Propheta, maiorem fore gloriam huius domus, quàm fuerit primæ à Salomone fabricatæ. Tunc introducta in suum sanctuarium per manus Beatæ Virginis viua & vera hac testamenti arca, in qua omnes thesauri æternæ Sapientiæ & scientiæ erant absconditi, longè alios vidisses & audisses celebrari festos dies & concentus in cælo, quàm visi & auditi sunt in terra, cùm Salomon arcam à se fabre factam sub alis Cherubinorum collocauit.

*Mal. 3.*

*Agg. 2.*

*Cal. 2.*

*3. Reg 8.*

5. *ET ecce Simeon homo iustus & timoratus expectabat consolationẽ Israhel.* Merito Simeon vocatus est iustus, qui non tam suam, quàm communem omnium salutem procurabat, nec tam propriam, quàm totius Populi sui expectabat consolationem. Ex vna parte homo sanctus optabat ergastulo huius corporis emitti, ex altera, desiderabat ante videre Christum à Spiritu sancto sibi promissum, quàm emitteretur. Magno suo dolo-

dolore cernebat mũdum plenum m
litia & ignorantiæ tenebris, ac quo
die multa animarum millia ruere
perditionem. Vnde sancto honoris
uini zelo, & humanæ salutis flagra
assiduis orationibus & lacrymis vr
bat Patrem cælestem, vt tandem tan
malis finem imponeret, mitteretq
eum Saluatorem, in quem omniũ v
terum Patrum desideria suspirasse
Hoc petebat, hoc expectabat, & idcir
noctu diuque cũ gemitu inclamab
Esa. 62. cum Propheta. *Propter Sion non tacebo*
*& propter Ierusalẽ non quiescã, donec*
*egrediatur, vt splendor iustus eius & Sa*
*uator eius, vt lampas accendatur.*

6. NVNC considera, quid bonole
ni agendum fuerit, quando ipse vic
nus morti ingressus templum occum
ipsi vitæ? cogitemus quanta lætitia pe
ctus eius fuerit oppletum, quot lacry
mis præ gaudio oculi stillarint, quo
laudum præconijs exceperit eum, q
vitam ei hucusque seruârat. Videb
enim iam completa esse sua desider
& vota, orationes exauditas, lachry
mas acceptatas, & in conspectu suo e
se tantoperè à se & omnibus gentibus
expectatum. Quanta humilitate & re
uerentia eum adorabat? quanto amor

& de-

& deuotione brachia sua protendebat ad recipiendum hunc thesaurũ? quanta verò suauitate, iam receptum deosculabatur & constringebat, cuius conspectu exsaturari non poterat? Contra verò cogitemus, qua ratione dulcis IESVS, amator eorum, à quibus ipse amatur, oculis suis in eum coniectis cor eius penetrabat, & quasi liquefaciebat consolationis abundantia. Vnde sancta illius senis anima fastidio affecta rerum creatarum post cõspectum suum creatorem cupiens dissolui, & esse cum Christo pronunciauit illud plenum affectus canticũ. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

7. VIDISSES hic lachrymarum fontes per venerabilis senis vultum decurrere, & infantuli quoque faciem irrigare: vidisses etiam illum, qui ante per affectam ætatem non poterat regere seipsum, nunc facilè brachiis suis posse ferre & regere creatorem vniuersi; portare illum, à quo erat portatus, qui verbo virtutis suæ portat & sustentat omnia. Beatus Simeon, qui ductu Spiritus sancti ad templum venisti, & in vno templo duo templa

inueniſti Matrem & filium, ambos
uum & ſanctum templum Domi
Beati tui oculi, quos ideò non viſu
mortem dixit Spiritus ſanctus, qui
gni fuerunt conſpectu vitæ. Quon
do enim mors ſubijcere ſe potuit
oculis, quos Chriſtus vera vita ſua
ſione dignatus eſt, & eius quidem
lis, qui iamdudum vehementer
derârat diſſolui, & eſſe cum ſuo Do
no? Beatus denique, quia non ſolùm
gnus factus videre, ſed etiam manib
attingere Verbum æternum in car
promeruit tantam gratiam & conſo
tionem, quantam nulli vnquam S
cti Patriarchæ, Reges & Prophetæ
cet magno ſtudio quæſitam & expe
tam, meruerunt.

8. CONSIDERA, quantam
Virgo voluptatem cœperit, ex lachr
mis & conſolatione Sancti ſenis, & a
plificatione gloriæ filij ſui vndique
rumpentis, & nouis in dies teſtimoni
augeſcentis. Verùm hæc voluptas, ho
gaudium non fuit purum & ſimplex
Nam poſtquam Simeon vaticinari
pit, de contradictionibus filio ſuo ali
quando futuris, & quod eius animam
gladius eſſet pertranſiturus, ſic pia ma-

te

ter deinceps affecta fuit, vt ab eo die vsque ad vitæ finem nunquam plenæ lætitiæ locum dederit. Sed ô Sancte senex, cùm præsentia Saluatoris tantum tibi solatium attulerit, tantoque gaudio matrem eius afficeris, cur nunc animum eius hoc tristi nuncio perturbas, & consolationum melli, tam amarum misces absinthium? nónne melius erat integrum illi relinquere prius gaudium, quàm ea commemorare, quæ iugem illi afflictionem & martyrium afferant per omnem vitam? Verùm non fuit hoc Simeonis, sed Spiritus sancti consilium, qui voluit Matrem suam ob maiorem in cælo coronam, & huius vitæ meritum, per omnia filio esse conformem, vt sicut erat dignior & perfectior cæteris hominibus, ita etiam magis particeps esset gloriæ filij, quæ erat, pati & mori per obedientiam Patris. Vnde, sicut ille continenti quodam cordis dolore, ante oculos habebat mortem crucis; sic Beata Virgo, obiecta perpetuo menti Sanctæ Crucis memoria, continuum quasi sustineret martyriũ. Tam enim pretiosa res est, pati, tam nobiles sunt afflictiones & asperitates

huius vitæ; vt, sicut matrem suam
omnibus rebus creatis dilexit, in
iam voluerit præ omnibus eam affi
omnique dolore & amaritudine
nam esse.

9. CONSIDERA, quomodo
neque sexus neque status vllus defe
qui non testimonium Christo red
ret in hoc primo in mundum ingre
hac ipsa hora superuenerit sancta vi
Anna, quæ diuina inspiratione aga
cens Saluatorem, cùm eum humi
adorasset, cœpit confiteri & prædic
eius laudes omnibus, qui expectab
redemptionem Israhel. Mulier vere
no prophetiæ, & consolatione videl
Deum in carne digna: erat enim a
duè in templo, castè viuebat, ieiun
carnem castigabat, in oratione noc
ac die perseuerabat: Tales enim De
suorum secretorum facit participes,
libus Euangelij sui noua mysteria r
uelat.

10. CONSIDERA deinde deuo
tissimam processionem, ab his sancti
hominibus institutam. Et primo vid
quanta lætitia & hilaritate antecedan
venerabiles illi duo Senes, Ioseph &
Simeon; mater deinde ineffabili cum
gaudio in vlnis fructum ventris sui ge

stans,

stans, sequatur ; cuius in Societatem cum magna reuerentia se adiungebat sancta vidua Anna, iubilans, & summa exultatione Dominum collaudãs. Vt ad altare peruenerunt, vide quomodo B. Virgo magna deuotione positis humi genibus, Patri æterno offerat pretiosum donum, quo nullũ ab orbe condito, vel nobilius, vel gratius Deo fuit oblatum, nimirum obtulit dilectũ filium suum cum adiecta actione gratiarum, quod se ad concipiendum & gignendum illum dignam reddidisset. Vbi quoque obserua, quemadmodum & ipse infantulus in tenera illa ætatula se ipse pro nobis Patri obtulerit in sacrificium matutinum ; donec aduenisset tempus sacrificij vespertini aliquando in ara Crucis offerendi. Tũc impletum est, quod Propheta iam ante in filij Dei persona dixerat, *Holocaustum, & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio.* Nam cum veteris legis sacrificia expiare peccatum non valerent, venit hodie magnus angelus testamenti in templum suum sanctum, ibique se ipse obtulit hostiam immaculatam, & infinita vi præditam ad omnia totius mundi peccata expianda. Denique etiam Virgo eius mater de se- *Psal. 39.*

ipsa, vnà cum ipso vnam oblation
faciebat Deo patri, offerendo se ad o
nes tribulationes, dolores, & crucia
quos causa filij sui per omnem vi
erat toleratura. Et quomodo minus
cere poterat, quàm vnà cum cœleb
no donare seipsam? tota enim erat
ipso dono repleta.

11. CONSIDERA præterea
guam & vilem oblationē magnol
dono ad redimendum filium adu
ctam, nempè, quinque siclos, & par
lumbarum vel turturum: è quibus
teram in holocaustum pro filio, alte
pro purificatione sui partus obtulit.
bi nota paupertatem B. Virginis, q
cùm agnum offerre non posset, q
oblatio erat diuitum, obtulit colum
bas vel turtures more pauperum.
quid aliud cōueniebat innocēti colum
bæ, & turturi castissimæ Virgini Mar
offerre, nisi sui similes columbas &
tures? Voluit & Christus sibi offerri
na pauperum propria, vt sua paupert
te nos redderet diuites, diuites in fi
& gratia in hoc sæculo, vt postea hæ
des regni sui fieremus in cælo. O M
ter sancta, cur tanta cum lætitia nu
offers in brachijs tuis filium in tem
plo? veniet tempus, quando extra ci
tatem

tatem, loco infami, cum summo tuo dolore eum videbis oblatum in brachijs Crucis. Nunc aliorum oblatione redemptus est, tunc autem proprio sanguine redimet alios. Nunc eum quinque siclis redimis, & tibi restituitur; tunc autem ipse quinque vulneribus redimet totum mundum, & non restituetur.

12. CONSIDERA denique quomodo æternus filius per omnia Patri æqualis oblatus sit in forma serui ipsi Patri, & Sanctificatus hostijs, qui est, sanctificatio omnium creaturarum, & exiguo pretio redemptus ille, qui est totius mundi redemptor. Perpende simul, quomodo in sanctissima eius matre puritas purificetur, Virginitas reconcilietur, Sanctitas sanctificetur, & quæ erat Deo fœcunda, quasi immunda, à peccato mundetur. Veniant nunc sapientes & potentes huius mundi. Veniant Cherubini, qui alios scientia antecellunt. Venite & vos Seraphini, qui principem locum inter angelos omnes tenetis, & in schola pueruli Iesu & humilis matris discite, quàm excelsus & sublimis sit Deus. Sed qui humiles corde *respiciat in cœlo & in terra.* *Psal. 112.*

## COLLOQVIVM.

PRECABERE Christum Dominum, vt postquam tam benignè Simeoni iusto, tãtum desiderium ipsum videndi, atque tiam tangendi, & in vlnas suas recipiendi impertiuit: tuam quoque animam diuinæ gratiæ auxilio expurgare velit, & ex ea facere templum, in quo ipse habitare non dedignetur, vt eum ante tuum ex hac vita excessum, & oculis mentis videre, & desiderij brachijs amplecti possis, & sicut ille tui causa voluit præsentari Patri, sic tibi largiatur gratiam, ita eum amandi vt aliquando ei præsentari possis in templo Hierusalem cælestis, ibique eius visione perfecta, & sempiterno gaudio perfrui.

## DOCVMENTA.

1. B. VIRGO *subijciendo se purificationis legi, non modo nihil incommodauit suæ puritati & sanctitati, sed eam magis hoc humilitatis actu illustrauit; exemplumq; præclarum reliquit omnib. hominib. Religiosis & spiritualibus; ne putent sancta mortificandi & humiliandi se consuetudine, bonam eorum existima-*

*mationẽ imminui, sed potiꝰ augeri. Eiusmodi n. exercitijs virtus ipsa cõseruatur.*

2. *CHRISTVS in sua præsentatione voluit sibi offerri par columbarũ, quæ erat oblatio pauperũ; Dominus in omnib. suis actionib. se humiliat, & minor vult videri, quã sit, idq; ad comprimendã nostrã superbiã, qui semper aspiramꝰ ad altiora, & in omnib. reb. volumus esse singulares, & maiores, quàm simus, videri.*

3. *SIMEON magno desiderio aduentum Saluatoris expectauit, non tam pro sua, quàm populi totius consolatione, & ideò gratiam obtinuit eum videndi. Tũc desideria nostra, & preces magis sunt meritoria, & efficaciores ad impetranda à Deo, quæ volumus, quo amplius se extendunt ad bona, non tam pro nostra, quàm aliena salute impetranda.*

4. *Dum Euangelista, postquã dixit Simeonem fuisse hominem iustum & timoratum, adiungit Spiritum S. in eo fuisse, non obscurè indicat, gratiã Spiritus sancti in eorum potissimum cordibus sedem suam figere, qui iustitiam & sanctũ Dei timorem conseruant.*

5. Nunc dimittis seruum tuum Domine, *inquit Simeon*, secũdum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. *Beati, qui non alia de*

causſa optant frui vſura huius vitæ, qui ob gloriam Chriſti, & ſalutem proxim. Talibus enim, vt viuere Chriſtus eſt, ſic mori lucrum, quia cum eo tendunt ad perpetuam facilitatem.

6. Et tuam ipſius animam, inquit Simeon, ad B. Virginem, pertranſibit gladius doloris propter ipſum. Tam vtilis ſalutaris eſt tribulatio, vt eam Chriſtus omnibus conſolationib. & gaudijs; quas ſua dilecta mater de eo habuit, intermiſcuerit. Quare in magno errore verſantur, qui omnes afflictiones execrantur, omneſq; huius vitæ labores fugiunt, & inſectandis voluptatibus, & quiete omnẽ felicitatem conſtituunt.

7. ANNA prophetiſſa multis annis in oratione perſeuerando, digna effecta eſt, quæ videret Dominum. Sic non arbitremur gratiam aut conſolationem aliquã ſingularẽ nos à Deo conſecuturos, niſi cõſtanter in obſecrationibus perſeueremus.

8. Anna frequẽtando templum, meruit conſolari cõſpectu Saluatoris Sanctum eſt, frequentare Eccleſiam: multa enim beneficia ſpiritualia, & gratias communicare ſolet Deus in illa, quas non cõmunicat in plateis, & vijs publicis, in quib. homines mẽte vagari ſolent, & maiores habere peccandi, quàm bene agẽdi occaſiones.

9. An-

9, *Anna prophetissa semper erat in templo, seruiens Deo in castitate, in cõtinuis obsecrationibus, & crebris ieiunijs. Deus mysteriorum vel cœlestium consolationũ suarum non reddit participes homines mundanos & carnales, sed qui omnibus huius mundi voluptatibus renunciant, carnem suam mortificant, & sanctis diuini seruitij officijs se occupant.*

# DE FVGA CHRISTI IN AEGYPTVM, EIVSQVE REDITV IN IVDAEAM.

## MEDITATIO IX.

### EVANGELIVM.

ANGELVS apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in AEgyptum, & esto ibi vsq; dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad per- *Matt. 2.*

dendum eum qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in AEgyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem. Ex AEgypto vocaui filium meum. Tũc Herodes videns, quoniã illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros qui erãt in Bethlehẽ, & in omnibus finibus eius à bimatu & infra secundũ tempus, quod exquisierit à Magis. Tũc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Vox in rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israhel, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israhel.

Au-

Audiens autem quod Archilaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ. Et veniēs habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictū est per Prophetas, Quoniam Nazareus vocabitur.

## FIGVRAE.

1. *IACOB persecutionem passus ab Esau, fugit, & peregrinatū abijt in Mesopotamiam, donec furor & indignatio fratris sui requiesceret.* Gen. 27.

2. *Moyses, à Pharaone ad cædem quæsitus, fugit in terrā Madian. Pharao timens Hebræos mandauit obstetricibus, vt omnes infantes masculos Hebræorum mox post partum interficerent.* Exod. 2. Exod. 1.

3. *Attalia ex cupiditate regnandi curauit occidi omnes filios stirpis regiæ solus autem Ioas minor filius regis saluus euasit, quem Iosaba soror regis absconderat.* 2. Reg. 11.

4. *Dixit Dominus ad Moysen. Va* Exod. 4.

*de & reuertere in AEgyptum, mortui enim sunt omnes, qui quærebant animam tuam.*

## PROPHETIÆ.

*Esa.19.* 1. ECCE *Dominus ascēdet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius.*

*Esa.29.* 2. *Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscēt Ægyptij dominū in die illa.*

*Hier.31.* 3. *Vox in excelso audita est lamētationis, luctus & fletus Rachel, plorantis filios suos, & nolentu consolari super eos, quia non sunt.*

*Ose.11.* 4. *Ex Ægypto vocaui filium meum.*

## CONSIDERATIONES.

*Punct.I.* CVM deuotissima virgo MARIA diuinæ legis præcepto obsecuta fuisset, & iam in Nazareth cum dilecto filio, & sponso Iosepho redijsset, vbi sperabat se inter amicos & cognatos cum quiete aliqua & solatio victuram, ecce media nocte, cum securi & omnis timoris expertes obdormissent, apparet angelus Domini Iosephò, eūque monet, Herodem quærere puerum ad perdendum eum, proinde acciperet puerum & matrem eius, & fugeret in

Ægy-

Ægyptum. O benedicte IESV, quàm citò incipis pati persecutiones & exilia, ac peregrinus pro nobis fugis in regionē longè remotam & incognitā. Heu quid mali, quid incommodi intulisti mundo, vt tàm citò minas intentet vitæ tuæ, & tantas in te excitet tēpestates; Bene dixisti, odio te habendum à mundo: nam in aduentu tuo ne locum quidem, in quo nasci posses, indulsit; opusque fuit, vt animalia tibi suum stabulū & præsepe, in quo tenera tua membra reclinare posses, accōmodarent. Iam vero vix natū conatur te à se eijcere, imo è viuis tollere. Et si in hac ætatula tam tenera, qua nōdum loqui cœpisti, tam capitalem inimicum se tibi declarat, quid faciet, quando eum iam ætate matura, sermonis efficacia, mirificisq; diuinæ cōuersationis signis & exēplis de peccatis, & iniqs operibº coargues? *Ioan. 15.*

2. CONSIDERA, quomodo Ioseph post factam tibi reuelationem, non fuerit aut diuino oraculo incredulus, aut nouitate nuncij offensus angelo respōderit: Tu paulo ante dixisti infantulū hunc Saluaturum populū suū, & iam in præsenti periculo non potest saluare seipsum, nā si posset, quid opus tanto labore, tā lōginqua profectione? *Ioan. 7.*

Ni-

Nihil horum dixit; sed, vt erat homo fidelis, nec sapere volebat plus quàm oportet, promptè obediuit, totamque rem mox B. Virgini, vti erat ab Angelo exposita, patefecit. Vbi cogita quomodo hoc nouo nuncio primum commota sint Virginis viscera; deinde quomodo, vt erat obedientissima, se collegerit, & de salute filij sollicita sine mora se ad iter compararit. Considera quanto dolore pia Mater cogatur infantulum adhuc dormientem tollere è lectulo, nec dubium quin mox illo ex intempestiua excitatione grauiter plorante, illa quoq; ad lacrymas commota fuerit, partim ei cõpatiendo, partim considerans has esse contradictionum, dolorumque primitias, quas sanctus Simeon illi prædixerat. Ad hæc, quòd, quæso solatium Virgini iuuenculæ esse poterat, in tenella ætate, patria domo & solo excedere, & in regionem longinquam, per vias inuias & ignotas defugere? Quidnam minùs decens vel conueniens esse potuit, quàm per tam longa itinera, horrida deserta, mille discrimina in brachijs ferre tenerum illum & innocentem puerulũ, habitare cum tanto incommodo in aliena terra, inter gentes barbaras, vbi

neque

neque domus suppeteret, neque lectus, nec alia ad filium benedictum alendum & conseruandum necessaria. Si enim inter ciues suos non aliud obtinuit quàm stabulum, & præsepe in quo illum collocaret, quid obtinebit apud barbaros & infideles? Verum promptè obsequendi desiderium, & eximia in Dominum fiducia, cuius se voluntati deuouerat, fecit, vt magno animo exilium hoc susceperit, omnesque vicerit difficultates. Quę enim causa illi potuit esse vel timendi, vel non confidendi de felici exitu, si Deus erat, qui hoc iter illi mandabat, si Deus eam abeuntem comitabatur, imo si ipsa Deũ brachijs suis portabat?

3. EIA ergo anima mea euigila tu quoque, & oculis lachrymantibus aspice regem gloriæ, & mansuetissimum illum agnum lupi rapacis insidias fugientem. Vide sanctam Virgunculam in tam tenera ætate abeuntem in terram alienam & peregrinam, ac sanctũ senem Ioseph magna cura & sollicitudine circum cursitantem, & vtriusque necessitatibus prospicientem. Adiunge te quoque comitem in hac via, & roga B. Virginem, vt te oneris sui, in deportando dulci filio velit facere partici-

ticipem. Et si fortè assenserit, perpe
de tecum, ipse qui soles fugere labore
& quærere quietem, quanto vultus i
sudore, quanta afflictione corporis
angore mentis, deferens in brachi
pretiosum thesaurum B. Virgo ta
longam peregrinationem absoluer
Quo studio cauerit ne puerulus vel
urno æstu, vel frigore aut pruinâ no
cturna læderetur. Deniq; quanta auste
ritate vitæ, cum sæpè panis ad victum,
sæpè aqua ad potum deesset, viam illi
percurrerit. O quoties nocturnis obru
ti tenebris, nulla in desertis illis locis re
perta habitatione, vel etiam, quæ ge
rētur, arbore, coacti sunt humi sub pa
tenti cælo dormire, & huius lecti dura
tie fessis corporibus, maximè autem pu
erulo IESV, potiùs afflictionem, quam
requiem, afferre.

4. CONSIDERA, quomodo fugiat Domin⁹ tuus, & nocte fugiat, & fugiat in Ægyptū. Nō sanguinolentus Herodis gladius, sed lethalis nostrorū peccatorum gladius Christum fugauit, hic Christū quodammodo è patria cælesti expulit. Imò immensus ille amor, quo in nos ferebatur, desiderium salutis nostræ eum de cælo detraxit, ad peregrinationem in huius tenebrosi sæculi

li Aegypto faciendā. Fugit itaq; Saluator, vt nos reuocaret ab exilio & patriæ cælesti restitueret: fugit noctu, & in Aegyptum fugit, vt prę significaret fidem sanctam, verumque Dei cultum è Iudæa exulaturum, & populo illo noctur nis incredulitatis tenebris obruto, migraturum ad gentes. Voluit quoque Deus filium suum ire in Ægyptum, vt post tot flagella olim isti populo inflicta, filius nunc illis esset pacis & amicitiæ symbolum, vnaque medicina omnes decē Ægypti plagas curaret. O mutatio dexteræ excelsi, vt ij, qui quondā acerrimi persecutores fuerant populi primogeniti Dei, nunc fiant vnigeniti eius filij custodes & patroni. Fugisti denique, ô bone IESV, à facie impij Regis, & pendens adhuc è mammillis maternis, imitatoribus tuis, instar boni Magistri lectionem patientiæ, non verbis, sed exemplo prælegisti, adimplendo in te, tuaque pia mātre, quod postea docuisti, dicens. *Cum vos persequentur in ciuitate ista, fugite in aliam.*

*Esa. 4.*
*Matth. 4.*

*Math. 12.*

5. CONSIDERA deinde, B. Virginem; vbi in Ægyptum peruenit, non ibi inuenisse paratum, aut regium palatium tanto filio dignum, aut copiam

copiam thesaurorum ad artus fessos reſocillandos, sed vt ipsa pauperculae rat & peregrina, ita & in pauperem vilemque se recepisse domunculam, & labore manuum suarum vna cum lo sepho tenuem victum comparauisse. Nihil hic superuacaneum, nihil curiosum videre licebat, non duplicia nec mollia vestimenta, non lectorum lautitiam, non supellectilis copiam, sed vix aderant necessaria, eaq; vilia & inculta, quæ potius seruiebant ad operiendam nuditatem, & tuendam vitam, quam ad commoditatem vel voluptatem aliquam creandam. Hæc sunt stipendia, quibus puerulus IESVS pro tuis peccatis, vna cum sanctis suis Progenitoribus totos septem annos vixit in Ægypto.

6. CONSIDERA, quanta cura & vigilantia B. VIRGO, toto hoc Septennio, dilectum filium suum custodierit, quanto amore & sollicitudine educarit, qua cautione, quaq; reuerentia contrectarit illum, quem sciebat suum esse Dominum & DEVM; Vnde cogita, quanta religione eum semper flexis genibus è cunis receperit, & in illas reposuerit; quanta fiducia & autoritate materna amplexus sit, oscula dederit; & suaui-

ſuauiter pectori ſui applicuerit, quanto ſtudio tenera eius membra vilibus panniculis inuoluerit, & in omnibus neceſſitatibus ei officioſiſſimè miniſtrarit. O quàm libenter illi præbebat lac è ſuis vberibus? quo in officio, interim dum lactat panem illum de cælo delapſum, manna ſuauiſſimum, (quo ſimul ipſa à filio paſcebatur) non dubiũ eſt, quin præ alijs mulieribus ſenſerit dulcedinem quandam ineffabilẽ. Similiter cogita, quoties ſanctus Senex Simeon brachijs ſuis illum ſuſtinuerit, quanta lætitiæ ſigna dederit in vlnis ſuis illum tenendo, & cibum porrigendo illi, qui erat panis Angelorum. Poſtea IESVS annis creſcens, ſuiſque paulatim pedib. hinc inde ambulans; quàm dulce & iucundum putas, præbuit ſanctis parentibus ſpectaculum cum animaduerterent æternum Regem, qui è cælo totũ gubernabat mundum, in domuncula illa officijs humilibus ac vilibus occupatum? Verũ hæc tua, ô ſacra Virgo, ſolatia non fuêre omni amaritudine vacua: quid enim æque affligere piũ tuum pectus potuit, ac tot annis morari inter infideles, apud quos omnis religio & veri Dei cognitio exulabat, dominabatur autem

ſuper

Gen. 13. 2. Pet. 2. superstitio & cultus dæmonum ? D
Sancto LOTH scriptum est, quod no
fandi illi homines, inter quos habita
bat, de die in diem eius animam iustam
iniquis operibus cruciabant: quàm
magis tu, qui maiori, quàm ille, & ci
ritate & gratia prædita eras, affligide
bebas, inter similes homines, cùm vi
deres tanta ignominia affici Deum, &
tot animas præcipites ruere in infer
num?

7. CONSIDERA, quomodo Herodes, animaduertens Magos non reuerti; vel quod suspicaretur eos vi sione stellæ deceptos præ pudore non ausos reuerti, vel quod alia forte negotia illis inciderint, ab omni inquisitione Christi nati tunc abstinuerit: verum postea crescente per vrbem fama, propter ea quæ in templo acciderant, suspicari cœperit omninò se à Magis deceptum; Quare partim ex indignatione, quod ab illis esset contemptus, partim timore amittendi regni, mandauit occidi omnes Bethlehemiticos infantes, ne euaderet ille, quē tantoperè reformidabat. O beata Bethlehem terra Iuda, quę ob toleratam erga filios tuos impij Tyranni immanitatem ex eorū innocentia & pretiosa morte, ve-

lut

lut ex candidis lilijs, & purpureis rosis floridū sertum pro tui Dei & regis in te nati capite cōtexere meruisti. Sunt itaque in sinu propriarum matrū tenelli illi infantuli crudeliter mortui. O beata ætas. Lingua necdum poterāt confiteri Christum, & iam digni facti erant mori pro Christo. Vix habebāt corpora ad accipienda vulnera, & habebant tamen, quibus pro Christo paterentur. O quam fœlix fuit natalis dies eorum, in quorum primo ingressu in hanc caducam vitam mox occurrit æterna vita. Non erant adhuc maturi ad mortem, & fœliciter moriuntur ad vitam. Vix subierant cunas infantiæ, & iam ad coronas hominum robustorum peruenerunt. Abstracti è brachijs matrum, sed deportati in sinum Angelorum. Nihil tibi profuit, ô infœlix tyranne, crudelis feritas, martyres enim facere potuisti, at Christum inuenire non valuisti, plus iuuisti beatos infantulos tuo odio & ferocia, quàm iuuare potuisses amore & multo seruitio. Exuere voluisti Saluatorem regio solio, at non venerat ille, vt alienàm vsurparet gloriam, sed potiùs vt suam alijs impertiret, non vt regnum terrenum inuaderet, sed vt

nos

nos cæleſti regno donaret; Non ve
ad dominandum alijs, aut ad caput
pretioſo diademate ornandum, ſed
toleranda opprobria, iniurias, cruce
& ad caput ſuum coronæ ſpineæ ſub
ciendum.

8. EXPENDE hic quantum fer
cia illa & malitia Herodis dulciſſimu
cor IESV pupugerit, cum immanis il
bellua tanto odio arderet in Saluatori
vt ad ipſum ſolum è medio tollendu
tantum infantium numerum mort
addixerit. Quod quidem ſine ſpecial
ſapientiæ diuinæ prouidentia factum
non eſt, vt nimirum puerulus IESVS
iam tum mortificationem crucis in pe
ctore ferens, in ſui ortus initijs, ſocios
haberet hos infantes ſua cauſa trucida
tos, typum & ſymbolum futuri ſtatus
ſanctorū Martyrum. Sicut & deceptio
Herodis in occidendis infantibus, ty
pus fuit deceptionis Tyrannorum in
occidendis martyribus. Vt enim He
rodes, non læſit pueros, quos occidit,
ſed coronauit: multo autem minùs cō
ſecutus eſt, quòd quæſiuit; ſic impij
Tyranni ſua perſecutione martyribus
non nocuerunt, ſed coronam auxerūt,
& religionem Chriſtianam, quam ſua
crudelitate exſtinguere moliebantur,

magis

magis illustrarunt & amplificarunt.

9. POST septem annos exactos angelus iterum apparuit Iosepho, eique mortem Herodis patefecit, ac mandauit, vt vnà cum B. Virgine, & puero rediret in terram Israhel. Vbi considera, Dei prouidentiam erga suos, in medio persecutionum, exiliorum, & afflictionum eorum recordantis, & suo tempore auxilium præbentis & consolantis. Plurimum hoc nouo nuncio bonus Ioseph, cum B. Virgine recreatus est & corroboratus, sed itineris labor in hoc reditu longè maior & difficilior fuit, quàm in priore aduentu, in primis puero IESV, qui, vt corpore iam grandiusculo, nec poterat commode amplius à matre deportari, nec per ætatem teneram poterat ipse tam longum iter conficere. Compatere itaque anima mea, nec parce lachrymis in consideratione afflictionis tui dilecti Iesu, eiusque teneræ Matris, & aduerte sicut alter alteri, mater filio, & filius matri vicissim in laboribus illis compatiebantur, sic ambos duplici cruce pro nobis fuisse crucifixos. O anima mea, vtinam lectulus esse potuisses fatigati IESV, quando cogebatur iacere in terra: vtinam ex corde tuo igne caritatis potuis-

ſes conficere panem in cibum fi
matris, quando in deſertis locis n
ad comedendum inueniebant; vtina
lachrymarum tuarum abundantia
tuiſſes vtrique porrigere pro refri
rio hauſtum aquæ recentis frigidæ,
ardentem eorum ſitim reſtinguere
Ad minimum, cùm videas eos
laſſitudine in ſummo æſtu humi ſe
re, nec habere vmbraculum vllum q
ſe operiant vel defendant, extende
dilata verſus illos, quantum potes, tu
caritatis & compaſſionis viſcera, & ſi
liud non potes, vt minimum offer
lis, vmbram compatiendi, & verum
perfectumque propoſitum illis ſeru
endi.

10. VT denique in Iudæam perue
nerunt, non ibi Chriſtus Ieſus verus
Dauidis hæres in Regem coronatus
fuit, ſed rurſum coactus eſt in partes
Galilææ defugere, ſecundum admoni
tionem ab angelo factam Ioſepho, eò
quod loco defuncto Herodis regnum
Iudææ obtinuiſſet filius eius Arche
laus paternæ crudelitatis hæres. Heu
dulcis Ieſu, quàm verum eſt, quod ſcri
ptum eſt per Prophetam, te *in caritate*
*perpetua dilexiſſe nos.* nam tota vita tua
à primo momento natiuitatis tuæ vſq;
ad

*Ierem. 31.*

ad extremum spiritum redditū in cruce nō aliud fuit, quàm perpetuū quoddam Pati pro nobis. Nondum erat fabrefacta crux, & tamen indè ab incunabulis acerbitatem fructuum eius probare cœpisti: nondum crudeles illi ministri præbuerant myrrham & fel, & iam cum lacte materno eorum amaritudinem degustasti; Nam quid aliud fuit paupertas & vilitas præsepij, circumcisionis dolor, Herodis persecutio; exilium Ægyptium, lassitudo itineris, denique timores, afflictiones, & lachrymæ tuæ dilectæ matris, quā crux quædam toties repetita, ac fel pientissimo cordi tuo porrectum? O anima mea, si viscera caritatis in te sunt, ne amplius ingrata sis erga illum, qui te tantopere amauit; ne peccatis nouas cumules pœnas ei, qui tanta pro te pati voluit.

## COLLOQVIVM.

ORABIS Christum Dominum, vt, quoniam in tam tenera ætate pro te pati cœpit persecutiones & exilia, permisitque vt sua caussa innocentes pueri tam crudeliter enecarentur, tibi quoque largiatur gratiam eandem atque etiam mortem ipsam, si opus

esset, sui amore fortiter perferendi, o
nes quoque prosperitates & aduersi
tes huius mundi contemnēdi, vt cū
socius fueris eius passionum, socius
iam fias consolationum. Et sicut ille
Ægypto reuocatus, voluit redire in
ram Israhel, sic te aliquando ex hu
tenebrosæ peregrinationis Ægypto
uocare velit, & secū in veram prom
sionis terram, nempe cęlestem patri
deducere.

## DOCVMENTA.

1. *IOSEPH monitus ab Angelo de fu
ga in Ægyptum, licèt res adhuc lo
gius abesset à periculo, mox nulla inter
sita mora nocte surrexit, & cum Mat
ac puero in viam se dedit. Quo infaū
religiosi præclarum exemplum haben
& promptitudinis, quam debent ostend
re in perficiendis Superiorum suorū ma
datis, & simplicitatis iudicij, ne velint
occupare in dijudicanda superiorum vo
luntate, recténe, an secus, hoc vel illud
mandarint.*

Eccl. 2. 2. *Christus simulatq; natus est cœpit
pati persecutiones & exilia. Vnde disci
mus, nos conuenienter dicto sapientis, ab
initio vitæ nostræ debere paratos esse ad
ten-*

tentationem; nec turbari, si quando variis afflictionibus agitemur: scientes inseparabilem virtutum comitem esse tribulationes.

3. Christus ab Herode persecutus fugit in Ægyptum, vt daret nobis exemplum non resistendi persecutoribus, aut vindictam de ijs sumendi: Debemus enim potius eorum persecutiones patienter tolerare; & furori eorum cedere, imò pro eis, vti nos Christus ipse docuit, orare.

4. Christus caput nostrum & Pastor fugit persecutionem Herodis, non quod timeret, sed vt exemplum Prælatis & Pastoribus daret fugiendi persecutiones, si quando eorum salus est Ecclesiæ necessaria, & subditi ex eorum absentia nullũ patiantur detrimentum: id enim & Dominus ipse Apostolis consuluit.

5. Fuga quoq; Christi in Ægyptum significat quemadmodum homo iustus à periculo peccati, confugere debeat ad statũ pœnitentiæ, in quo perseuerandum ei est vsq; ad obitum Herodis, hoc est, donec cessent impugnationes inimici, & affectus animi sint mortificati. Matt. 10.

6. Christus ab exordio vitæ vsq; ad mortem continenter passus est persecutiones, sic Christianus, qui vult imitari Christum, cogitare debet, totam vitam suam

debere esse continuã tentationem, secundum dictum patientissimi Iob. Tentatio est vita hominis super terram. Et Apostoli. Omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu persecutionem patientur.

Iob 7.
2. Tim. 3.

7. Qui opere vel consilio conantur impedire aliquod bonum opus, similes sunt Ægyptijs, qui curarunt occidi omnes infantes populi Israëlitici: imò cum Herode persequuntur Christum, vt eum occidant in ipsa natiuitate.

8. Ioseph ex Ægypto reuersus in terram Israhel, etiamsi sciret Deum esse protectorem pueri Iesu, nec quenquam posse ei nocere, tamen metu Archelai, Herodis filij, noluit redire in Iudæam. Vnde discimus homines iustos, quantumuis sanctos, & de sua in virtute constantia & salute securos, non debere se obijcere periculis, & Deum tentare, sed debere fugere omnes occasiones, qui eos in periculum peccati aliamue tentationem conijcere possent.

QVO

QVOMODO

# B. VIRGO PVERVM IESVM AMISSVM INVENERIT IN TEMPLO.

## MEDITATIO X.

### EVANGELIVM.

CVM puer IESVS factus esset annorũ duodecim ascendẽtibus illis in Ierosolymã, secundum cõsuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cùm redirent, remãsit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentẽ in medio *Luc. 2.*

doctorum, audientem illos & interrogãtem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illũ, Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his quę patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth.

FIGVRÆ.

Gen. 37. 1. *RVBEN non inuento puero Ioseph, totus animo consternatus dixit:* Puer non comparet, & ego quò ibo?

Tob. 10. 2. *MATER Tobiæ videns filium suũ statuto die minimè reuersum, metuensq; amissũ, flebat irremediabilib. lachrymis atq; dicebat.* Heu heu me fili mi, lumen oculorũ nostrorũ, baculꝰ senectutis nostrę solatiũ vitæ nostræ, & spes posteri-

ſteritatis noſtræ, te non debuimus dimittere ire à nobis, cùm autem illa conſolari nõ poſſet, quotidiè exiliẽs circũſpiciebat, & circuibat vias oẽs, vt procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem.

## PROPHETIÆ.

1. *INdica mihi quẽ diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Can 1.
2. *Quæſiui eum, & nõ inueni, vocaui illum, & non reſpondit mihi.* Ibid.
3. *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quaram quem diligit anima mea.* Can. 3.

## CONSIDERATIONES.

CONSIDERA, qùomodo Chriſtus ætate creſcens, ſemper magis magiſq; declarabat gratiam & virtutes in ſe reconditas. Vnde & omnes crederent, illum verè noſtram aſſumpſiſſe naturam, neceſſe fuit vt eius rei clara & manifeſta quædam teſtimonia ederet in infantia ſubijciendo ſe neceſſitatib. humanis. Et talem viderunt Paſtores, inuenerunt Magi, & Symeon cognouit: nullaque re oſtendit ſe diſſimilem alijs infantibus. Verùm quia ad ſalutem ne- Punct. 1.

ceſſarium erat, credere illum nõ ſol
verũ eſſe hominẽ, ſed etiam verũ D
qui vtranq; naturã coniunctã habe
in perſona filij Dei, ſic diuinę ſuę ſap
tiæ & potentiæ ſigna temperauit, vt
la cum incremento ætatis creſceren
magis magiſq; mundo patefierent.
quia id quoq; cõueniens erat, vt in p
ritia appareret eũ non aſſumpſiſſe cu
natura noſtra peccatũ vel ignorãtia
ideò hodie hic ſol iuſtitiæ aliquos di
nitatis ſuę radios prodit, faciendo qu
dã quæ ætatẽ & humanã prudentiã ſu
perant; vt quod à matre repertus ſit
tẽplo in medio doctorũ audiens eos, &
interrogans: qui omnes ſtupefacti ſun
de modeſtia & humilitate in audiendo
alijs, de prudentia in interrogando, &
diuina ſapientia in reſpondendo.

2. ASCENDIT itaq; Ieſus vnà cum parentibus Ieroſolymam. Tres erant ſolennitates, quibus ex diuino mandato omnes maſculi è populo apparere debebant in Dei conſpectu in templo Ieroſolymitano, vti ſcriptũ eſt in Exod. *Tribus temporib. anni apparebit omne maſculinũ tuũ in conſpectu omnipotentis Domini Dei Iſraël.* Inter has ſolennitates erat feſtũ Paſchę. Eas autem adire lege tenebantur, ſoli maſculi, non autẽ fœ-

Exod. 34.

fœminæ. Legislator enim prudentissimus, medici sapientissimi instar, qui ita applicat vni membro medicinam, vt alteri non noceat, imbecillitatis fœminei sexus conscius, noluit, quod valeret ad religionem obesse pudicitiæ; proprium siquidem est fœminarum, domi se continere, non in publico versari. Nihilominus zelosa Mater, licèt lege illa non teneretur, maluit se comitem adiungere filio. Maria enim à Iesu diuelli non poterat; nec tam religione festi, quàm pietate filij ad hanc profectionem incitabatur. Non eam obligabat præceptum legis scriptæ, sed constringebat lex amoris. Nec poterat in discrimen venire pudicitiæ, quæ angelis erat purior, & in eius comitatu erat, qui est ipsa puritas & sanctitas. Et quomodo quæso, induci potuisset, vt illum à se dimitteret? An non si quis certo sciret secum esse ipsum Deum, molestissimũ esset separari ab eo?

3. CONSIDERA, quomdo Iesus etiam in pueritia longis itineribus se defatigarit, & omnes solennitates cum matre adierit, ad maiorem cælestis Patris gloriã, ipse Dominus legis humiliter legem obseruarit. Ita enim facere congruebat ei, qui in mundum vene-

rat, vt omnis perfectionis & humilitatis exemplar esset. Diebus verò solemnitatis transactis remansit Hierosolymis puer Iesus, non casu, nec ex negligentia vel obliuione parentum, sed destinata sua voluntate, & propria deuotione, vt inde à puero demonstraret quo studio & zelo religionis & gloriæ paternæ promouendæ arderet; exemploque suo nos commonefaceret, quamdum corporis vires, domesticæ occupationes & proximi necessitates, ferunt, sacra & diuina exercitia non negligeremus. Noluit autem id indicare parentibus, quia nũquam, vti erant magnopere solliciti de eius incolumitate, ei protestatem fecissent Hierosolymis in templo permanendi.

4. *Existimantes autem parentes illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos, & non inuenientes regressi sunt in Ierusalem.* Mos erat Iudæis, vt in peregrinationibus faciendis, viri à mulieribus essent seiuncti, pueris solis licebat vtrilibet parti se adiungere. Hæc causa erroris fuit parentibus IESV, vt nempe mater existimaret eum esse in comitatu virorum; Ioseph verò in comitatu mulierum. Cùm ergò vterque

sub

sub vesperam in vnum diuersorium appulsi deprehenderent abesse puerulum, dici no potest, quantus dolor pium & tenerum B. Virginis pectus in uaserit, quantis suspirijs & gemitibus anxia mater omnia complerit. Si rex Dauid tantopere doluit de morte scelerati filij sui Absolonis, vt ipse optarit mori pro illo; & si Iacob tot filijs circundatus, pro vno Iosepho, quem mortuum credebat, tam grauiter planxit & doluit, quantū putamus doluisse B. Virginem tanto filio destitutā? Lugebat partim ex amore, quod iucundissimo dilecti sui conspectu careret; partim ex humilitate, quod indignam se iudicaret, cui tam pretiosus thesaurus commissus esset, quasi ob exiguam diligentiam & reuerentiam erga eum demonstratum non esset digna eum retinere. Vnde existimandum est, eam lachrymosis oculis in cælum coniectis in hunc modum allocutam Patrem cælestem. Si hactenus aliqua in re oculos diuinæ Maiestatis tuæ offendi, si peccaui, ecce corpus meum paratum ad excipiendas omnes pœnas iustitiæ tuæ debitas. Misisti ô clementissime Pater fulgentem stellam, quæ ab extremis terræ oris Magos deduce- *2. Reg. 18. 19.*

ret ad filij tui præsepium, mittenu
quoque lucis tuæ radium qui me re
ctà deducat in filij tui amplexus, de
monstra mihi vbinam sit dilectu
meus, vbi pascat, vbi cubet in me
die. O angele Dei qui nuncium tan
tæ lætitiæ olim tulisti, si verum est
Dominum esse mecum, vti affirmasti
quomodo hodie subtracta eius præ
sentia oppletum est cor meum ama
ritudine? Et si gratiam inueni apud
Deum, vt dixisti, ob donatum mihi vni
genitum Dei filium, qua de caussa ho
die omni videor excidisse gratia, & tan
to dono spoliata? O Deus cordis mei, o
dilecte viscerum meorum, quid in me
vidisti, vt debueris me tali modo dese
rere? Ne quæso abscondas faciem tuam
à me ampliùs, sonet vox tua in auribus
meis, & exoptatæ præsentiæ tuæ læti
tia ad me redeat. Hæc, aliaque eiusmo
di erant B. Virginis lamenta. Ex alia par
te considera, quid dixerit vel fecerit bo
nus Ioseph, qui gemino dolore tactus,
tum ob filij amissionem, tum ob ma
tris compassionem, nec requiem pedi
bus suis, nec oculis somnum dabat, to
tosque dies & noctes cum mæsta spon
sa sua in pane doloris & aqua lachryma
rum iciunans transigebat.

5. HIC

1. HIC perpende, quomodo B. Virgo, dum tota anxia quærit, & non inuenit amissum filium, maioresque animi experitur dolores in quærendo, quã sensérat in patiendo, coacta fuerit eum appellare non iam gaudij, sed doloris filium, exemplo Rachel, quę postremũ filium suum, in cuius partu tantis oppressa est doloribus, vt morti proximã se crederet, appellauit nõ Beniamin, id est, filium dextræ, vti vocarat Pater, sed Benoni, id est, filium doloris. O anima mea, si mica pietatis in te est, compatere afflictæ matri tui Iesu, iuua eũ in quærendo dilecto cordis sui, iuua compassione & desiderio mentis, quære pro ipsa, imò quære pro te. Nam IESVS spiritualiter nunquam discessit à cara matre sua, à te aũt, heu, quoties discessit? imò quoties peccatis tuis eũ expulisti à te? & fortè etiam nunc, dum putas eum esse tecum, longe abest à te. Quare si desideras inuenire IESVM, quære eum cũ dolore & lachrymis, sicut eum quæsiuit mater eius: quære eum vnà cum Matre, vt per eius preces, & auxilia possis eum citius inuenire. Cõsidera ergo nunc quomodo hæc pura & simplex columba, quæ solita erat continere se domi, & latere in foraminib⁹ petræ,

diui-

diuina mysteria contemplans, & cum angelis sola conuersans, iam amoris vehementia quasi capta extra se foras se prodat, & per publicas vias vrbis Ierusalem incedat gemens, & ab omnibus obuijs rogans de statu dilecti sui, ac dicens. *Cant. 5.* *Nũ quem diligit anima mea vidistis? adiuro vos filiæ Ierusalẽ si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei quia amore langueo.* Illa autem interrogata his verbis *Qualis est dilectus tuus pulcherrima mulierũ, quia sic adiurasti nos*, respondit. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.*

6. CONSIDERA, vnde puer Iesus, tribus diebus, quibus remansit in Ierusalem, habuerit victum, nec enim verò simile est eum miraculosè ab omni abstinuisse cibo, aut miraculosum sibi cibum procurasse, (quandoquidem nondum cæperat facere miracula) Quare superest, vt ex eleëmosynis piorum, quas ostiatim emendicabat, vixerit. Quod pijssimè creditur de Christo, quem nunquam puduit, erubescente licet mundo, quicquid per se honestum est agere, & causa nostra magna mansuetudine tolerare. Dic ergo bone IESV, vbi fuisti his tribus diebus? quis cibum obtulit? quis dedit hospi-

hoſpitium? an fortè fuiſti in xenodochio aliquo, & in pauperum numero domicilium habere petiuiſti? An fortè, vt plus patereris, & pudefieres magis, omnes plateas Hieroſolymitanas vnà cum alijs pauperibus mendicus obiuiſti, alijs ex miſericordia tibi eleëmoſynam porrigentibus, alijs verò denegantibus? O fælicitatem eorum, quibus gratia contigit tibi in neceſſitate tua ſuccurrendi, & pijs manibus inopiam tuam ſubleuandi, dum per vrbem oberrares. Vade & tu anima mea, adiunge te ſocium pauperi IESV, & vnà cum eo eleëmoſynam pete, imò pete eam ab ipſo. O quàm beata eſſes, ſi vel particulam panis illius diuinis manibus tractati conſequi poſſes, & te tam ſancti cibi reliquijs ſatiare & impinguare. Voluit Dominus ſuæ paupertatis exemplo primo prouocare diuites ad miſericordiam, & cognoſcere, quicquid præſtarent pauperibus ſe ipſi Chriſto præſtare. Secundo ad ſolatium pauperum, vt maiori patientia paupertatem tolerarent, vel certè, omnibus propter ipſum relictis voluntariè eam amplecterentur; certoque ſcirent, eos qui in hac vita participes fuerint exilij & paupertatis ipſius, in altera quo-

ta quoque fore cõsortes regni cælestis

7. *ET factum est, post triduum inuenerunt illum in tẽplo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.* Erat puer IESVS in medio, vt Magister doctorum, interrogans eos, ad illuminandum eos, & ad aperiendum scripturarum sensum. Audiens quoq; illos, vt suis sapientibus responsis eos cælestem doctrinam doceret. Vtinam præsens aliquis esse meruisset huic spectaculo, vidisseteque sepientiam ęternã, verbum illud increatum, à quo Cherubini omnem suam hauriunt scientiam, & omnes linguæ insipientium erudiuntur; in forma pueri attentè audientem, & quasi non discendi caussa veniſſet, promptè ad quæstiones Doctorũ respondentem. Qui si obstupuerunt ad prudentia eius responsa, quantum admirati fuissent, & obstupuissẽt, si sciuissent, eum qui erat in medio eorum interrogans, audiens, & cum eis colloquens non esse puerum hominem, sed ipsum DEVM. Quid, quæso iucundiùs esse potuit, quàm in illum amęnissimum vultum oculos conijcere, verba gratiæ plena ex diuino ore prodeuntia auribus percipere? Non dubito, ipsos Angelos sanctos incredibili

dibili humilitate sui Creatoris stupefactos, de cælo descendisse, & maxima voluptate auscultasse, gauisosque se esse illius cælestis Magistri discipulos, quem tanta animi submissione, instar discipuli, inter homines versari cernebant. O mater beatissima, quis verbis explicare poterit magnitudinem gaudij tui, ex conspectu desiderati filij tui perceptum? Tunc clarissimi Solis præsentia illustrata est anima tua, dilatatum est cor, & fugato timore & turbatione, restituta est tibi pax, & lachrymæ doloris, in lachrymas gaudij sunt commutatæ. Tunc aduocare poteras angelorum choros, & inuitare, vt tibi gratularentur, de inuenta pretiosa drachma & cælesti margarita tanta sollicitudine quæsita. *Luc. 15.*

8. CONSIDERA, quomodo obediens IESVS matre sua conspecta, mox è medio Doctorum digressus, vultu hilari & læto ad eam accurrerit. Vbi cogita quanto amore eum receperit, quo studio amplexa sit, constrinxerit, tenuerit, nec dimiserit; qua autoritate materna, non reprehendens, sed causam facti requirens, ei dixerit. *Fili, quid fecisti nobis sic?* cur nullo verbo caræ matri tuæ indi-

indicasti te velle remanere Hierosolymis? cur tanto dolore, tot dierum absentia, nos afficere voluisti? *Ecce ego & pater tuus dolẽtes quærebamus te.* Quid ergo benedicta, cur nunc tantam demonstras humilitatem, nominando Ioseph sponsum tuum primo loco, nunc tantam vsurpas autoritatem, vt prima filium tuum & alloquaris & interroges. Sed facilè apparet amore te ad loquendum impelli. Amor enim patiens non est, non ratiocinatur, ordinem & modum negligit. Multum amasti sponsum tuum, sed plus amasti filium tuum. Vnde sponso in nominando primum locum tribuisti, sed filio in loquendo. Vt enim maiore amore ferebaris in illum, & maiore dolore ob eum amissum afficiebâre, sic etiam impulit te vt prima esses quę eum alloqueretur.

## COLLOQVIVM.

ORABIS Christum Dominum, vt, sicut ille tribus diebus ab afflicta matre quæri, & tãdem in tẽplo reperiri voluit, dignetur tibi quoque largiri ardens desiderium sui, vt desiderando eum quæras, quærendo inuenias, inueniendo ames, & amore ipsius vitam corrigas, eaque correcta non eum amplius

plius offendas. Deinde, cùm ille sit Dominus, qui omnibus dat, quod petunt, & inueniri se sicut, ab ijs qui eum quærunt, ne tibi pauperi & misero negare velit, quod omnibus tam liberaliter impertit.

## DOCVMENTA.

1. *BVIRGO quotannis cũ puero IESV, secundum mandatũ Legis ibat Hierosolymã ad celebrandũ Paschа. Si Christus legis auctor voluit se subijcere legi, quãto magis nos peccatores & serui, debemus nos humiliare, & omnibus eius legibus subijcere. Vbi id quoque monemur, hominem Christianum diebus festis non debere vacare rebus profanis, ludis, choreis, spectaculis, comessationibus, alijsq; mundi vanitatibus, sed frequentare Ecclesiam, audire conciones, diuinis officijs, alijsq; Christianæ pietatis exercitijs interesse.*

2. *Si Ioseph puerũ Iesum tam longè itinere Hierosolymam deduxit ad celebrãdum Paschа; non minùs studiũ & curã adhibere debent parẽtes in educãdis suis filijs, assuefaciẽdo eos ad pietatẽ & cultũ diuinum, ad obseruanda festa, aliaq; virtutis & religionis exercitia.*

3. *IESVS, neque conscijs, neque cõsentientibus parẽtibus remansit in tẽplo, hoc*

*fac-*

facto indicans, filios cùm peruenerint ad annos discretionis, attigerintq; ætatem à Sacris canonibus decretam, posse sine facultate parentũ, vel etiam contra eorũ voluntatem (nisi necessario eorũ opera indigeãt) eligere perfectionis statum, & diuino seruitio se dedicare.

4. SI Christus permisit dilectæ matri suæ in tanta afflictione esse, non debemus perturbari, si Deus aliquando permittat nos aliqua tentatione affligi; id enim non fit, quod nos aut deserat, aut minùs diligat, sed potiùs maioris erga nos amorũ signum est, secundum illud. Quos amo, arguo & castigo. Apoc. 3.

5. IESVS in medio Doctorũ erat audiens & interrogãs illos, non causa discẽdi; nã erat ipsa sapientia, sed vt nos modũ discendi doceret; nẽpe, vt non pudeat nos ab alijs quærere, quæ nõ intelligimus, nec velimus potiùs, quod superbi quidã faciunt, hærere in errore, quã ab alijs doceri. Voluit quoque Dominus hac re exemplũ relinquere humilitatis, primo aures præbẽdo alijs, deinde alios instruere: vt doceret nos magis promptos esse debere ex humilitate ad audiendum, quàm ad docendum. Stultus enim reputatur, qui respõdet, antequam audierit.

6. Si sanctissima mater Iesu post adhibitam

bitam omnem curam & diligentiã, sine vlla sua culpa destituitur corporali praesentia sui filij, nos qui pleni sumus peccatis, quantam curam & studium adhibere debemus, ne spiritualiter IESVM Dominum nostrum amittamus?

7. Sicut B. Virgo Christum perdidit sine vlla sua culpa; sic solet Dominus nonnunquã se à suis subducere & occultare, non tollendo gratiam, sed suspendendo cõsolationem, idq; ad maius eorum commodũ, vt, nimirum, in ea quarenda sint ardentiores, & inuentam studiosius custodiãt. Vnde quando homo nullum in conscietia remorsum peccati sentiẽs, nihilominus se experitur aridum & frigidũ in pietatis officijs, non est quod perturbetur, vel animum abijciat, sed exẽplo B. Virginis, maiori orandi, aliaq; bona opera exercendi studio quarat Dominum, & sine dubio, si in eo perstiterit, tandem inueniet.

8. Puer IESVS inter amicos & cognatos quasitus, nõ est inuentus, sed in tẽplo Dei; vt indicaretur, inter cognatos & amicos, carnẽ & sanguinẽ non reperiri, sed potiùs perdi Christũ. Vnde qui volũt adhærere Deo, & operã dare suæ saluti non multũ debent cõuersari cũ consanguineis & amicis, imò debent potiùs fugere, & ab illis

*ab illis se separare: nã vt dicit Propheta Regius. Deus eius animæ speciem & pulchritudinem concupiscit, quæ propter ipsum* obliuiscitur populum suum & domum patris sui.

*Psal. 44.*

*9. Christus hoc loco à matre certo quodam modo reprehensus, benignè & humiliter respondit; sed in nuptijs rogatus à matre vt faceret miraculũ, respondit seuerius. Vnde discimus, reprehensiones humiliter esse suscipiendas, quicquid autem ad laudem & honorem nostrum pertinet; durioribus verbis respuendum.*

*Ioan. 2.*

# DE VITA CHRISTI, AB ANNO XII. AETATIS VSQVE AD XXX.

## MEDITATIO XI. EVANGELIVM.

*Luc. 2.*

ET descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba

verba hæc in corde suo. Et IESVS proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.

## FIGVRAE.

1. *IOSEPH in AEgypto mansit vsque ad annum ætatis trigesimum incognitus. Anno autem trigesimo à Pharaone toti AEgypto præpositus est.* Gen. 41.

2. *Moyses, antequam mandato Dei abijsset ad liberandum populum Israhel à seruitute AEgyptiaca, multis annis occultus habitauit in terra Madian.* Exod. 3. & 7.

3. *Dauid trigintæ annis partim occultus fuit, partim profugus. Anno autem trigesimo ætatis ad regnum vocatus, cæpit regere populum Dei.* 2. Reg. 5.

4. *Puer Samuel in Silo seruiens Deo in tẽplo, vt dicit scriptura, crescebat & proficiebat, placens Deo & hominibus.* 1. Reg. 3.

PROPHETIÆ.

Esa. 52. 1. *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios homin*
2. *Verè tu es Deus absconditus: D Israhel Saluator.*

CONSIDERATIONES.

Punct. I. HVMILITATIS virtus, vt exerceri possit, requirit trium a rum virtutum comitatum. Prima paupertas, qua homo contemnit op & omnia fomenta superbiæ. Secun est patientia, qua tolerat omnia aduer sa, afflictiones, & contemptum. Te tia est obedientia, qua se subijcit alt rius imperio & mandatis. Atque ide CHRISTVS Dominus noster om nis humilitatis speculum, cùm præ pij vilitate manifestum specimen d disset Paupertatis; exilio vero, alijsq ærumnis Ægypti, primitias eius pa tientiæ, quæ per omnē vitam in eo el xit, demonstrasset, tandem & triginta annorum sub parentibus subiectione illustre exemplum nobis relinquere voluit veræ & perfectæ obedientiæ. O profunda filij Dei humilitas, quam e gregiè notas & pudefacis superbiam & vanitatem nostram, qui aliud non quæ-

quærimus quàm nomen nostrum celebrari apud omnes, qui priùs alios docere conamur, quàm ipsi didicerimus. At Christus, vt paucos in prædicatione consumeret annos totos triginta annos latuit, tacuit, & in humilitate, paupertate, obedientia, patientia se exercuit, & fortè id fecit, ne vanam videretur aucupari gloriam. Non quidem habebat ipse causam timendi vanam gloriam, qui erat ipsius Patris gloria, sed tamen timebat pro nobis, pro quibus fiebat meritò esse timendum. Propter nos ergò omnem occasionem vanæ gloriæ subterfugiebat, ad nos instruendos silebat. Tacebat ille quidem ore, sed instruebat opere, & quicquid postea docturus erat verbo, nunc prædicabat exemplo.

2. CONSIDERA, puerum Iesum, post reditum è Hierosolymis in Nazareth, obedientiæ parentum subiectum fuisse, vsque ad initium anni trigesimi, & quamuis scriptum non sit, quid toto hoc tempore egerit, tamen credibile non est, eum vel fuisse otiosum, vel nihil scriptione dignum egisse. Sed si benè expendas, liquidò intelliges, eum nihil agendo, multas res eximias & magnificas egisse: nulla enim fuit Christi

actio, quæ caruerit mysterio. Itaque
cut ex virtute operabatur, sic eadem
tute ab omni opere abstinebat, & ta
bat, & latebat. Magnus enim hic Ma
ster, qui omnes gentes docere debe
vt erat via verę vitæ, à prima adoles
tia mirabili & incognita ratione cœ
exercere opera admiranda, inter qu
erat; toto hoc temporis interuallo i
consuetudine hominum subduce
frequentare templum, plurimum v
care orationi, humilia officia domi
ercere, adiuuare Matrem, exercere se
opificio fabrili boni Ioseph, vnde de
*Marc. 6.* lo dicebant quidam. *Nónne hic est fa
ber, filius Ioseph & Maria?* Verùm cu
hæc fecit Saluator mundi? Cur tanto
perè se humiliauit glorioſus & excelſu
Deus, nisi vt nostram deprimeret arro
gantiam? nisi, vt nos ostenderet inex
cusabiles, si tam viuo & efficaci exẽplo
non moueamur, & proficiamus? Nam
absurdum & abominabile est, vt ver
miculus, in escam vermium destina
tus, se efferat & superbiat, quando ipse
Dominus gloriæ & Maiestatis ad tan
tam humilitatem & abiectionem se de
*Matt. 13.* mittit.

3. CONSIDERA IESVM to
to hoc tempore habitum pro fabro, &

voca-

vocatum filium fabri. Fabricabat ergò Iesus, sed non fabricabat amplius, nec mundos, nec cælos, nec stellas, sed gladium humilitatis, de quo dixit Propheta. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Certè non congruebat eum accingi & pugnare alio gladio quàm humilitatis, & superbum humanæ naturæ aduersarium è media tollere. Cùm ergò Saluator statuisset docere, & dicere mundo. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde;* hoc ipsum voluit primum facere, non modo seipsum humiliando, & formam serui assumendo, sed assumendo formam serui vilis & contempti. Contemplare nunc anima mea hanc exiguam familiam in hominum quidem conspectu inopem & vilem, sed in Dei conspectu magnam & locupletem. Hinc vides bonum senem se quotidiano labore fatigantem, & frangentem, ad sustentandam tum dilectam spõsam suam, tum illum, qui fabricauit, & sustentat totũ mundum. Illinc verò cernis humilem virgunculam sua quoque industria & arte prouidentem cibum ei, qui in cælo angelos pascit, & in terra omnibus creaturis subministrat escam in tempore. Compatere deinde benedicto Iesu,

*Psal. 44.*

*Matt. 11.*

*Psal. 103*

Domino tuo, dum vides & ipsum pro victu quotidiano sudãtem & laborantem. Aspice in persona Saluatoris primum parentẽ Adam in sudore vultus sui laborantem pro pane; licet magni inter ipsum & Adam sit discrimen. nã fatigatio Adami erat peccati pœna, & valebat ad comparandum panem, quo vita tantum mortalis sustentaretur: at fatigatio Saluatoris, valuit ad expianda nostra peccata, & ad comparandum cibum non sibi sed nobis, vitę æternę. Poteris quoque hic videre magnum illum Patriarcham Iacob nocte vigilãtem, die autem tota in æstu & frigore, pro necessario suo, suæq; familiæ victu se defatigantem. Ad hæc omnia, mi Domine, non impulit vel allexit te vtilitas vel necessitas vlla, nulla enim re nostra opus habes, sed solum immensus amor tuus, & incredibilis zelus ouem perditam recuperãdi, & propijs humeris in tua cęlestia pascua deferendi.

*Gene. 3.*

*Gene. 31.*

*Luc. 15.*

4. CONSIDERA, quanta in hac paupertate, miseria, & omnium rerum penuria, consolatione & gaudio perfusum sit pectus matris, ex tanti filij præsentia, cùm videret illum quem

tam

tam ardenter amabat, quemque certissimè sciebat esse suum Creatorem, & omnium rerum Dominum, in vna domo secum habitare, comedere secum, colloqui secum, & in omnibus, quæ scire desiderabat, ab eodem institui & & doceri. Quis capiat, quantus, quàm ineffabilis amoris affectus fuerit inter filium tantæ matris, & matrem tanti filij? Exigua certè, & vilis erat illa domuncula, exigua familia, & tenuis eius supellex. Sed quæ amplitudo, quæ opes, qui principes viri ibi visebantur? Erat ibi amplitudo cælorum, erat monarcha & Dominus vniuersi, erant bona & opes omnes paradisi. Erant denique legiones Angelorum assistentium & seruientium suo Creatori. Immò considera, quomodo ipse Creator, vti propter nos dignatus est assumere formam serui, ita non dedignatus sit inter eosdem suos seruos officium serui exercere. Quamuis enim, vt fas est credere, mater, & multò magis Iosephus, non auderent, ob talis filij reuerentiam, imperare: obsequens tamen filius spiritu diuino cognoscens eorum necessitates, prompta obedientia præueniebat mandata parentum. Et quia in hac inopi familia nec

famuli, nec famulæ erant, verisimile est ipsum Dominum partim pro sua singulari humilitate, partim pro expianda nostra superbia voluisse vilissima & abiectissima quæque domus officia subire. Non dubium est, quin dum humilis Iesus vili panno præcinctus per domum ibat, ministerio suo adiuuans nunc matrem, nunc Iosephum, cælestes spiritus ad tantam submissionem attoniti certatim conati sint se adiungere illi, ad præstandum aliquod auxilium: imò cùm gauderent, & reputarent se beatos, quod eum imitari possent, laborabant & ipsi, ipsis Domini sui manibus eadem exercitia, & ministeria cum ipso præstando.

5. CONSIDERA, quomodo præter hactenus dicta opera, quæ Saluator noster exterius faciebat, multa alia magis spiritualia & sublimia in occulto & cordis sui secreto perfecerit. O quoties bonus Iesus diurnis laboribus fessus, & vile cubiculum suum ingressus, cùm quiete opus haberet, tamen nostræ salutis potiùs, quàm sui commodi studiosus, totas noctes in somnis in oratione consumpsit? O quoties, obiecta ante oculos mentis suæ primorum

pa-

parentum inobedientia, populi sui ingratitudine, abominationibus gentium, & denique omnibus sceleribus & peccatis singulis singulorum hominum, tenerè compatiens miseriæ & iacturæ tot animarum, amaris lachrymis, gemitibus inenarrabilibus, & intimo cordis dolore seipsum affligebat, & crucifigebat, offerens se Patri ad placandam eius iram, & commouendam ei erga nos misericordiam? Quoties perpendens scelerum nostrorum grauitatem, & infinitum diuinæ iustitiæ rigorem, qui totus in eius humeros incumbebat, hinc anxius à doloribus diuinæ offensæ, & acerbitate futuræ passionis, illinc æstuans immenso amore & desiderio perficiendæ redemptionis nostræ, sanctissima illa anima seipsam coarctans, è toto corpore ac imprimis ex diuino illo vultu sudorem mortiferum, & fortè etiam aliquando viui sanguinis guttulas exprimebat? O anima mea, si nonnihil hic te reflecteres, & perpenderes, dum tu vacua omni cura, ac si tua res nō ageretur, indulges otio, lusibus & iocis, ille instar prouidi Patris multo ante necessitates tuas & pericula aduigilet, ploret & suspiret pro te, ad impetrandam tibi gratiam & salutem

æternam, quantas ageret gratias, quomodo benediceres, quam firmum propositum faceres, nunquam offendendi illum, qui te etiam nondum natum tantoperè amauit, & tot lachrymas pro te effudit?

## COLLOQVIVM.

PRECABERE Christum Dominum, vt sicut ipse per omnem vitã suam non aliud fuit, quàm profunda humilitatis & obedientiæ exemplar tibi cõcedat gratiam, vt ad imitationem sui perfectè tum Deo tum maioribus tuis obtemperare possis. Deinde vt velit è corde tuo omnem superbiæ fastũ, & vanæ gloriæ desiderium ita euellere, vt nullum amplius in cogitationibus, verbis, factis, omnibusq; moribus huius pestis signum appareat: sed sit verè humile & paruulũ in oculis tuis, vt in diuinæ maiestatis conspectu perfectã gratiam & misericordiam inuenire valeas.

## DOCVMENTA.

1. IESVS *voluit subiectus esse parentibus pro nostra instructione, & superbiæ nostræ confusione, qui sæpenumerò refugimus esse subiecti superioribus nostris. Itaq; si Christus, mundi Imperator, cui cæli, omneſq; res aliæ sunt subiectæ, voluit*

so

*se submittere paretis. multo se inferiorib. nos, qui sumus serui, non debemus dedignari subijcere nos superioribus nostris.*

2. *Si Prælati considerent, Iosephum tenuisse locum prælati, Christum verò subditi, nullam habebunt occasionem superbia, ex eo quod alios dignitate & auctoritate præcedant. Nam sæpè contingit subditos maioris esse meriti, quàm prælatos: & qui subditi sunt aliorum in hac vita, in altera fieri eorundem in æternum superiores.*

3. *MARIA conseruabat omnia verba dicta de filio, cõferès ea in corde suo; Quo exemplo discimus quemadmodum Verbum Dei audiendum sit, & quo fructu: nempe recipiendo illud in corde, & ibidẽ conseruando & considerando, non autẽ faciendo more illorũ, de quibus vulgò dicitur, quod verbum Dei vna aure excipiant, altera elabi sinant.*

4. *IESVS crescens ætate, simul crescebat in sapientia & gratia apud Deum & homines. Qui sunt veri Christi imitatores, non debent committere, vt vita tẽpus sine fructu abeat, sed operã dare, vt in spiritu proficiant, & de virtute in virtutẽ crescant; crescendo simul in gratia, tũ apud Deũ, per obseruationẽ præceptorũ, tum apud homines per bonæ conuersationis exemplum.*

5. Christus, dum esset puer, crescebat ætate, virtute & gratia. Meritò hic pudeant multi Christiani, qui filios suos non secundum formam à Christo suo exemplo præscriptam, sed secundum peruersam huius mundi disciplinam educãt, & dedecori sibi esse putant, cùm filij proficiant in timore Dei, cultu pietatis, & studio virtutum Christianarum: gaudent autem, quando vident eos in carnis prudentia, & mũdi nequitia aliquos facere progressus.

6. Christus, vt scriptum est, cæpit primùm facere, deinde docere. Nam triginta annos primò exercuit se in obedientia, patientia, & oratione. Deinde verò tribus annis vltimis prædicauit, & docuit alios, vt intelligat prædicator Euangelicus, si verbo alijs prodesse velit, sibi vitæ integritatem, & bonorum operum exercitium primùm curandum. Nam non facilè alios docebit verbo, quod non ipse prius præstet suo exemplo.

DE

# DE PRAEDICATIONE S. IOANNIS BAPTISTAE PRAECVRSORIS.

## MEDITATIO XII.

### EVANGELIVM.

ANNO quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, &c. factum est verbum Domini super Ioānem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis baptizans & prædicans baptismū in remissionem peccatorum, & dicens: Pœnitētiam agite, appropinquauit enim regnum cęlorum. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem eius erat locusta & mel syluestre. Tunc exibat ad eum Ieroso-

*Math.3. Mar.1. Luc.3.*

lyma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane cõfitentes peccata sua. Existimante autem populo de Ioanne, ne forte ipse esset Christus, respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos in pœnitentiam, veniet autem fortior me, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamẽtorum eius, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit arcam suam, & congregabit triticũ in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

FIGVRA.

Gen. 41. *PHARAO rex iussit ante currum regium Ioseph præconem clamare, vt omnes coram eo genu flecterẽt, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ AEgypti.*

PROPHETIÆ.

Mal. 3. 1. *ECCE ego mitto Angelũ meũ, & præparabit viã ante faciẽ tuam.*

Psal. 131. 2. *Parauí lucernam Christo meo.*

3. Vox

3. *Vox clamantis in deserto, parate viã Esa. 40.*
*Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri: omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.*

CONSIDERATIONES.

CVM IESVS diuturno suo silentio, & humili sub parentibus subiectioni finem imposuisset, proditurus secundum æternum sapientiæ suæ consilium in publicum, & suæ diuinitatis mysterium mundo patefacturus, ante se præcursorem & approbatum Legatum præmisit sanctissimum Ioannem, qui præpararet viam ante faciem suam: & rectè, nam & ille in hoc vsque tempus delituerat in deserto, & post diuturnum silentium, rerumque diuinarum contemplationem inde egressus, instar hominis noui cœpit baptizare turbas, prædicare regnum cœlorum, & aduentum Saluatoris prænunciare. Qua ætate Ioannes abierit in eremum, scriptum non est, sed verisimile est, eũ, vt erat diuino spiritu plenus, à prima pueritia, relicta domo paterna, delitijsq; huius seculi abdidisse se in solitudinẽ, & familiaritatem hominum, quã subterfugit, in ferarum societatem com- *Punct. 1.*

commutasse. Ibi cælum ei erat pro tecto, terra pro lecto, ibi victus, omniumque rerum temporalium, atque etiam proprij corporis cura ab animo eius longè erat remota.

2. CONSIDERA quàm dura & austera, ratione asperitatis loci, quem Ioannes incolebat, eius vita fuerit, quã horridus vestitus, quàm sylvestris victus. Nam repudiatis omnibus corporis commodis, induerat se sacco, per modum cilicij ex pilis camelorum contexto, cinctus erat aspera zona coriacea, vt doceret, quæ vestimenta sint propria hominis Christiani, nimirum, non pascere oculos hominum respicientium, non mollitiem carnis fouere, sed potiùs humilitatem, & huius vitæ contemptum demonstrare, vtilitati denique & necessitati magis seruire, quàm voluptati, iuxta Apostoli consilium. *Habẽtes alimẽta, & quibus tegamur, his cõtenti simus.* Deinde cõsidera huius sancti cibum nõ copiosum, nec exquisitum fuisse, non hominum industria paratum, sed parcum, austerũ, & industria animalium sylvestrium cõfectum. Quare recte de se Ioannes dixit, se *vocem esse clamantis in deserto*; nã vita eius tota, cibus, vestitus, omnesque eius

*1. Tim. 6.*

eius actiones, non erant aliud, quàm voces pœnitentiam prædicantes. O innocens & admirande puer, quæ necessitas te impulit in desertum? quis te in teipsum tam crudelem effecit? quę culpa vel noxa erat in te, vt eius expiandæ causſa in tam tenera ætate, tantam ageres pœnitentiam? Nondum carnis rebellionem senseras, & iam à puero asperitate pœnitentiæ eam macerabas. Nondum per ætatem intelligentia tibi adesse poterat, ad percipienda diuina & sublimia mysteria, & iam probe sciebas officium tuum, ob quod eras missus in mundum. Quare, vt innocentissimo illi Agno, qui est ipsa puritas, dignè occurrere posses, innocens & purus in deserto vixisti; vt baptizare aqua posses Saluatorem, ipse mundus & ab omni peccati macula immunis permãsisti, vt verò prædicare aliquando pœnitentiam posses, eam prius exemplo, & sancta vita annunciare & populo persuadere voluisti. Discant ab hoc sanctissimo puero tepidi Christiani, qui omnem fugiũt vitæ seueritatem, & manum rebus arduis & difficilibus admonere nolunt. Heu me si angelus Dei, vt erat Ioannes, sanctificatus antequam natus, opus habuit ad tuendam puritatem

tem incolere desertum cum tanta pœnitentia & austeritate vitæ, quomodo nos peccatis pleni, inter tantas mundi delitias, inter tot loqueos mundi, carnisque stimulos possumus nobis promittere salutem, & citra pœnitentiæ præsidium viuere securi?

3. *ANNO decimo quinto Tyberij Cæsaris.* More receptum est apud Scriptores, cum historiam memoria dignam describunt, studiosè annotare tempus, & nomen Principis, sub cuius imperio res gesta est. Iam inter omnia, quæ vnquam in mundo acciderunt, quid magis admirabile, quid ab ingenio humano magis remotũ, quam Deum indutum carne humana apparere in terris? conuersari cum hominibus & inter eos vitam agere? Itaque cum hoc opus fuerit excellentissimũ & prorsus inauditum, merito in describendo hoc mysterio diligenter tempus fuit adnotatum. Rectissimè etiam Spiritus sanctus voluit ad initium prædicationis Ioannis, describi diuisionem regni Iudæorum, & nominari Principes, licet essent id temporis omnes gentiles, qui mundo imperabant, vt intelligeretur impletas esse omnes prophetias, quibus prædictũ erat tempus, quo filius Dei carnẽ

huma-

humanã erat assumpturus conuenienter verbis Patriarchæ Iacob *Non auferetur sceptrũ de Iuda, et dux de femore eius donec veniat qui mittendus est.* Gen. 49. Cũ ergo Deus vellet mundo patefacere suũ aduentum, sciretq; quãti momenti esset. Legatio, elegit & misit Legatũ tãto officio parẽ Ioannẽ Baptistã, omnib⁹ retro Prophetis maiorẽ, ab ipsis prophetis olim prædictũ, ab angelis annũciatũ & nominatũ, beneficio diuino miraculosè conceptũ, & maiori miraculo in ipso Matris vtero Spiritu sancto repletũ, qui etsi in vita nullum fecit miraculũ, tamẽ vita sua, nõ aliud quã continuũ & stupendũ expressit miraculum. Ioan. 1.

4. Verũ cur Deus ad prędicandã virtutem pœnitentiæ elegit Ioannem hominem innocentissimũ, & non potiùs peccatorẽ? cum hoc officiũ magis congruere videatur in peccatorẽ, qui dolẽs de peccatis per experientiã simul deformitatẽ & amaritudinẽ peccati, & pœnitentiæ necessitatẽ didicisset, qualis erat S. Rex Dauid, qui post pœnitentiã de peccato actã, dixit ad Dominũ. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te cõuertẽtur.* Psal. 50. Sed aliter visũ est diuinæ sapientię, nam cũ decreuisset duos magnos Magistros dare suæ Ecclesiæ, alterum, qui

qui homines permoueret ad pœnitentiam, alterum qui pœnitentibus concederet veniam primum voluit omnium hominum esse innocentissimum, qualis fuit S. Ioannes. Secundum verò inter omnes discipulos suos infirmissimum, nempe Petrum, qui paulò ante illum negarat, & cum iureiurando etiam contestatus erat, se eum nõ cognouisse. Vtrumque autem Dominus fecit magno consilio, vt nimirum homines perspicuè intelligerent, hoc magis necessariam esse pœnitentiam, quo is, qui eam prædicabat, ab omni peccati labe purior erat & innocentior; & rursum hoc facilius sperarent peccatorum, si ex animo de eis dolerent, remissionem & veniam, quo eum, qui impertire illam debebat, viderent esse fragiliorem, & talem qui in seipso dedicisset nemini negare veniam.

5. CONSIDERA prædicationem Ioannis: *Pœnitentiã*, inquit, *agite, appropinquauit enim regnum cælorũ*. Optimè nôrat B. Ioannes quantoperè mundus egeret pœnitentia ad recipiendam nouæ legis gratiam, & vicissim, quantum homines ab illa agenda abhorrerent. Quare vt gratior eius esset prædicatio, molliuit eam dulcedine præmij, dicẽs,

appro-

appropinquasse regnum cælorum. Verba sanè dignissima, quæ primùm à solo B. Ioanne enunciarētur, ille enim erat magnus Propheta, qui primum lapidem in fundamento Legis Euangelicæ deponere debebat. Nusquam legimus, inde ab orbe condito vsque ad Ioannis tempora, in tot promissionum, & beneficiorum diuinorum numero veteribus Patriarchis à Deo prestitorū, vnquam expressam mentionem factā promissionis de regno cælorum. Lex quidem mandabat, vt qui alium occideret, & ipse occideretur, & qui ligna colligeret in Sabbato lapidaretur: & pro iniuria proximo illata dens redderetur pro dente, oculus pro oculo, at nullam facit mentionem pœnitentiæ, nullam veniæ terrores tantum & minas intentat, nec vnquā vlla de antiquo illa sanctuario dulcedo stillauit. At postquam Ioannes, amœnissimæ instar auroræ obortus est mundo, tum omnes sedentes in vmbra mortis noua quadā luce collustrari cœperunt, tunc vox turturis audiri cœpit in terra nostra, vox tantoperè desiderata, & superioribus sæculis nunquam audita, vox misericordiæ, vox remissionis, vox præmij non amplius terrena, sed cælestis. O

*Num.15.*
*Exod.21.*
*Esa.9.*
*Cant.2.*

vox

vox auribus peccatorum iucunda: vox non iam Ioannis propria, nam, homo, neque remittere poterat peccata, neque regnum cælorum promittere, sed vox propria cælorum Domini qui per Ioannem loquebatur. Vnde recte dixit Saluator. *Lex & Prophetæ usque ad Ioannem.* Post Ioannem autem, *Regnum cælorũ vim patitur*; Nam superioribus temporibus, quando DEVS reconditus latebat in suæ sapientiæ abysso, & cum hominibus per mediatores angelos & Prophetas loquebatur, obseruatoribus legis promittebat tantum bona terrena, transgressoribus autem graues minabatur pœnas. At in tempore Ioannis, postquam, qui in altissimis habitat Deus, assumpta carne nostra se exinaniuit, & in terris visus, ac cum hominibus cõuersatus est, mortui vnà cum suo Creatore in terram se demiserunt & cæli; & velut Deus appropinquauit peccatoribus, vt ab eo redimerentur, sic cæli appropinquarũt pœnitentibus, vt ab illis possiderentur. Felix culpa, quæ tantum meruit habere redemptorem: sed fœlicior pœnitentia, quæ pro præmio obtinuit regnum cœlorum. Quod non est aliud quàm visio beata & ipsius Dei possessio.

*Matth. 11.*

6. CON-

6. CONSIDERA humilitatem Ioannis, nam cum testimonio Christi maior esset omnibus Prophetis, imò omnibus filijs hominum; in populo quoque tantum haberet nomen sanctitatis, vt putaretur MESSIAS à Deo promissus, & pro tali eum recipere vellet: nihilominus non se effert, non prædicat, nec confessionem veritatis causa aucupandæ hominum gratiæ deserit; sed se demittendo, extollit Christum, patefacit eius diuinitatem, & pedibus eius se submittit, indignum se iudicans qui soluat corrigiam calceamentorum eius. O humilitas honorata Ioannis, ô verè honor humilium parum à mundo cognitus. Optimè nouerat Ioannes, verum honorem non esse in ore nec opinione hominũ, sed in honoris contemptu, in seruitio Christi, & in desiderio se omnibus propter Christum subijciendi. Considera quoque, quantum honoret & exaltet DEVS illos qui se humiliant, nam Ioannes, quia eo vsque se humiliauit, vt indignum se reputaret, qui manibus suis solueret corrigiam calceorũ Christi, dignus factus est, vt manũ imponeret capiti Christi; & vt creator se humiliaret, & creaturæ suę honorẽ deferret. *Matth. 11.*

COL-

## COLLOQVIVM.

ORABIS Christum Dominum vt sicut ipse voluit Præcursorem suum Ioannem prędicare peccatoribus pœnitentiam, & eandem suo exemplo illis demonstrare, contemptis voluptatibus sæculi, & vita austerissima ducta in deserto, ita per huius sancti merita tibi concedat gratiam perfecte continendi non solùm à cibis superfluis, verumetiam ab omnibus inanibus cogitationibus, sermonibus, & operibus, & dum eris in hac vita, possis ab omnibus vitijs & sæculi huius delitijs segregare, soliq́ue diuinæ Maiestati seruire & militare: vt post fructus pœnitentiæ dignos factis remissionẽ peccatorum, & opitulante diuina gratia tandem æternam fœlicitatem consequâre.

## DOCVMENTA.

1. *IOANNES adhuc puer ingressus desertum, in eo austerissimã vitã vsq; ad trigesimũ ætatis annũ constanter egit in confusionem nostram, qui ingredimur quidem interdũ virtutis viam, sed vix biduũ ad triduum in ea perseueramus, subitò defatigamur, & minima occurrente difficultate tergiuersamur.*

2. Veri-

2. Verisimile est, Ioannem si arbitrij & solatij sui rationem habere voluisset, potius electurum fuisse tranquillum solitudinis suæ statũ, in quo familiaritate Dei & angelorũ fruebatur, quàm in publicũ proditurum, vbi sciebat multa se magno animi dolore conspecturũ legi diuinæ repugnantia: verum simulatq; diuina reuelatione cognouit se euocari ad auxiliũ proximorũ. consolationem propriam Dei voluntati posthabuit. Vnde discimus, sæpè esse præclarum virtutis opus, deserta contẽplationis & propriæ deuotionis quiete, vacare operib. misericordiæ, & saluti proximorũ curandæ se totum impendere.

3. Deus Ioannem ex deserto ad prædicationis officiũ euocauit: vt intelligeremus eos, quibus incumbit officium alijs prædicandi, debere esse amicos pœnitentiæ, & recollectionis: neque enim alijs facilè autores esse poterunt sectandæ virtutis, vel amore diuino corda eorum accendere, si ipsi tepidi sint, & sanctæ vitæ exemplo non præeant alijs.

4. Si Sanctus Ioannes in vtero matris sanctificatus, quo inter natos mulierum maior non fuit, tãta seueritate tractauit corpus suũ: quanto minùs nos, qui sumus prauis inclinationib & habitib. peccatorũ pleni, debemus molliter tractare car-

nem nostram, sed potius durè & asp
ne pugnet aduersus spiritum.

5. IOANNES, idem est, quod, Gr
tia Veri ergo filij sunt gratia, qui ad m
tationem Ioannis se separant à mun
& carnem suam mortificant, vt di
Gal 5. Apostolus. Qui Christi sunt, inquit, c
nem suam crucifixerunt cum vitiis
concupiscentijs.

6. Ioannes sua pradicatione in dese
formam quandam & exemplar descr
sit pradicatoris Euãgelici, & primò qu
dem, vt, quod ad doctrinam attinet, a
nunciet pœnitentiam, reuocando hom
nes à peccatis, & viam salutis indica
do. Secundò, vt sit continens & casti
quod designat Zona pellicea, qua Ioan
succinxerat suos lumbos. Tertiò, vt auste
ritate vita cum Ioanne alijs sit bono ex
emplo. vnde & Apostolus de se scribi
1. Cor 9. Castigo corpus meum, & in seruitut
redigo.

7. Ioannes non solùm ad pœnitentiam,
sed etiam ad fructus dignos pœnitentia
faciendos homines adhortabatur. Qua
re monemur, non satis esse ad auertend
Dei iram à peccatis abstinere, sed prat
rea fructus dignos pœnitentia faciendes,
hoc est mala opera, compensanda esse to
tidem bonis & satisfactorijs operib. Nam

ad

*ad curandum vulnus, non sufficit sagittã vel ferrum extraxisse, sed opus est porrò applicare medicinam, secundum illud.* Recede à malo, & fac bonum. *Psal. 33. 1. Pet. 3.*

*8. Ioannes hortabatur populum, vt rectas faceret semitas in deserto. Vnde docemur vias breues & cõpendiarias, quibus citius perueniatur ad patriã cælestẽ, rectius per solitudinem, quam in mundo hærendo, hoc est, separãdo se à sæculi huius tumultibus, instituí. Hortatur quoq; vt dirigamus vias nostras: nã turpe & præposterum est, hominem statura corporis esse erectum in cælũ, anima verò depressũ & incuruatum in terrã; oculos corporis sursum, animæ vero affectus deorsum reflectere.*

*9. Antequam dies ille aduenìat, quo à Domino frumenti instar in aream ventilabimur, bene ipsi nos examinemus, verè ne triticũ simus, an palea, id est, an sint in nobis fructus pœnitentiæ & bonorum operum, & non nomen tantum hominis Christiani sine operib. præferamus: procuremusq; dũ tempus habemus opportunum, ita agendi causam nostram, ne ad extremum, vt palea in ignem æternum abiciamur.*

# DE BAPTIS
## MO CHRISTI DO-
## MINI NOSTRI.
## MEDITATIO XIII
## EVANGELIVM.

*Matt.3.*
*Mar.1.*
*Luc.3.*

IN diebus illis venit Iesus à Nazareth Galilęę in Iordanem, ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicēs. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus dixit ei. Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiā. Tūc dimisit eum, & baptizatus est à Ioanne in Iordane, baptizatus autem confestim ascendit de aqua, eoq; orante apertum est cælum, & descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba, in ipsum, & mansit in ipso. Et vox facta est de cælis. Tu es filius meus

meus dilectus in quo mihi compla cui. Et ipse Iesus erat incipiēs quasi annorum triginta.

FIGVRA.

POPVLO Israhelitico transeunte Iordanem, vt ingrederetur terram promissionis, arca Dei præcedebat omnes; & primo aquam fluminis intrauit, quæ diuisa sunt, donec totus populus transiuisset incolumis.

PROPHETIÆ.

1. REquieuit super eū Spiritus Domini Esa. xi.
Spiritus sapientiæ & intellectus.

2. Vox Domini super aquas. Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Psal. xxviii.

3. Ecce seruus meus, suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum super eum.

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA, quanta humilite Filius Dei, in media turba Publicanorum & peccatorum, ac si purus homo esset, adeat Ioannem Baptistam, vt ab eo baptizetur. Vadit quasi vnus de populo, qui solus erat immunis à peccato. Vadit solus sine socijs: nec enim adhuc habebat, qui eum comitari possent discipulos ille, cui assistunt & seruiunt Dan. v. Punct. I.

Angelorum legiones. Et quis tunc fi
perſuaſiſſet, illum eſſe filiũ Dei, & Do
minũ Maieſtatis? Multũ profectò Do
mine te humilias, nimium te occultas,
ſed non poteris te occultare diu, quia
cognoſcaris & prædiceris à Ioanne, qui
etiã vtero matris adhuc incluſus te co
gnouit, & motu exultationis ſuæ dete
ſtimoniũ reddidit. Viſné ô bone Ieſu
baptizari? at qua de cauſa? an ſano ne
ceſſaria medicina eſt, & mũdo opus eſt,
vt mundetur? Vnde contraxiſti pecca
tum, vt opus habeas baptiſmo? Nõ cer
tè à Patre, qui eſt Deus, cui es æqualis,
in quẽ cadere nõ poteſt peccatum. Nec
à matre, quam elegiſti virginem; nece
nim contrahere peccatum ab illa potui
ſti, quæ cõcepit te ſine peccato, & ſalua
ſua Virginitate genuit. Credo omninò
tantam humilitatem & exinanitionem
tuam ſolam effeciſſe, vt puncto illo tẽ
poris patefacti ſint cæli, & deſcẽderint
Angeli ad comitatum & honorem tibi
præſtandum. Et quoniam alius aderat
nullus, qui te cognoſceret, vel teſtimo
nium tibi daret, dum conaris occultare
tuam Maieſtatem, Pater æternus de cę
lo ore ſuo dilectũ filium ſuum te palã
nuncupans, extollit & illuſtrem ac glo
rioſum toti mundo reddit.

CON-

2. CONSIDERA, quis ſtupor mentis, quæ admiratio ſanctũ Patriarcham Ioannẽ cęperit, vt aſpexit Saluatorẽ mundi ad ſe baptiſmi cauſa tendẽtem. Non dubiũ, quin humi ad pedes Chriſti prouolutus humilia illa verba protulerit. *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Meritò à te, quia & in ventre Matris meę adhuc exiſtens, ſum ſanctificatus à te. Ego homo peccator opus habeo mundari & lauari à te, & tu venis ad me? Tu, qui es agnus ille innocẽtiſſimus ſine macula peccati, nõ indiges pœnitentia, nec hoc baptiſmo; tu ergo, qui ad tollẽda peccata veniſti, potiùs debes me baptizare, & peccata mea tollere. Verũ quid ſibi vult hęc cõtentio Ioannis cum Chriſto? cũ tamen Ioannes ſemel virtute Spiritus ſancti à peccati originalis contagio purgatus, non potuerit rurſum ſacramento aquę ab eodem expurgari? Nimirũ alia fuit Ioannes intentio, cum enim ſciret poſt mortem ſibi deſcendendum eſſe ad inferiores partes terræ, ibiq́ue permanſurum, donec paſſione Chriſti apertum eſſet cælum; etſi maculæ, quę baptiſmi lauacro eluitur obnoxius non eſſet, tamen non erat ea libertate adhuc donatus, vt ei aditus pateret in patriã cęleſtẽ

ante profusum à Christo sanguinem, quo omnia peccata debebant expiari, & portæ regni cælestis patefieri. Hic ergò baptismus est, quo Ioannes initiari desiderabat à Christo, pro hoc contendit, pro hoc demittit se. Et quid mirum, humiliare se Ioannem, submittere se hominem terrenum in conspectu tam humilis & mansueti Saluatoris, Dei?

3. EX alia parte perpende quomodo Christus humiliauerit se coram Ioanne, & magno studio petiuerit à eo baptizari. O si mihi peccatori fors obuenisset, tunc in illa peccatorum turba versari, & interesse humili huic concertationi, quæ inter discipulum & Magistrum, Creatorem, & creaturã, Deum, & hominem, intercesserat, qui inter se contendebant, non de primatu, vel de prærogatiua honoris, vt homines huius sæculi, sed de officio humilitatis, vter alteri prius se submittere debuerit. Hoc, inquam, certamen si mihi videre licuisset, quanta voluptate perfusa fuisset anima mea? quàm insigne exemplum accepissem, deinceps humiliandi me, & demittendi superbiam & fastum meum?

4. CONSIDERA, quomodo in hoc

hoc certamine tandem Dominus euaserit superior; nam cùm dixisset, conueniens esse ita fieri, *vt impleret omnem iustitiam*, Ioannes acquieuit. Sed quæ erat clementissime Domine illa iustitia, quod debitum, quæ caussa, vt ex iustitia tenereris, instar peccatorum ablui aquis Iordanis? Baptismus Ioannis erat signum pœnitentiæ, & tui baptismi figura, quo peccata expiantur: Sed quid tibi, qui nunquam peccâras, cum pœnitentia & remissione peccatorum? Nihilominus, vt Saluator noster baptizaretur, conuenientissimum fuit, sicut & necessarium fuit, vt pateretur & moreretur pro nobis, ac ita intraret in gloriam suam. Nam cùm vnà cum carne nostra assumpsisset formam peccatoris, & in mundum venisset, vt satisfaceret pro nostris delictis, congruens quoque fuit, vt in se reciperet pœnas omnes & remedia, quæ ad illa expianda requirebantur. Pro me ergò voluit Dominus baptizari, meæ fuerunt sordes, quæ aquis Iordanis sunt ablutæ, & sic pro meis lapsibus conueniebat satisfieri diuinæ iustitiæ. Benedictus ergò sis mi Redemptor, benedicta caritas tua, quæ te impulit, vt illam satisfactionem, quæ meis iniquitati- *Luc. 24.*

bus debebatur, in humeros tuos impo neres.

5. CONSIDERA deinde, quomodo Ioānes ad Dominū baptizandū se paret, rex angelorū vestib. se suis exuat, virginea illa caro beatis Ioānis manib. tangatur, & aquis Iordanis perfundatur; angeli quoq; de cælo descendāt, & cælestes Hierarchiæ magna reuerētia currant ad creatorē. Effundit aquā creatura in creatorem, & dextera mortali, lauat caput Dei immortalis. Tremit ad hoc spectaculum cælū, obstupescit terra, admirantur angeli, Dominum vniuersi intra manus hominis mortalis concludi. Quid agis Ioannes? quid cogitas? Quomodo audes cū, quē Cherubini & Seraphini intueri reformidant, intra
*Isa.6.* tuas manus nudatum continere? Ille, qui solus lucem inhabitat inaccessibilem, quem laudant astra matutina, quē vniuersa cælestis patriæ multitudo cōtinuis vocibus collaudare & magnificare non cessat, dicens, *Sanctus, Sanctus*
*Iob 38.* *Sanctus*, coram te se inclinat, & manib. tuis submittit? Tremit Ioannes, nec mirum hominem tremere, & non audere
*Isa.6.* manum attollere, ad verticem tangendum sacri illius & diuini capitis, quod adorant angeli, venerantur potestates,

reuerentur & timent principatus. Fœlix Ioannes, cui soli concessũ fuit, quod omnibus alijs est denegatũ, nempe, baptizare illum, qui solus homines baptizat Spiritu S. & igni. Hoc baptismo terminata est Lex, finem habuêre prophetiæ, & vetera omnia sacrificia sunt antiquata. Ibi in ingressu Christi in Iordanem, vidisses totum mundum instar Naaman Syri lepra omninò operti, & peccatis inquinati, vnà cum Redemptore suo aquis illis immergi; deinde cum eodẽ ex illis emersum resurgere in nouã creaturã rugæ & maculæ expertẽ transformatũ. Ibi inchoata & cõfirmata fuit purgatio & regeneratio nouę legis, ibi homo vet⁹ peccati submers⁹ fuit & sepultus, ibi exortus est nouus homo q̃ ad imaginẽ & similitudinẽ Dei creatus est. Ibi deniq; aquæ oẽs Dominicæ carnis contactu factæ sunt salutares, & virtutẽ animę maculas eluendi, ac peccata totius mundi expiandi acceperũt. *Matt. 3.*

6. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui.* Nunc ô bone Iesu opus amplius nõ est vt te abscõdas. Non est amplius tẽpus tacendi. Ecce pater cælestis, iã te mũdo manifestauit, & pro suo filio dilecto declarauit, in quo nihil vnquam inuenit, quod displiceret ocu-

lis Diuinæ Maiestatis, eò quod semper te obsequentem, in omnibus quæ suæ Diuinæ voluntati grata essent, offenderit. Loquere ergò iam tandē ô Magister gentium, quousque tacebis & dissimulabis? nunc potestas tibi loquendi facta est; quousq; ergò ô potentia & sapientia Patris quasi infirmus & insipiens in populo delitescēs? quamdiu ô nobilissime Rex cæli patieris te appellari & haberi fabri filium? *Accingere* tādem *gladio tuo super femur tuum potentissime,* & mundo iustitiam annuncia; pugna, vti fortissimus Dux noster, contra fortem armatum pro salute, & generis humani redemptione. Erumpant semel amoris flammæ, in pectore tuo succensæ, & accendatur mundus totus, vt liquefacta cordium humanorum glacie omniq; timoris frigore depulso, conflagret & consumatur igne charitatis.

*Matt.13.*
*Psal.44.*
*Luc.11.*

## COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum Dominum, vt, sicut voluit ad expiandas animæ tuæ sordes in flumine Iordanis à Ioanne seruo suo baptizari; ita tibi gratiam impertiat, vt, quoniā peccatis fidē in primo baptismo olim promissam vio-

violasti, possis secundi baptismi pœnitentiæ virtute cõsequi omniũ peccatorum veniam & indulgentiam, & recuperata veteri gratia fieri idoneus ad recipienda Spiritus sancti dona.

## DOCVMENTA.

1. *CHRISTVS, vti verus humilitatis magister, voluit in mũdo haberi abiectus & contemptus, dum miscet se peccatorum turbæ, & vult à Ioanne baptizari, & nos, licet peccatis obnoxij, volumus videri honore & gloria digni, atque si aliquid boni in nobis esset, & è contrario defectus, qui in nobis inueniũtur, magno studio occultamus.*

2. *Christus in omnibus actionibus suis nunquã se demonstrauit esse eximiũ & singularem quendam hominem, sed cæteris simile quare & voluit circũcidi, in templo præsentari, cum alijs à Ioanne baptizari. Sic serui Dei alieni esse debẽt à vitio singularitatis, non solùm in rebus ad corpus, sed etiã ad mentis deuotionẽ, & actiones spirituales pertinentibus; ac proinde conari, vt accommodẽt, quoad fieri potest, in cõmune se omnibus, nec velint videri aut singulares, aut peculiaria præ alijs priuilegia sibi vendicare.*

3. *Cũ Christus à Ioanne postularet baptizari*

zari, nõ ante acquieuit, quã illi à Christo mandaretur. Vnde discimus, dignitates & prælaturas Ecclesiasticas, maximè quæ animarum curam adiũctam habẽt, non esse temerè acceptandas, multo autẽ minus ambiendas vel procurandas. Sed dum offeruntur recusandas, & fugiẽdas, nec recipiẽdas, nisi ab ijs, qui auctoritatẽ habent, nobis imperentur.

4. CHRISTVS dixit, complementum esse iustitiæ, si ipse se submitteret Ioanni, hoc est, creator creaturæ, quomodo ergo gloriari iustitiæ nomine possunt, qui nõ solùm nõ volunt se alijs subijcere, verũ etiã contemnunt suos inferiores, & vix submittere se volunt suis superioribus?

5. CHRISTO post baptismum susceptũ orante apertum est cælũ. Si volumus preces nostras esse Deo gratas & meritorias, lauemus prius cõscientias, & mundemus animas nostras ab omni macula peccati. Vbi & illud discimus, post receptam gratiam, adhuc frequentẽ orationẽ necessariam esse ad eam conseruandam.

6. CHRISTVS submittens se Ioannis manibus, meruit honorari voce Patris, & à Spiritu sancto, qui visibiliter in eum descẽdit. Si digni esse volumus honore & gloria, quam Deus in Angelorum præsentia seruis suis communicabit in cælis,

humi-

*humiliemus nos in præsenti vita, & quantũ possumus demittamus.*

*7. Apparuit Spiritus sanctus super Christum in forma colũbæ, vt indicaret gratiam Spiritus sancti illabi illis, qui habẽt proprietates columbæ, nam primo vtitur gemitu loco cantus. Secundo caret felle. Tertio non ferit rostro. Quarto nõ habet vngues recuruos. Quinto educat pullos alienos, vt proprios. Sic homo perfectus, debet vti gemitu, & lachrymis dolorem de peccatis testari. Secundo debet esse mitis, expers omnis iracũdiæ & odij erga proximum. Tertio, non lingua offendere quẽquam, aut famam alicuius detrahere. Quarto, nec vsurpare aut retinere alienum. Denique debet caritatis & misericordiæ affectu necessitatibus proximi, æquè atque suis succurrere.*

# DE IEIVNIO ET TENTATIONE CHRISTI IN DESERTO.

## MEDITATIO XIV.

### EVANGELIVM.

*Matth. 4. Marc. 1. Luc. 1.* IESVS plenus Spiritu sancto regressus à Iordane ductus est à spiritu in desertũ, vt tentaretur à diabolo. Et erat in deserto cum bestijs quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & nihil manducauit in diebus illis. Et consummatis illis, cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esurijt. Et accedens tentator dixit. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Et respondit ad illum IESVS. *Deut. 8.* Scriptum est, quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatē, & statuit eum super pinnaculum templi, & dicit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Et respondens IESVS ait illi. Rursum scriptum est. Non tentabis Dominum Deum tuū. *Deut. 8.* Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & in momento temporis ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei. Tibi dabo potestatem hanc vniuersam & gloriam illorū, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Tu ergo si procedens adoraueris me, erunt tua omnia. Tunc respondens IESVS, dixit illi. Vade Satana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Ibid.* Et tunc cōsummata omni tentatione reliquit eum diabolus, & recessit ab illo vsque ad tempus. Et ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.

FIGV-

FIGVRAE.

Exod.34. 1. MOYSES ante datam populo Israëlitico legem in monte cum Deo quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunus permansit.

I.Reg.17. 2. Dauid solus cum superbagigãte Goliath certamen iniit, eumq; vicit & occidit.

Gene.3. 3. Damon in paradiso terrestri tentauit Adamum & Euam vitio gulae & ambitionis.

PROPHETIÆ.

Gen.3. 1. IPSE conteret caput tuũ, & tu insidiaberis calcaneo eius.

Psal.90. 2. Super aspidem & basiliscũ ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Psal.73. 3. Tu confregisti capita Draconis.

CONSIDERATIONES.

Punct.1. CHRISTVS simulatqua fuit baptizatus, mox ex aquis egressus, ductus est à Spiritu sancto in desertum. Considera hic homo miser & carnalis exemplũ nouum, quod tibi præbet bonus IESVS, post tam clarum & illustre Patris æterni testimoniũ, post apertos cælos, post visibilem Spiritus sancti in

ipsum

ipsum delapsum, in desertã solitudinẽ concedens, vbi propter te in societate bestiarũ versatur, vbi sine lecto, sine tecto, sine cibo seipsum & carnẽ suam affligit, vt qui pro te baptizatus est aqua, etiam asperitate vitæ, & tentatione inimici baptizaretur. Ingredere tu quoq; ô anima mea cum tuo benedicto IESV in interioris solitudinis desertum, mentem & affectum auocando ab omnib. rebus creatis, obliuiscere populi tui & domus patris tui, vt rex cælestis amet & concupiscat speciem tuam. Et si verseris adhuc inter bestias, id est, homines sensuales & carnales, vanitatibus mundi addictos, non cures, imò gaude te propter Christum haberi stultam & bestialem. Age vt viuas solitaria, vt soli omnium Domino placeas, quem præ omnibus elegisti. Fuge mũdi tumultus. Fuge parentes, separa te ab amicis & familiaribus; habes enim spõsum verecundum, qui coram alijs nullo modo te suæ præsentiæ participem faciet. Fuge igitur ab omnibus, si non corpore, saltem mente & spiritu. Tunc sola eris, quando non cogitabis, nec desiderabis præsentia; quãdo contemnes, quicquid mũdus amplectitur & magni æstimat; abhorrebis q̃ omnes

desi-

desiderant; cùm non senties ludibria aliorum & contumelias: cùm obliuiscaris illatas iniurias. Tunc, inquam, verè solitaria eris, etiamsi corpore inter multos verseris.

2. *ET erat cùm bestijs in deserto.* Contemplare anima mea, quomodo Filius Dei relicta cælesti regia, vbi à multis Angelorum milibus illi seruiebatur, propter te venire voluerit in hoc horridum desertum, & instar bestiæ degere inter bestias. Sed mirum non est, hic enim est, de quo in sua persona dixerat Propheta. *Vt iumentũ factus sum apud te.* Sis tu quoque ô anima mea vna ex bestijs deserti, adiunge te in comitem solitario IESV, quid enim aliud es quàm iumentum & bestia? O quoties patienter ferre debuit indomitos & belluinos tuarum perturbationum motus, & diuinos purissimosque oculos suos cum verecundia quadam auertere ab illis? O quoties clementissimus IESVS suaui consolatione animi tui feritatem, qua continenter eum offendebas, coercuit, quoties pro illatis sibi cõtumelijs pro incredibili sua mansuetudine à te bestia sanguinolenta humiliter pacem poposcit? O bestia crudelis, agnosce tandem aliquando

tantam benignitatem, & patientiã tui dulciſſimi IESV, & poſita omni feritate cordis, abijce te humiliter ad pedes eius, & amarè coram eo tuas iniquitates deplora, deprecare veniam, & emẽdationem promitte. Ac vbi ſacros eius pedes fueris exoſculata, attolle vultum, & contemplare diuinam eius faciem, ſi fortè illo ſuos clementiſſimos oculos in te reflectente, merearis tahi ab efficaciſſimo influxu ſuæ caritatis, & in ardore Spiritus clamare, & dicere vnà cum ſponſa: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Cant. 2.

*CVM Dominus ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt.* Non fuit admodũ mirabile, quod Chriſtus tot dies omni cibo abſtinuerit, cùm Moyſes & Elias, nõ quidem propria, vt Chriſtus, ſed diuina virtute idem fecerint; ſed magis admirabile fuit, quod eſurierit, tanta enim erat animæ Chriſti beatitudo, vt facilimè, ſi eius redundantia in corpus cohibita nõ fuiſſet, potuerit ab omni paſſione & nocumento præſeruari. Sed eſurijt Saluator noſter, quia ita voluit. Nec exiſtimandum eſt, fuiſſe exiguam eius famem, ſed potiùs vehementem & grauiter affligentem, quam in pœ-

nam

nam cibi vetiti, quem contra præceptum Dei primi parentes sumpserant, pro remedio, sibi imposuit. Fuit quoq; hoc ieiunio deceptus diabolus; nam non potuit ex eo perspicuè colligere illum esse filium Dei, cùm & alij Prophetæ totidem diebus ieiunârint. At cum animaduertit eum perpessum famem, certo credidit esse purum hominem, & sic ausus est eum tentationibus suis aggredi.

4. VERVM, quæ quæso bone IESV, erat hæc fames tua, num solius panis, & cibi materialis? nõ profectò. Sed nunc eadem tibi fuit fames, quæ postea sitis fuit in cruce. Sitis erat de mea salute, & nunc fames tua est de sola mea salute. Non ergo pro te, sed pro me, & de me, & de mea salute fuit fames tua: Quod clarè expressisti verbis illis, cùm dixisti: *Meus cibus est, vt faciã voluntatẽ eius, qui misit me; vt perficiã opus eius.* quod opus aliud nõ erat, quã nostræ redemptionis. Sed quoties ô anima mea loco huius dulcissimi cibi, exemplo infernalis tentatoris, famelico redemptori nostro, dura saxa, hoc est, cor nostrum induratum obtulimus? Et vtinam saltem non voluntate

Ioan. 4.

decipiendi, vt fecit tentator, sed pio & religioso affectu illa offerremus, vt ille diuinæ suæ gratiæ vi in panes conuerteret, & in nobis cõpleretur, quod iam ante per Prophetam promiserat, dicens. *auferam à vobis cor lapideũ, & dabo vobis cor carneum.* *Ezech. 36.*

5. CONSIDERA quibus de causis Dominus tentari voluerit, nec enim voluit causa demonstrandæ suæ virtutis & potentiæ apud homines, nulli enim in deserto illo mortaliũ, sed tantũ angelis erat conspicuus. Neque causa amplioris meriti; nulla enim vel gratiæ vel meriti accessio fieri poterat illi, qui sine vlla mensura acceperat spiritum & gratiam. Volnit ergo tentari. Primò, vt nos suo exemplo doceret formam modumque pugnandi, & tentationibus resistendi. Secundò, vt sua tentatione vinceret nostras, hoc est, superando aduersarium nostrum, eum imbecilliorem & debiliorem redderet cõtra nos. Tertiò, vt tentatus, & ex tentatione victor expiaret culpam, qua primus noster parens tentatus & victus, totum genus humanum infecerat. Quartò voluit tentari ad nostram consolationem, vt ne in tentationibus nostris desperaremus, scientes nos habe- *Ioan. 3.*

habere. *Pontificē tentatū per omnia, qui possit cōpati infirmitatibus nostris, & in quo passus est ipse & tētatus, posse & his qui tētātur auxiliari.* Deniq; voluit tētari, vt intelligeremus, etiam iustis & sanctis, non modò vtile & salutare, sed etiam interdum necessarium esse tentari; vt hac probatione, & rectiùs cognoscant seipsos, & impugnatione inimici purgati occasionem habeant meriti & coronæ amplioris. Prosunt quoque tentationes ad excitandos tepidos & negligentes, vt cognito impendēti salutis pariculo, perfugium habeant ad arma spiritalia orātionis, ieiuniorum, aliarumque pœnitentiarum, quæ eis adiumentum præstare possunt contra dæmonis insultus.

6 DICEBAT itaque dæmon *Si filius Dei es, dic vt lāpides isti panes fiant.* Vides quanto astu dæmon hanc primā propositionem faciat, vnoque verbo tres tentationes immittat, id est, vno ictu tria vulnera infligat Saluatori. Prima erat præsumptionis, si Christus suæ sanctitati confisus, ex illis lāpidibus conatus fuisset facere panem. Secunda gulę, si fame coactus, ad explendum carnis appetitum miraculum illud fecisset. Tertia exiguæ fiduciæ in

Deo,

Deo, quasi non vellet aut posset in extrema hac necessitate ei succurrere, sed opus esset, vt se ipse iuuaret per miracula. Vbi considera quoque, quem ordinem, & progressum in his tentationibus; Dæmon tenuerit. Primũ enim, vt alias solet cum hominibus spiritualibus, certamẽ aggreditur immissis tentationibus leuibus voluptatis, & necessitatis corporalis, à quibus homo, tum prætextu conseruandæ sanitatis, tum, quia credit exigui esse momenti, facile expugnatur. Si verò per has nihil efficiat, gradum facit ad maiores & magis spirituales, quæ hoc sunt periculosiores, quo maiorem præ se ferunt speciem virtutis & perfectionis. Denique si neutris quicquam proficiat, procedit laruatus & suas tentationes occultat, vt ad extremum fecit Christo. O stupendum spectaculum, ô mirabilem dialogum istum, inter inuentorem mortis, & auctorem vitæ, inter mendacij patrem, & æternam sapientiam ac veritatem, inter Principem tenebrarum, & Regem gloriæ institutum. Verum omnes hę astutissimi serpentis fraudes & machinæ humilitate & patientia mitissimi Iesu fuerunt tandem dissipatæ, & dissectæ.

7. CONSIDERA, quanta manſue-
dine Dominus reſponderit ad propo-
Matt. 4. tionem ſui aduerſarij dicens, *Non in*
*lo pane viuit homo, ſed in omni verbo*
*q procedit de ore Dei*: poterat enim
Deus quauis ex re alere, ſicut popul
ſuum in deſerto aluit manna de
delapſo, deinde homo nō ſolum op
habet ad viuendū cibo corporali, ſed
tiā ad bene & fæliciter viuendum ci
ſpiritali Verbi Dei, quo illu
inflā matur in caritate, conſolatur in
bulationibus, & aduerſus omnes tem
tiones confortatur. Non voluit hum
lis Ieſus potentia, qua prēditus erat, ſe
ſcripturarum ſacrarum doctrina pud
facere & reprimere tentatoris audaci
ſicut neque voluit in certamen cum a
tiquo noſtro aduerſario in forma ſu
maieſtatis, ſed in humilitate noſtræ h
manitatis procedere, vt ab ea ipſa natu
ra, quam ille prius deuicerat, vincere
tur, & opprimeretur.

8. DÆMON videns quanta ſapien-
tia Chriſtus primam tentationem pro-
fligaſſet; nouis ſe præſidijs magiſq; ef-
ficacibus parat ad ſecūdum inſultum.
Aſſumpſit enim Chriſtum, & duxit in
pinnaculum templi. Quo loco perpen-
de benignitatem & patientiam Domi-
ni,

ni, permittentis se attingi, atque etiam deportari à sanguinolenta illa bellua, quam sciebat maxima siti sui, suorumque amicorum sanguinis effundendi torqueri. At mirum non fuit, quod permiserit se ita deportari, cùm etiam permiserit se à sui aduersarij membris in crucem agi. Dixit ergò Dæmon. Si filius Dei sit, & à mundo haberi velit, demitteret se deorsum, & ferretur per aëra, vt hoc miraculo populo innotesceret eius sanctitas, & debito honore afficeretur. Vbi vides quanto astu Dæmõ, vt Christum induceret ad hoc facinus, etiam alleget scripturam, dicens. *Quia angelis suis Deus mãdauit de te, & manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

Vox verè diabolica, quæ non ad ascensum, sed ad descensum inuitat, non ad petendum cum humilitate cælum, sed ad delabendum cum superbia in infernum. Nam sicut proprium Dei est suæ gratiæ auxilio lapsos erigere, & in viam dirigere, ita dæmonis proprium est, stantes in lapsum impellere, & perdere; postquam enim ipse præceps de cœlo cecidit, nos omnes vnà secum conatur in idem præcipitium trahere, Cæterùm arrogans & temeraria ista

inimici propositio, humili & prude
Saluatoris responso fuit refutata, & q
dem ijdem armis, quibus fuerat ob
cta, nempè Scripturæ auctoritate, dis
tè prohibentis, ne quis tentet Domi
Deum suum, volendo, scilicet, obtine
re miraculis, quod medijs humanis
ordinarijs obtineri posset. Quasi Chr
stus dicere voluisset. Cùm hic viæ
scalæ ad descendendũ è pinnaculo no
desint, non conuenit, vt vana quadã
stentatione, secũdum tuũ consiliũ, n
dimittam. Non indignatur mansuet
Iesus, non verbis asperis eum obiurg
non sua potestate in tam superbum &
importunum hostẽ vtitur, sed magn
moderatione, ipsisq; scripturæ vocib
illi respondet, tum vt illum diuinitat
suæ arcanũ cælaret, tum vt nos docer
aduersarium istum non potentia, s
humilitate & patientia expugnari.

9. ATQVI hoc altero insultu, Dæ
mon non contentus, & humili Christi
responsione mirè pudefactus, ex indi
gnatione iterum sustulit Christum in
montem excelsum valde, constituitq;
non iam simulatè, sed apertè validiori
bus tentationis machinis eum inuade
re, nempè magnificis promissis ad di
uinum adorationis cultũ sibi præstan

dum

dum allicere. Tres sunt passiones vel desideria cordis humani cæteris vehemẽtiora. Primum est tuendæ vitæ. Secundum honoris & existimationis apud homines. Tertium est opum congerendarum, aliorumq; bonorum huius vitæ. Quolibet horum desideriorum dæmon tentauit Christum. primo, dum ei suadet, vt faciat panem ad vitam sustentandam. Secundo, vt coram populo feratur per aërem, vt ab eo adoraretur. Postremo, dum ex illo monte ostẽdit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, audetq; illi promittere imperiũ in totum orbem terrarum, si cadens se tanqam Deum adoraret. O vocem detestandã, ô dignam impio animo, qui similitudinem & gloriam altissimi iam olim affectarat; à qua amentia, postquã ea semel fuit captus, nunquam recessit; nam in hanc vsq; horam id vnum omni studio elaborat, vt diuinus sibi cultus tanquam Deo deferatur. Si igitur hæc vox, hic effrænatus affectus eius proprius est, qui ob execrandum hoc scelus præceps actus est de cælo in tartara; quomodo, qui hanc pestem fouent, & omnem cogitationẽ & curam in eo ponunt, vt velut Dij ab hominibus timeantur & honorentur, non hoc

inditio conuincentur esse eiusdē spiritus; imò esse mēbra eius, qui Rex est & caput super oēs filios superbiæ. Verùm expende quemadmodū mansuetus noster agnus ad hanc extremā dæmonis propositionē, non placidè, vt hactenus respondet, sed, quia vidit ea iugulū petiit diuinæ gloriæ æterni Patris, magna auctoritate & imperio, in aduersariū conuersus, instar ferocis leonis abijcit & proculcat eius arrogantē superbiam dicēs.

Psal. 90. *Vade Satana. Scriptū est enim: Dominū Deū tuū adorabis, & illi soli seruies.* Sic vides adimpletam prophetiā Dauidis iam olim de Christo prædicentis. *Super aspidē & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonē & draconem.* Quare, sicut hic antiquus & venenosus serpens Satanas ille fuit, qui in paradiso terrestri ausus est primis parentib. nostris insultare, eosq; trib. armis, gulæ, scilicet, ambitionis, & auaritiæ suo imperio subijcere, sic rationi consentaneum fuit, vt in his ipsis nūc in deserto, à nostro capite & regeneratore Christo magna abstinētiæ, humilitatis, & voluntariæ paupertatis virtute vinceretur & subiugaretur.

10. O benedicte Iesu, ô Fili Dei glorioſe, ô angelorum Domine, ô Rex paradisi, quam profundè te humiliasti, ad quan-

quantū contemptū te ipſe abieciſti; vt permiſeris beſtiæ iſti infernali, vel in mentē venire de te inducendo ad ſe adorandā. Maior certè nunquā tibi vel ante vel poſt fuit illata cōtumelia. Nā etſi in cælo ſuperbus ille Lucifer aduerſus te rebellarit, tamen non aliud quæſiuit quam eſſe Deo ſimilis, & ab angelis adorari. Deinde, cùm Iudæi te crucifixerunt, non aliud ijs perſuaſit, quā te eſſe malefactorē, & diuinitatē vſurpare. At hic dæmon te tentat, & perſuadere conatur filio Dei, vt contēpto & abiecto æterno Patre ſe ſeruū Dæmonis faciat, eumq; loco Dei adoret. Maxima certè hæc fuit iniuria, ſed amor, qui te impulit venire in mundum, & ſubire mortē pro ſalute noſtra, effecit vt voluntariè & patienter hanc omnem iniuriam & contemptum toleraueris.

11. *ANGELI acceſſerunt, & miniſtrabant ei* Cōſidera, quomodo poſt victū & extrema ſua confuſione abactum Satanam à Saluatore noſtro, de cælo deſtenderint angelorum chori, & incredibili lætitia Domino ſuo de parta victoria gratulantes, alij cæleſti quadam harmonia illum recrearint, alij magna ſollicitudine, quaſi humaniſſimi famuli menſam pararint, epulaſq; de cæ-

lo missas magno amore & dilgentia ap posuerint. Accede tu quoque anima mea hanc sacrā mensam, & reliquias ex ea cadentes studiosè collige. Contemplare regē cæli pallidum, & longo ieunio debilitatum, quomodo famelicus nuda in humo iaceat. Vide quomodo erectus in pedes, sedens in nuda petra inter angelorū choros maxima modestia comedat. O fœlicem illum, qui ibi præstò adesse, sobrium illud & sacrosanctum conuiuium spectare, atq; etiam vnà cum angelis in re aliqua clemētissimo suo redemptori seruire potuisset. Fige hic pedē anima mea, nec discede. Præstò sis memoria, quandoquidē corporali præsentia adesse non potes, roga eū, vt te recipere velit, sicut recepit peccatricem Magdalenam, & quia tempore tantæ victoriæ tibi recusare non poterit aliquod singulare beneficium, postula ab eo gratiam, qua impetres gloriam, & in æternum cum eo viuere & regnare merearis.

*COLLOQVIVM.*

ORABIS Christum Dominum, vt sicut ille à spiritu in desertum ductus, ibi primū ieiunando quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, deinde patiendo famem vicit & expugnauit

uit suum tentatorem, ita tibi det gratiã vt ieiunando ab omnibus vitijs & peccatis, habẽdoq; veram famem & sitim iustitiæ, expugnare possis omnes tuos tentatores, nempè, mundum, carnem & dæmonem: Et quoniam tota vita nostra est continua quædam tentatio, tibi auxilium præstet, ne facilè cadas vel deficias, imò tentationes omnes vincas ac tandem per suam misericordiam ab omni tentatione libereris. *Iob 7.*

## DOCVMENTA.

1. *CHRISTVS simulatq; fuit baptizatus, & Spiritus S. in eum descẽdit, & desertum ingressus est, tentare eũ cœpit diabolus; vt intelligamus, quamprimũ quis in filiũ Dei adoptatur, & per veram pœnitentiam renunciat mundo, ac professionem facit sequẽdi Christũ, mox in eum insurgere inimicũ, & grauiorib. tentationib. impugnare, spe eundem, dũ adhuc in virtutis via imbecillis est, vincendi, & à capto cursu reuocandi, conuenienter illi dicto Sapientis.* Fili accedens ad seruitutẽ Dei, præpara animam tuã ad tentationem. *Eccl 2.*

2. *Christus primo baptizatus est, secundò adijt desertum, tertiò ieiunauit, quartò fuit tẽtatus. Hæc quatuor habere debet, quicunq; tẽdit ad perfectionẽ, vt pri-*

mo animã suam purget à peccatis. secundo renunciet illecebris huius mundi. tertio ieiunijs aliisq; pœnitẽtiæ exercitijs carnem suam mortificet. Postremo tentationibus dæmonis fortiter resistat.

8. Pœnitẽtia vt sit vera & fructuosa. Primo debet esse pura, hoc est, vt homo nõ sit in peccato. q̃ Christus significauit suo exemplo, dũ eam post baptismũ egit. Secũdo debet esse aspera vt domet carnem. Sicut Christus eam nõ egit in loco amœno, sed deserto. Tertio debet esse discreta .i. non excedere modum sicut Christus non egit eã proprio iudicio. sed ductus à Spiritu S.

1. Pet. 5. 4. Christus ieiunauit antequam à dæmone tentaretur, vt discamus, sobrietate vincendas tentationes, quod consulit quoq; Apostolus. nam inimicus non aliis armis oppugnat nos, quã propria carnis nostra, quando non est bene mortificata.

5. Spiritus S simulatq; in Christum descendit, eundem impulit in desertum, vnde discimus eos religiosos, qui solitudinẽ non amant. sed carni & sanguini adhærent, & consuetudine hominum huius sæculi delectantur, nec omnẽ creaturarum amorẽ exuisse, neq; à Spiritu S duci, nec perfectè eius gratiam recepisse.

7. Christus noluit, secundum consilium dæmonis, lapides conuertere in panes: vt do-

docceret nos, nunquam credendũ inimico nec vllaĩre, etsi bona & vtilis in specie appareat, ab eo suggesta, acquiescẽdum: nam sub bono ab eo proposito semper latitat venenum.

7. Tunc damon consulit, vt ex lapidib. fiant panes, quãdo pretextu discretionis conatur nobis persuadere, vt relicta asperitate pœnitentiæ, & austeritate vitæ, indulgeamus voluptatibus carnis.

8. Damon primo tentauit Christũ peccato gulæ vt intelligeremus, ad vincendas quaslibet tentationes, primũ expugnandam gulam, nam, vt docet BEDA, nisi primo gulã refrenemus, frustra alijs vitijs extirpandis operam dederimus.

9. Christus noluit secundum consiliũ damonis se de tẽplo precipitẽ dare; vt nobis exẽplũ daret, non quærẽdi auxilia supernaturalia & extraordinaria, quando alia ratione, cõsilio vel auxilio humanorẽ cõficere possumus. Nam, vt dicit S. Aug. non cauere periculũ, dũ possumus, potius esse, tentare Deũ quàm in illum sperare.

10. Damon duxit Christũ in pinnaculũ templi, vt inde precipitaretur O quot homines indies extollit Damõ, & deportat ad pinnacula Prælaturarum & dignitatum mundi, vt inde lapsu grauiore ruãt. O quanto securius est versari in vallibus

*statuum humilium, vbi vel nullus, vel cum exiguo periculo cõiunctus est lapsus.*

*11. Cùm damon Christo demonstraret omnia regna mundi, eorumq; gloriã, asserebat omnia sua esse, seq; ei daturum, si cadens ipsum adoraret. Qui volunt fieri magni & celebres in hoc seculo, & magnas opes congerere, diligenter considerẽt quid agant. nam hæc difficulter, nisi adorato prius damone, obtineri solent.*

*12. Cùm damon Christo suaderet, vt de tẽplo se mitteret deorsum, Christus man suetè respondit; sed cùm postularet se supplicem adorari, illum à se reiecit: vt discam⁹, iniurias nobis illatas omni submissione esse tolerandas, illatas autẽ Deo nõ solũ non ferẽdas, sed ne audiendas quidẽ. Nam ad iniurias proprias patientem esse laudabile est, sed ad iniurias diuinas patientem esse impium est & detestabile.*

*13. Damon à Christo reiectus & fugatus, discessit vt loquitur Euangelista, ad tempus. Sæpenumerò Damon, cùm præualere nequit contra nos, discedit fingẽs se victũ, vt postea, quando putamus nos securos, inopinato incursu facilè nos vincat. Quare seruus Dei in hac re debet esse valde cautus, & ita vnã vincere tentationẽ, vt semper à Damone inueniatur paratus ad vincendas alias.*

DE

# DE VOCATIONE PRIMORVM QVINQVE DISCIPVLORVM.

## MEDITATIO XV.

### EVANGELIVM.

ALTERA die ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo. Et reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit, Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum, conuerſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis. Quid quæritis? Qui dixerunt ei Rabbi (quod dicitur interpretatũ Magiſter) vbi habitas? Dicit eis. Venite, & videte. Venerunt & viderũt vbi maneret, & apud eũ mãſerunt die illo: hora aũt erat quaſi decima. Erat autẽ Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierãt à lo- *Ioan. 1.*

à Ioanne,& secuti fuerant eum.Inuenit hic primum,fratrem suũ Simonẽ,& dicit ei.Inuenimus Messiam(quod est interpretatum Christus) Et adduxit eum ad Iesum.Intuitus autem eum Iesus dixit.Tues Simon filius Iona,tu vocaberis Cephas(qod interpretatur Petrus)in crastinum voluit exire in Galilæã & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus.Sequere me.Erat autem Philippus à Bethsaida, ciuitate Petri & Andreæ. Inuenit Philippus Nathanaêl, & dicit ei.Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ:inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.Et dicit ei Nathanaêl.A Nazareth potest aliquid boni esse?Dicit ei Philippus, veni & vide:Vidit Iesus Nathanaêl venientem ad se; & dicit de eo.Ecce verè Israêlita,in quo dolus non est.Dicit ei Nathanaêl.Vnde me nosti?Respondit Iesus, & dixit ei.Priusquam te Philippus vocaret,cum esses sub ficu,vidi te . Respondit ei Nathanaêl & ait.Rabbi,tu es filius Dei,tu es rex Israêl.

PRO-

PROPHETIÆ.

1. INNOCENTES & recti adhæserunt mihi. *Psal. 24.*

2. In omni loco oculi Domini contemplãtur bonos & malos. *Prou. 15.*

3. Si videris sensatum, euigila ad eũ, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus. *Eccl. 6.*

CONSIDERATIONES.

CVM triumphator Christus IESVS asperitate deserti conculcasset mundum, & lõgo grauique ieiunio carnem afflixisset, ac denique suarum responsionum humilitate prostrauisset aduersarium; tempus erat, vt se patefaceret mundo, hominibusque eam doctrinam annunciaret, quam ante vitæ suæ exemplo docuisset. Venit ergo ad seruum suum Ioannem, partim vt eum honoraret; partim vt testimoniũ in populi præsentiã ab eo acciperet, atq; etiã, vt congruenter æternæ suæ dispositioni, aliquos ex eius discipulis sibi adiungeret, & ad Apostolatũ vocaret. Ioannes igitur vt vidit Christum aduenientem, cũ suis discipulis demõstrauit, dicẽs. *Ecce agn⁹ Dei.* Quo verbo ita mẽtibus eorũ impressit dignitatẽ Saluatoris, vt simul eis persuaserit, Christũ esse sequendũ. Vbi perpende, quãta pietate *Punct. 1.*

hic

hic fidelis amicus, & cæleſtis ſponſi præcurſor hoc diuinum teſtimonium de immaculato agno IESV protulerit: qui verè ſolus erat ſine macula, ſolus expers peccati; cuiusque ſolus ſanguis, potuerat eluere maculas & tollere peccata totius mundi. O quam dulce hoc verbum fuit in ore Ioannis, quandoquidem toties, tanto affectu illud repetiuit. Et ſi tam dulce fuit in ore, quanta eius dulcedo fuerit in corde, dum cõſideraret huius diuini Agni virtutes, humilitatem, manſuetudinem, caritatẽ; & innocentiſſimæ vitæ puritatem. Ex altera verò parte, quam amarum & durum hoc verbum fuit cordi, dum conſideraret finem, ob quem in mundum venerat, nempe vt occideretur, & in ſacrificium pro totius mundi peccatis æterno Patri offerretur. O ſancte Ioãnes, quantoperè commotum & liquefactũ eſt cor tuum, cum illum coram aſpiceres, & de illo verba faceres. Quam libẽter tuum potius ſanguinem, vitamque profudiſſes pro illo, quem ſciebas tam liberaliter eam profuſurũ pro te. Ego mihi certè perſuadeo, cor tuum compaſſione duriſſimæ mortis Redemptoris tui ita fuiſſe afflictũ, vt etiam ſi per obedientiam non licuerit tibi ſecundum

*1. Pet. 1. & alibi. Ioan. 1.*

dum corpus in eius societate permanere, tamen transformatus totus in eius passionem mente continenter in eius societate permanseris. Quare & tandē eum in morte imitari, & in glorioſorū martyrum numero haberi meruisti.

2. DVO discipuli Ioannis, audito sui Magistri de CHRISTO testimonio, maluerūt audire & sequi deinceps Christum, quam Ioannem; plurimumque gauisi sunt, à se tandem repertum illum, de quo toties eorum Magister locutus fuerat, & quem veteres Patres tanto desiderio expectarant. Vide ergo quomodo sancti isti discipuli secuti fuerint Christum, non tam corporis, quā deuotionis passibus; passibus fidei, passibus imitationis, desiderium quidem illos trahebat, sed timor & pudor, dū cogitarent suam ruditatem & ignorantiam, retrahebat, vt non auderent se proprius illi adiungere. Ex alia parte vide quam benignè & fortiter fuerint à CHRISTO attracti, exemplo illius eximiæ humilitatis, mansuetudinis, & imprimis caritatis, qua iam eorum corda accenderat, & ita sibi deuinxerat, vt, etiamsi voluissent, non potuerint ab eo diueli.

3. CONSIDERA, quomodo Saluator

uator ardens desiderio promouendæ salutis omniũ, & benignam faciẽ suam semper in eos conuertens, qui ex corde ad ipsum conuertuntur, omnesq; recipiẽs, qui cũ fiducia ad eum accurrunt,

*Zach.1.* cũ misericordiæ suæ oculis hos duos discipulos, qui ipsum sequebantur, respiceret, ad augendã eorũ fiduciam interrogarit. *Quẽ quæreret*, quasi diceret, quid petitis à me? sum enim paratus satisfacere voluntati vestræ. Sciebat quidẽ dominus, quo affectu & desiderio se sequerentur, sed voluit hoc actu conuertendi se ad illos, & respiciendi, & cũ illis loquendi, suam clementiam, & beneuolentiam, qua in illos ferebatur, declarare, vt confidentius ad se accederẽt, suaq; desideria & necessitates libertius exponerent.

4. RESPONDERVNT ergo discipuli. *Magister vbi habitas?* nõ quęsiuerũt, vbi esset eius domus, nam pauper IESVS

*Luc.9.* domum propriam nõn habebat, sed nec locum, vbi caput suum reclinare posset. Quo enim in loco ille habitaret? Nam cum eo tempore nondũ esset mundo manifestatus, ac proinde neq; cognitus, nec discipulos haberet, qui ei de habitatione, cæterisque rebus necessarijs prospicere possent, probabi-

le

le est cũ more pauperũ, vt victũ, ita vilem habitationẽ, vel nullam certã habuisse. Respondit itaq; illis IESVS. *Venite & videte.* O quãto Dominus prõptior est ad dandum & benefaciendũ, quam nos simus ad petendum & ab eo recipiendum. Iam finis diei aderat, nec aliud discipuli cognoscere petebant, quam vbi habitaret, vt eum postea inuenire possent: sed benignus IESVS non fuit re tam modica contentus, inuitat eos, vt secum pergant, & quia vespera erat, totam noctem vult impendere, vt eorum desiderio faciat satis. Et rectè dicit Euangelista illos discipulos toto die apud eum mansisse, neque enim poterant tenebrę noctis esse vbi erat Christus, qui est verus sol iustitiæ, & vera lux mundi. Nox illa, non fuit ijs nox, sed dies clarissima, ô quam beata dies, quam fœlix nox fuit. Vtinam referre aliquis possit ea, quæ ex cælestis Magistri ore tunc audita sunt, quæ fuerint inter ipsos colloquia. O anima mea conemur quoque ædificare nos ipsos, & cõstruere domum, in qua IESVS habitare dignetur. Beata siquidẽ anima est, quæ suũ cor cõuertit in domiciliũ spirituale, in quo Dominus cũ ea habitet, cum ea loquatur, & ab eo instituatur. *Ioan. 2.*

5. CON-

5. CONSIDERA, quomodo Andreas, post inuentũ Christum, thesaurum absconditum, & margaritam pretiosam, & è piscatore piscium factus piscator hominum, vt initium daret officio Apostolico, primum quærit Simonem fratrem suum, studio & voluntate iungendi eum sibi fide & religione, qui iam ante sanguine iunctus esset, & inuento dicit, *Inuenimus Messiam* Et rectè dicit, se inuenisse; hoc enim est verè inuenire Christum, esse amore eius accensum, & curandæ proximi saluti incumbere, vt alij quoque eius gratiæ participes fiant, quam ipsi anteacceperunt Neque mirum est Simonem
*Matth. 16.* tam citò fidem verbis fratris præstitisse, & passum fuisse se deduci ad Christum; Nam qua virtute attraxerat Andream, eadem quoque cor Simonis, iã ab æterno in caput & fundamentum Ecclesiæ prædestinati, attraxit. O iudicia profunda, ô consilia Dei altissima. Quis non existimasset Andream, Ioannis discipulum, & ab ipso Christo ex omnibus primo loco vocatum, priorem Petro futurum in Apostolatu? cùm Petrus non fuerit immediatè vocatus à Christo sed ab Andrea: neque legimus, illum Ioannis discipulum fuisse, simili

militer si quis magnum illud testimonium audisset, à Domino datum Nathanaëli, quando illi à Philippo adducto dixit. *Ecce verè Israhelita, in quo dolus non est*, proculdubio credidisset Nathanaëlem inter omnes Apostolos primum futurum, & tamen nec primus, nec vltimus fuit, cum nõ sit in numero duodecim Apostolorum. Nathanaël erat homo eruditus & Legis Doctor, & ideo Dominus eum noluit eligere in Apostolum, voluit autem eligere idiotas & simplices, ad confundendam humanam sapientiam & superbiam; vtq; constaret, virtute diuina, non sapientia vel doctrina humano mundo fidem religionis Christianæ persuasum esse. Vnde & Dominus non vocauit piscatores per Oratores, sed cõtra opera piscatorum vocauit, & obedientiæ fidei subiecit Oratores & mundi Imperatores. *1. Cor. 1.*

6. NATHANAELE à Christo sciscitante, vnde se nosset? respondit Dominus, *Priusquã te Philippus vocaret, cũ esses sub ficu, vidi te.* Considera, quomodo Dominus Nathanaelẽ, vt hominẽ eruditum & intelligentẽ, paulatim deduxerit in suæ diuinitatis notitiam. Nam primo, declarauit se esse Prophẽtam,

tam, dum, quasi interius eũ cognoscẽs, appellauit iustum, & in quo dolus non esset. Deinde declarauit se esse plusquã Prophetam, & plus quam hominem, dum addidit, se vidisse eum sub ficu: ostendens se etiam cogitationes hominũ videre, quasi diceret. Cum esses sub ficu, & de me mente multa agitares, ego omnes cogitationes tuas perspexi. Dubium non est. Nathanaëlem, vt hominem iustum, & suæ salutis ac liberationis populi sui cupidum id temporis in animo reuoluisse veterum Prophetarũ de Christo vaticinea; animaduertentemque, vt erat peritus Legis, instare tempus aduentus eius, desiderio tandem magno animi æstuantem cum suspirio & gemitu dixisse cum Propheta. Quando venies *O desiderate cũctis gentibus*? Nihil ergo mirum, quod à Christo tunc visus fuerit; Christum enim cogitabat, Christum desiderabat, & iam Christus in corde eius habitabat. Multo autem minus mirum fuit, quod Nathanaël certo colligens ex arcanorum notitia eum verum esse Messiam in lege promissum, mox exclamans dixerit. *Tu es filius Dei, tu es Rex Israhel.*

Agg. 2.

COL-

## COLLOQVIVM.

ORABIS Christum Dominum, vt sicut ipse est Redemptor perditorum, spes & refrigerium miserorum, ac pauperum spiritu dulce solatium, qui vocat omnes defatigatos ad se, vt eos reficeat, nec quenquam respuit ex ijs, qui per fidem se ei adiungũt, tibi largiatur gratiam; vt spe & amore tendere ad eum tãquam ad vltimum finẽ possis, illum solum quærere, & solum sequi. Ille enim solus Saluator, solus bonus, solus suauis est omnibus, qui in eo fiduciam & perfugium suum habent.

## DOCVMENTA.

1. *DE Ioãne scribitur, primo, quod stabat, secundo, quod respexerit Iesũ ambulantem. Tertiò, quod dixerit, Ecce Agnus Dei. Sic prædicator Euangelicus, primo debet stare, id est, esse constans in verbi diuini prædicatione. Secundò debet per meditationes diligenter totum vitæ Christi progressum cõsiderare. Tertiò debet populo hanc Christi vitam, & exempla ad imitandũ proponere & enũciare.*

2. *Christus videns duos illos discipulos sequẽtes se, conuertit se ad illos. Hinc magnam consolationem capere possũt ij, qui relicto mundo incipiunt sequi Christum,*

*nec*

nec debent, vel ob viriũ suarũ imbecillitatẽ, vel ob viæ difficultatẽ vel asperitatem, quã ingressi sunt, animũ despondere. Nam, vt primũ quis incipit tantũ bona voluntate sequi Christũ, ille mox misericordia sua respectu ad eum conuersus, addit animum & fiduciam, viresq; suppeditat perseuerandi in finem.

3. HI duo discipuli, etsi adueſperasceret, comitati sunt Christũ, vt audirent eius doctrinam. Christus quoque nõ recusauit eos in comitatum recipere, & docere. Semper est tempus faciẽdi benè. Semper est opportunũ adire Christũ. Qui in iuuentute non adijt, non negligat saltem adire in senectute. Semper enim inueniet Dominum paratum ad eum recipiendum, & salutem ei impertiendum.

4. VT Christus nulla re melius discipulis illis sui notitiã impressit, & sua doctrina capaces reddidit, quam cum eis dixit, Venite, & videte, permisitq;, vt toto die secum manerẽt: sic homines mundani & carnales, neque credere, neque capere possunt, quantũ bonum sit seruire Deo, & quanta conscientiæ pace, quantaque spiritus voluptate fruantur, qui in religione se Deo dedicarunt, nisi experientia ipsa conentur probare.

5. ANDREAS conuersus, mox quæsiuit

uit Simonem fratrem, eumque ad Christum adduxit. O quam multi hodie secus faciunt, quilicet professione Christiani, non solùm non studeant parentes & amicos suos adducere ad Christum: sed quando animaduertunt eos ad deserendum sæculum, & sectandam perfectionem Christianam propensos, conantur eos omnibus artibus & modis à bono proposito absterrere.

6. Dixit Christus Nathanaeli.: Quando eras sub ficu, vidi te. Magnoperè pudefieri & formidare deberet peccator, sciens, se quoties peccat, licet in occultissimo loco, in conspectu versari Dei, qui eum aliquando est iudicaturus. E contrà magna consolatione affici debet homo iustus, sciens, non solum desideria sua & bona opera explorata esse Deo, & illim remuneranda, verum etiam labores, afflictiones, & tentationes,, quas in dies patitur, aliquando coronandas.

# DE PRIMO MIRACVLO A CHRISTO FACTO IN NVPTIIS CANAE GALILEAE.

## MEDITATIO XVI.

### EVANGELIVM.

Ioan. 2.

IE tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino dicit mater Iesu ad eum, Vinũ non habẽt. Et dicit ei Iesus. Quid mihi & tibi est mulier? nondũ venit hora mea. Dicit mater eius ministris. Quodcunque dixerit vobis facite. Erant aũt ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secũdùm purificationem Iudæorũ, capientes singulæ metretas binas vel

vel ternas. Dicit eis Iesus. Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus, aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei, Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

## FIGVRA.

*DEVS primas nuptias instituit in paradiso terrestri, in quibus post creationem vniuersi primum miraculum fecit, conuertendo costam Adami in mulierem, quam ipsi Adamo tradidit in Sponsam* Gen. 2.

CONSIDERATIONES.

Puncta. 1. CONSIDERA, quomodo Christus Dominus exorsurus opus nostræ redemptionis, & omnia ad se tracturus, incipiat se manifestare, conuersando cum hominibus, & varia dona ac beneficia eis impertiëdo. Neq; enim conueniens erat diuinam hãc lucernam diutiùs velo humilitatis opertam delitescere, sed potiùs in apertum prodire ad illuminandum eos, qui versabantur in tenebris & vmbra mortis. Iam tempus aderat, quo verus sol iustitiæ ex obscuris humanæ conuersationis nubibus erumpens, inciperet radios suos ejicere, miraculorumq; splendore mũdo suæ diuinitatis gloriam patefacere.

Cana. 1. Erat deniq; tempus, vt cælestis ille spõsus, egrederetur ex suo thalamo, & tandẽ dilectæ suæ ostenderet faciem suam tantoperè ab ea desideratam. Vnde conuenienter hodiè in nuptijs Canæ Galileæ, quas adierat, instar sponsi mẽsæ assidens nuptiali, primũ signũ vel miraculum facit, signũ lætitiæ & cõsolationis. Neq; immuni fuit in his nuptijs defeciſſe vinum. Illo enim temporis momento iam cęperat imminui & deficere vinum illud acerbũ & ingratum veteris legis; cui succedere debebat, vinũ

nouum,

nouum, doctrinæ nouæ, & Spiritus noui, quem diuinus hic Magister attulerat de cælo.

2. VERVM heu dulcissime Domine, quãtum discrimẽ fuit, inter hoc primũ opus in nuptijs, & illud extremum sub finem vitæ in monte Caluariæ præstitum. Nam in his Canæ nuptijs assidebas mensæ nuptiali; in illis, clauis affixus pendebas è ligno, in his honoratus es honesto & prælauto epulo, in illis contumelijs affectus es, & amarissimo felle potatus: In his dedisti vinũ, in illis profudisti sanguinem: In his denique Matri tuæ, omnibusque conuiuis gaudio & solatio fuisti, in illis verò doloris tui gladio & animam matris tuæ transuerberasti, & omnes amicos tuos ac discipulos contristasti. Quanquã non hæ in Cana Galileæ, sed illæ in monte Caluariæ celebratæ fuerint veræ tuę nuptię, tanto tempore exoptatę, & tanta cordis tui voluptate peractę. Illę enim fuerunt humanę nuptię, in quibus tantum dedisti vinum, id est temporale nutrimentum, quod breuem tantum affert oblectationẽ corpori, at hę in mõte Caluarię celebratę, fuerunt diuinę, in quibus pro sponsa accepisti Ecclesiam, & noui testamenti calice, pretioso,

scilicet sanguinis tui potu homines caritate, & angelos lætitia inebriasti, mundoque æternam salutem & consolationem attulisti.

3. CONSIDERA, cur Christus voluerit interesse nuptijs, vt nimirum beneficio præsentiæ suæ illas sanctificaret, sicut voluit baptizari in Iordane, vt sacræ suæ humanitatis contactu omnes aquas sanctificaret. Voluit pariter ibi adesse Virginem purissimam, matrem suam, vt intelligeretur, quanta mentis & corporis puritate hoc sacramentum debeat celebrari. Hic perpende, qua ratione Dei filius, nostræ potiùs vtilitatis, quàm suæ dignitatis respectu non dedignetur demittere se, suaque præsentia pauperes illas nuptias honorare. Nō refugit Dominus, interesse nuptijs sui serui, pro cuius salute etiam formā serui assumere non est veritus. Ille deniq; qui venerat, vt peccatores adduceret ad pœnitentiam, vocatus est ad nuptias. Adijt verò illas, non corporis pascendi, sed reficiendorum eorum causa, qui ipsum inuitarāt. Beatus, qui ad suas actiones & negotia inuitat Christum. Beati, qui nuptijs suis optant interesse Christum tanquam testem & iudicem. Beatiores verò illi, qui repudiatis nuptijs

carnalibus, castitatem suam, consecrant Christo, quasi Angeli Dei, qui à curis huius mundi liberi, & tribulationibus carnis viuunt soli Christo, eiq; soli placere conantur.

4. CONTEMPLARE Christum mensæ assidentem, & cum reliquis inuitatis comedentem. Nota eius grauitatẽ, modestiam, & imprimis humilitatem: noluit enim inter primos, sed inter extremos accumbere, obseruans doctrinam, quam postea alijs erat traditurus. Considera quoque Virginem Matrem, quam sollicita per domum illam discurrerit, res omnes dirigendo, & inuitatis seruiendo. O beatam domum. O fœlix conuiuium, in quo & filius Dei comedebat, & mater Dei seruiebat. Aduertens ergo B. Virgo defecisse vinum, nec ferens misericordissimo corde suo tantum conuiuarum mœrorem, & pauperum sponsorum confusionem, materna quadam libertate & fiducia freta adit filium & dicit. *Vinum non habent.* Vide mirandam virginis prudentiam, nec enim postulat à filio, vt prouideat de vino, sed habita ratione reuerentiæ, quam filio debebat, & fiduciæ, quam habere congruebat de eius pietate & liberalitate, tantum indicat defectum, sciens *Zach. 2.*

amanti satis esse necessitatis notitiam. Res fuit magna admiratione digna, potuisse deficere vinum, vbi aderat is, qui fons & auctor est omnis abundantiæ & sufficientiæ. Non igitur casu, sed diuina prouidentia ita factum est. Nempe, vt deficiente vino naturali, diuinitus produceret vinum supernaturale, & ita homines in cognitionem venirent diuinæ eius potentiæ & ineffabilis natiuitatis. Quod non ignorauit Mater, quæ, vt erat plena Spiritu, & secretorum filij sui conscia, præuiderat illum hoc miraculum facturum. Quare animaduerso vini defectu, inuitauit ad faciendum, quod ipsa sciebat futurum, & quod ille posset, & statuisset facere. Magna ob hanc vini inopiam B. Virgo, vt erat benigna, misericordia commouebatur; vnde tenere se non potuit, quin mox succurreret. Et quid aliud ex hoc pietatis fonte promanare potuit, quã pietas? Quid verò mirum tam plena pietatis fuisse eius viscera, cum in his visceribus & conceptus sit, & nouem mensibus habitarit ille, qui est ipsa caritas & pietas? IAM si Dei mater tam misericors fuit & sollicita, vt vinum exoraret inuitatis, quãta eius cura erit & sollicitudo vt peccatoribus impe-

impetret indulgentiam, afflictis consolationem, tentatis auxilium, & omnibus hominibus sanguine filij sui redemptis dona & gratias necessarias pro eorum salute?

5. CONSIDERA ex altera parte responsum à IESV matri suæ misericordi datum, quando ei dixit. *Quid mihi & tibi est mulier?* Heu dulcis IESV quàm dura est hæc responsio? nónne tu es qui mandasti honorari patrem & matrem? cur ego tanta verborum asperitate pudefacis matrem tuam? & declaras te facere nolle, quod illa tanta pietate tibi proposuit? An forte aliqua in re oculos tuos offendit in hoc conuiuio? vel quia tanto amore tibi inseruiebat, vel quia tanta misericordia erga alienam inopiam mouebatur, vel quia tam humiliter à te petebat vinum pro illis, pro quibus tu eras paratus etiam profundere sanguinem? Qua mente ais, ô bone IESV, illam nihil ad te pertinere, nec habere quod cum ea agas, cum tu sis benedictus fructus purissimi ventris eius? nónne hæc est, quæ salua sua virginitate te concepit, & sine dolore peperit, in cuius visceribus nouem mẽses habitasti, cuius lacte altus, cuius opera & manibus educatus & guberna- *Exod. 20.*

tus, cui denique vt obsequens filius semper fuisti subiectus? Cur ergo ei nunc es molestus, & respondes, *Quid mihi & tibi est mulier?* Si autem alia est verborum tuorum sententia, vt velis nec tua nec sua interesse mederi præsenti inopiæ vini; dic quæso bone IESV, nónne tuum est prouidere necessitatibus nostris? & si non est, cuius tandem est? & si in nostris afflictionibus, calamitatibus & defectibus ad te Deum nostrum Patrem & Redemptorem nostrum refugere non debemus; ad quem refugiemus? quis manum præbebit?

6. VERVM si accuratiùs perpendamus hoc Christi responsum, intelligemus facilè id datum non ad arguendam matrem, quam magno semper amore & reuerentia prosecutus est, sed tribus grauissimis de causis. Et primo quidem, pro instructione nostra, vt disceremus, in ijs quæ ad diuinum cultū, & auxilium spirituale nostrum vel proximi pertinent, non habendam parentum rationem, vt eorum vel voluntate, vel precibus in ijs dirigamur, sed id faciendum, quod ad maiorem Dei gloriam & proximorum salutem fieri posse iudicauerimus. Secundo pro instructione matris: vt intelligeret, ad

ipsum

ipsum, tanquam DEVM pertinere, præscribere modum & tempus patrandi hoc miraculum. Qua ex parte, vti nō erat conceptus ex illa, ita neq; erat subiectus illi, neque debebat dirigi per illā. Qua de causa quoque non vocauit eam matrem, sed mulierem. Tertiò, pro fructu circumstantium, quia Mater prę-uiso illo defectu, pietate mota voluit præoccupare tempus miraculo præfinitum. Vnde si Dominus id feciſſet, & invasis, quod Mater videbatur optare, vinum multiplicaſſet, non fuiſſet miraculum palam cognitum, nec finis, vel vtilitas illa consecuta, quam ille intendebat, nempe, hoc opere diuinitatem suam manifestare, in fide discipulos cōfirmare, & circumstantes ad sui cultum & deuotionem pertrahere. Quare optime respondit Matri, *nondum veniſſe horam suam* hoc est, tempus diuina voluntate decretum, horam maioris gloriæ Dei, horam maioris vtilitatis & salutis circumstantium.

7. DIXIT adhæc Dominus, non veniſſe horam suam. Nam sicut Ioannes, quoad tempus, fuit præcursor Christi, sic prædicatio eius debebat præcedere prædicationem Christi. Quocirca Christus ad maius adiumentum istius

populi, constituerat non ante se manifestare, & prędicationis vel miraculorum initium dare, quam Ioannes suo officio finem imposuisset, & corda hominum ad recipiendum Christum disposuisset. Bene ergo dicit Christus. *Nondum venit hora mea*. id est hora, qua miraculis apertè me patefacere debeo mundo, eò quod Ioannes Baptista nondum ab Herode erat in carcerem detrusus. In quo apparet, quanti ille fecerit matrem suam, & quantam auctoritatem apud ipsum habuerit. Siquidem, quod alioquin nō erat facturus, in solius matris gratiam facere voluit. O peccator, si tantum poterat mater Dei apud filiū, cum adhuc esset in carne mortali, quāto magis nunc, dum cum illo regnat in cęlis, poterit condonationem peccatorum tibi impetrare, si cum deuotione, humilitate & fiducia ad eam confugeris? O bonitas Dei ineffabilis, nam licet eius sint omnia tempora, & omnes horę, tamen singulariter hanc vocat horā suam, qua nobis maiora affert cōmoda & beneficia. Benedictus sit huiusmodi DEVS, benedictus talis amor, quo ad maiorem fructum & salutem eorum, qui in illo confidunt, constituta & ordinata sunt vniuersa.

8. CONSIDERA, quamuis IESVS matri hoc responsum dederit in speciem durum, nihilominus fide dignum esse, illum cum hoc responsō, beneuolo aspectu totam interius solatam esse, certamque spem dedisse, eam voti cōpotem futuram. Vnde intelligens virgo se non passam in petitione sua repulsam, sed in tempus magis cōgruens dilatam, confisa benignitati filij, misit ad eum ministros, monens, vt prēsto astarent, parati facere, quicquid ille mandasset. Sciebat enim eum tanta misericordia & pietate prēditum, vt minus facere non posset, quàm compati, & succurrere illi inopi familię. Nec fefellit eam opinio. Nam paulò post Dominus iubens hydrias impleri aqua, easque in optimum vinum conuertens, expectationi maternę fecit satis, & spōsum cum omnibus conuiuis summo gaudio & consolatione affecit. Vbi cōsiderare potes, quemadmodum Dominus in omnibus suis miraculis, non solùm beneficium prēstabat corporibus, sed etiam salutem affecebat animis: sic hoc miraculoso vino non solùm recreasse & corroborasse corpora, sed etiam illustrasse mentes, & pectora eorū in amorem & cultum Dei accendisse.

9. DIXIT architriclinus Sponso, *se bonum vinum seruasse vsque adhuc*. Et verissimè dixit, quia à mundi exordio in illam vsque horam homines nunquam degustarant vinum præstantius hoc, quod Christus attulerat è cælo. Multis beneficijs, muneribusque terrenis & temporalibus veteres Patres cumulauerat, sed bonum vinum gratiæ cælestis, & promissionum æternarum in hæc vltima tempora reseruauit, quibus tantum amorem erga mundum demonstrauit, vt etiam vnigenitum filium suũ dederit pro illo. Populo suo primogenito Israhel, ne capellam quidem vnam vnquã dedit cuius epulo posset se cum amicis exhilarare: sed in reditu huius postremi filij sui prodigi occidit vitulum saginatum, instruxit conuiuium, & magna lætitia & congratulatione eum recepit. Denique priscis sæculis vocabatur Dominus exercituum, Deus vltionum, sed hac vltima hora voluit vocari Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.

*Ioan. 3.*
*Exod. 4.*
*Luc. 15.*
*Psalm. 93.*
*2. Cor. 1.*

10. MAGNVM diuinæ Maiestatis & potentiæ inditium fuit, sola Saluatoris voluntate aquam mutari in vinum, sed longe præstantior & admirabilior transmutatio est, quæ per hanc

fuit

fuit præfigurata. Omnes vocati sumus ad nuptias spiritales, in quibus Christus Dominus noster est Sponsus, nos verò eius sponsæ, quæ verò excellentior gratia esse potest; quid meliùs possumus expetere, quã eo affectu & sensu amari à Deo nostro, quo sponsus amat suam dilectam sponsam? Multo certè hæc sponsa inferior est sponso suo, inferior, inquam, conditione, pulchritudine, dignitate: & tamen propter hanc AEthiopissam, propter hanc naturam nostram sic deformatam de cælo descendit Regis æterni filius, vt recipiat eã in sponsam, & pro eius salute moriatur. Vnde, rogo, ô anima mea hæc felicitas, vnde gratia hæc inæstimabilis, vt merereris esse sponsa illius, in cuius vultum desiderant angeli prospicere? cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, cuius nutu & imperio omnia gubernantur? Quid vnquam rependes Domino pro tanta misericordia in te declarata? fecit te mensæ suæ participem, regni consortem, & cælestis sui thalami sociam. Vides quibus mutuæ caritatis brachijs vicissim debeas redamare & amplecti illum, quia tanti te fecit, imò qui tanti te æstimauit, vt amore tui sopitus in cruce, 1. Pet. 1.

cruce, non costę, sed sanguine lateris tui te reformarit. Age ergo anima mea, iam es Christo desponsata, iam in hac vita celebratur tuarum nuptiarum prædium, in altera verò vita, in ęterna illa patria Sponsus tuus tibi pręparat cœnam. Ad hanc te inuitat, ad hanc te expectat, si modo in aduentu eius deprehensa fueris serua fidelis, vigilans, & instar Virginum prudentum, habens lampadem accensam in manibus tuis, hoc est, si vita piè traducta circa mortem inueniaris in bonis operibus diuini seruitij occupata. O quàm grande bonum, Domine mi, quanta multitudo dulcedinis parata est timentibus Deum, eundemque toto corde diligentibus? Beati omnes, quotquot ad cœnam nuptiarum huius cęlestis agni fuerint vocati. Beati, qui in regno cęlorum cùm Angelis vescentur pane vitę & cùm amabili Sponso suo, bibent vinum nouũ corda lętificans, pacificans mentes, & animas caritate inebrians. O iucundum conuiuium, ô beatas nuptias.

*Matt. 24. & 25.*

*Psalm. 30.*

*Apoc. 19.*

*COLLOQVIVM.*

PRECABERE Christum Dominum, vt sicut pręsentia sua honorare voluit pauperum nuptias, & deficiente vino in illis dignatus est aquã in

in optimum vinum conuertere, ita dignetur quoque venire ad pauperem animam tuam, eiusque defectus virtutum donis supplere, conuertendo teporem in caritatis feruorem, nauseam & fastidium, in spiritualem gustum, & denique commutando aquam tuæ indeuotionis in vinum fructuosæ compunctionis, qua possit cor tuum corroborari & confirmari, donec admittaris ad gustandum vinum nouum, quo inebriat omnes electos in regno Patris sui.

## DOCVMENTA.

1. *SI B. Virgo tam est misericors, & tam prompta ad subleuandam alienam inopiam, vt antequam rogaretur, nec vrgente adhuc vlla necessitate præoccupauerit precibus Filium pro vini defectu: quanta fiducia freti esse debemus de certo ab ea auxilio in nostris necessitatibus spiritualibus obtinêdo, si in orationibus nostris deuotè ad eam refugiamus?*

2. *IN nuptijs Sanctorum, in quibus Christus cum castissima matre sua inuenitur, deficit vinum, vt indicetur, ijs in nuptijs minimè inueniri Christum & sanctissimam eius matrem, vbi non deficit, sed abundat vinum inordinatæ lætitiæ, & illecebrarum carnalium*

*lium, quæ animas inebriant, & oblivionem Dei inducunt.*

3. *Christus matri miraculum petenti durè responsum dedit, indicans in rebus ad cultum divinum, & gloriam Dei spectantibus, non esse ducendam Patris & matris rationem, neque plus debere nos esse de parentibus nostris sollicitos, quàm patiatur status nostræ professionis.*

4. *B. Virgo, responso duro non deterrita, ministris commendat, vt facerent quicquid Christus illis imperasset, vnde discimus divinæ benignitati nunquam diffidendum. Et quamuis, dum in precibus aliquid ab eo postulamus, videatur nobis respondere durius, nec annuere statim postulatis, tamen cum B. Virgine debemus bene sperare, & cum fiducia eius misericordiam expectare.*

5. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, Cana, interpretatur, zelus, & significat feruorē caritatis. Galilæa interpretatur transmigratio, & transitus. Illi ergo digni sunt, vt assideant Christo in nuptijs, qui divini amoris zelo, & caritatis ardore flagrantes, abiectis malis operibus, à vitijs ad virtutes, à statu culpæ ad gratiam, ab amore rerum terrenarū, ad desiderium cælestium transmigrarunt.*

6. *Ad B. Virginis preces hydriæ impletæ sunt aqua, quam postea Dominus convertit in vinum. O quoties clementissima Dei ma-*

ter

ter compatiens peccatorum miseriæ, precibus suis impetrat, vt dura eorum corda impleantur amarissimis contritionis lachrymis, quas postea Dominus, sublata culpa, & collata gratia, in suauissimum caritatis, diuinarumque consolationum vinum conuertit.

7. Omnis homo, inquit Sponsus, primũ bonum vinum ponit, deinde quod deterius est. *Hic mundus defraudator, est peruersus ille hospes, qui suis amatoribus initio præbet bonum vinum, dum eis omnes huius vitæ voluptates, amores & delitias exhibet, quæ tandem terminantur in æternam amaritudinem, sicut scriptum est.* Ducunt in bonis dies suos, & in pũcto ad inferna descendunt. *Contra, Christus est, qui bonum vinum reseruat in finem. Nam in hac vita seruis suis immittit multas afflictiones & tribulationes secundùm illud,* Arcta est via quæ ducit ad vitam. *gaudia verò & consolationes reseruat in alteram, vbi illis perfruenter in æternum.* Iob. 21. Matt. 7.

QVO-

# QVOMODO CHRISTVS TEMPLO EIECERIT EMENTES ET VENDENTES.

## MEDITATIO XVII. EVANGELIVM.

Ioan. 2. POST hoc descendit IESVS Capharnaum ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus. Et propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam, & inuenit in templo vendentes boues & oues, & columbas, & numularios sedentes. Et cùm feciſſet quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoq; & boues, & numulariorum effudit æs, & mẽsas subuertit. Et his qui co-

lum-

lumbas vendebãt, dixit. Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

PROPHETIAE.

1. *DOMVM tuam decet sanctitudo Domine.* — *Psal. 29.*
2. *Zelus domus tuæ comedit me.* — *Psal. 68.*
3. *Propheta & Sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum.* — *Ierem. 23.*
4. *Propter malitiam adinuentionum eorũ, de domo mea eijciam eos.* — *Ose. 9.*
5. *Et non erit mercator in domo Domini exercituum in die illo.* — *Zach. vlt.*

*CONSIDERATIONES.*

CONSIDERA, quomodo Christus Saluator noster post factum initium manifestationis suæ gloriæ, instar orientis solis magis magisque semper se attollat, splendoris caloriscq; sui radijs in totum orbem eiectis. Discedit itaque à paruulo castello Canæ Galilææ, & confert se Capharnaum Galilææ metropolim, inde ascendit Hierosolymam caput totius Iudææ. Iam incipiunt, o bone IESV, tuæ profectiones, iam pro me incipis defatigari & sudare, iam incipis gustare acerbos fructus illius crucis, cui semper *Punct. 1.*

sancta anima tua fuit affixa, & prolusionem quandam exhibere mundo illius perpetuæ & suauissimæ caritatis, qua amabilissimum pectus tuum conflagrauit. Tu instar piæ matris medicinam amaram sumis, vt nobis dulci tuo lacte sanitatem afferre possis, & instar benenoli Patris, ad nos filios locupletandos, te torques & affligis, & denique ad elargiendam nobis vitam, vltrò curris ad mortem. Vide, quemadmodum Rex cæli itinera sua confecerit, more pauperum, cùm matre paupere, & discipulis pauperibus, pedibus nu-
Matt. 10. dis, pannosis, & ex eleemosyna vitam sustentantibus. Neque enim verisimile est, eum, qui causa prædicādæ alijs paupertatis & humilitatis aduenerat, quiq; discipulis suis mandarat, vt per viam, neque calceamenta, neque pecunias, neq; aliud quidquam deferrēt, incessisse calceatum, alijsq; rebus necessarijs instructum. Vadit itaq; Capharnaum, ciuitatem populosam. vbi rectè Euangelista dicit eum non multis diebus hæsisse, nā cum ob improbitatem & duritiem gentis pauper IESVS, nullum ibi reperiret, nec hominem à quo susciperetur, vel aleretur, nec locum, vbi pedem figere posset, coactus est inde abire Hierosolymam.

2. TVNC

2. TVNC adimpletum est verè illud, quod posteà Dominus de se dixit. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Luc. 9. Quis explicare poterit, quanta passus sit Dominus quando velut Pastor bonus per valles & montes oberrans quærebat ouiculam perditā, vt humeris suis eam deportaret in ouile. Quot itinera pro hac re confecit? Luc. 14. quę ieiunia sustinuit, quas peregrinationes per castella, ciuitates, prouincias? Quem vicum ita vilem inuenit, vt non honorauerit eum sua presentia? quis locus in tota Iudæa fuit, in quo iste Sol iustitiæ, non reliquerit suæ virtutis, & beneficentiæ memoriam ac vestigia? Itaque cogita, quantam in his itineribus perpessus fuerit penuriam, quantam paupertatem, quantam famem, sitim, frigus, æstum, quot iniurias & contumelias. Hoc ergo modo Saluator per mundum peregrinabatur; quam peregrinationem admiratus Propheta dixit. *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum.* Ierem. 14.

3. ECCE ergo, anima mea, speculum virtutum omnium, in quo contemplari possis, ecce medicinam efficaciss-

cissimam, pro omnibus infirmitatibus suis, nempè vitam & exemplum tui Saluatoris. O medicina saluatoris, quæ omnia mala curat, alta humiliat, vires confert debilibus, abscindit superflua & omnia obliqua & detorta dirigit, & recta efficit. Quæ superbia sanari potest, nisi filij Dei humilitate? Quæ auaritia extirpari, si non extirpetur paupertate filij Dei? quæ ira placari, si non placetur mansuetudine filij Dei? quod cor potest ita esse ab amore alienum, quod tantis beneficijs non accendatur ad caritatem? non excitetur ad amandum eum, qui tantoperè nos amauit, & tot labores & dolores nostra causa sustinuit?

4. FESTO Paschæ appropinquante ascendit Iesus Hierosolymam. Ingreditur IESVS ignotus in ciuitatem ab ipso tantoperè amatam, totque donis & priuilegijs præ omnibus totius mundi vrbibus locupletatam & exaltatam. illa verò in eum semper mansit ingrata & crudelis. O Hierusalem ciuitas pacis, si habuisses oculos ad videndum, si cognouisses diem visitationis tuæ, & quis tuas ingressus fuerit portas. Erat enim Rex tuus & Deus tuus, à Prophetis tuis & antiquis Patribus tam vehe-

Luc. 19.

mea-

menter desideratus & expectatus, qui tunc de cælo venerat, vt afferret tibi veram pacem & salutem, vincula seruitutis tuæ exolueret, & antiquæ gloriæ tuæ vestimentis indueret. Quanta lætitia & gaudio ei obuiam iuisses? quanto honore, & triumpho eum recepisses? Verum hæc omnia tunc oculis tuis erant abscõdita. Ingressus itaque IESVS in vrbem ante omnia confert se in Tẽplum, quia in omnibus actionibus suis semper primo quærebat honorem & gloriam Patris. Cùm verò offenderet sacram illam Domum, solis sacrificijs & orationibus dedicatam, refertam animalibus, & negotiatoribus, in ea negotiationes profanas exercentibus, cogita quàm diuinis eius oculis grauis, quàm sacro pectori molesta fuerit iniuria illa & contumelia Patri suo hac profanatione illata, & quidem ab illis, à quibus maximè eum coli putabat, & in eo loco, vbi summa religio & reuerentia ei debebatur. Quam ob rem mirum non fuit, quod iusta indignatione, zeloq; paterni honoris vindicandi accensus, confecto è funiculis flagello totã illã sacrilegam turbã templo exegerit. Illud verò magna admiratione & stupore dignum est, eum, qui dixit.

Matt.12. *Discite à me, quia mitis sum & humilis cord*
& de quo eius præcursor Ioannes dixe
Ioan.1. rat. *Ecce agnus Dei.* nunc videre tanta se
ueritate flagris in homines sęuientem.
Quis enim vnquam vidit agnum, peric
quentem & eijcientem lupum; Erat certè Filius Dei agnus mitissimus, sed erat quoque Leo fortissimus de tribu Iuda
Apoc.5. Aduersus proteruos & in peccatis obst
natos, erat Leo, vt eos castigaret & ęter
nis supplicijs addiceret: In peccatores verò pœnitentiam agentes, qui instar huius turbę ad flagellorum ictus demittunt caput, & eius mandatis parent, est agnus mãsuetissimus. Age anima mea, si æquè amas tuum IESVM, ille amauit suum Patrem, compatere quoque illi, quem vides totum sancto zelo consumi, & plenum esse dolore cõpassionis. Consumatur quoq; cor zelo vindicandi honoris & gloriæ ipsius. & postquã te ipse feceris templum viuum suæ diuinæ Maiestatis, conserues illud mundum, nec ampliùs belluinis carnalium affectuũ motibus, otiosis & fœdis mentis cogitationibus atque illicitis cordis desiderijs profanes.

5. CONSIDERA huius facti magnitudinem. Nam etsi admiranda imprimis fuerit Saluatoris potẽtia, quam in qua-

quatriduano Lazaro excitando, in cęci nati visu restituendo, in trāsfiguratione sua demonstrauit, tamen videtur maiori stupore dignum, vnum hominem solùm, illo tempore, (quo ita erat contemptus & abiectus, vt postea eum tanquam malefactorem in crucem egerint, & aduersarios habuerit omnes Sacerdotes, Scribas & Pharisæos, dum viderēt totam suam expectationem & quæstum ab eo eripi) potuerit vnius flagelli vilis terrore & ictibus, tātam multitudinem in fugam conijcere, diffringere cathedras, mensas euertere, æs numulariorum effundere, alia agere, ad quæ multi homines vix sufficerint. Vnde probabile est, Dominum id temporis, speciem vultus illis præbuisse solito terribiliorem, ignitis radijs ex eius oculis emicantibus, vt non solùm non ausi fuerint ei respondere aut resistere, sed ne quidem conspectum eius ferre potuerint.

6. CONSIDERA ex alia parte clementiam & suauitatē Saluatoris. Quis enim credisset filium Dei, cū oculis ita inflammatis, aspectuq; tam terribili pugnaret pro honore Patris, non subitò ignes euocaturum de cælo, aut hiatu terræ absorpturum omnes illos sacri-

legas, vel ad minimũ seueriſſimis minis, acrive reprehenſione pudefacturũ fuiſſe? at nihil horum manſuetus IESVS egit; tantum benignè admonuit, remouerent iſti hinc omnia, & non ex domo Patris ſui facerent domum negotiationis. Correctio profecto paterna, verba veritatis iuxta & benignitatis plena. Sed quod flagellũ fuit illud, bone IESV, quo magnam iram tuam exeruiſti, & turbam illã ſceleratam caſtigaſti? an fortè eos cædebas ſcorpionibus, aut virgis ferreis, quibus tyranni poſtea diuerberarunt & occiderũt ſanctos martyres? an verò ſanguinolentis & crudelibus flagellis, quibus tu agnus innocentiſſimus ab ipſis Iudæis cæſus es & dilaceratus? Non certè. ſed contẽtus fuiſti leui flagello è funiculis contexto, quod terrori magis eſſet quàm dolori, quod bene notauit Euangeliſta, dum non flagellum, ſed quaſi flagellũ appellat. O quàm verè amas nos Domine dulciſſime, & quàm bene per Prophetam, dum alloquerere Patrem, zeloque domus eius aſſereres te comedi, ſubiunxiſti. *Et opprobria exprobrantium tibi ceciderũt ſuper me*. Et rectè. nos enim noſtris iniquis operibus inhonorauimus Patrem, opprobria verò & vitupe-

*Pſal. 68. Rom. 15.*

ria

ria in te reciderunt: tu quidem declaras te seuerum erga nos, & flagellis minaris nobis, sed verbera, ictusq; omnes in tuos humeros recidunt.

7. CONSIDERA denique, si Dominus tam grauiter tulit, videre in Tẽplo suo animalia innoxia, hominesq; ementes & vendẽtes ea, quæ cultui diuino erant dedicata, & iam iam erant in ipso templo Deo offerenda; quid faciat, vel facturus est, si ipse præsens existens in sacris templis Ministros suos diuino cultui speciatim consecratos ore quidem videat Deum laudare, sed corde & mente longe abesse? & si videat alios ad Ecclesiã ventitantes, non orandi caussa, sed potiùs animas perdendi, habẽtes oculos impudicitia plenos, & corda indomitis cupiditatibus æstuantia, otiosos, vanos, superbos, nugatores, alienæ famę detractores, & denique homines sine religione & deuotione; qui omnes quid aliud sunt quàm animalium vngulæ, & diaboli negotiatores, ac templi Dei profanatores? Sed heu si tales in præsentia Deus tolerat, & non castigat, nec templo suo exigit; verendum est, ne eos reseruet in supplicium multo grauiùs, quando in extremo die iudicij cũ perpetua ignominia

minia à Dei conſpectu auulſi audient
Matt. 25. terribilia illa verba. *Diſcedite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius.*

*COLLOQVIVM.*

ORabis CHRISTVM Dominum, quoniam ipſi, licet totius orbis Domino, qui neq; nobis neq; reb. noſtris eget, placuit habitare, templumq; ſuum conſtituere in nobis, animam tuam expurgare dignetur, & ab ea, quicquid oculos ſuos offendere poſſit, eijcere, vt ab omnibus ſordibus & maculis mentis ac corporis immunis, ſis templum mundum, & gratum ſuæ diuinæ Maieſtati, in quo ille, cuius delitiæ ſunt eſſe
Pro. 8. cum filijs hominum, delectetur habitare in æternum.

DOCVMENTA.

1. *INgreſſus eſt IESVS templum. Deus ſpiritualiter quotidiè ingreditur Eccleſiam, & conſiderat, vt quiſq; ſe gerat, & conuerſetur in illa; & ideo caueamus ne inueniat nos deditos iocis & nugis, vel inuolutos odijs, cupiditatibus & actionibus illicitis: ne eximproviſo deprehenſi ab eo flagellis à domo ſua exterminemur.*

2. *Chriſtus fecit flagellum ex funiculis, Funiculi deſignant peccata, quibus homo quaſi*
Prou. 5. *funibus conſtringitur & ligatur: vt intelliga-*

*mus*

mus Dominum ex ipsis peccatis nostris sumere castigandi materiam. eo quod peccator, dum perseuerando in malo, adiungit peccata peccatis, non aliud, quàm multiplices funiculos, è quibus conficiatur flagellum, quo à Domino postea castigetur.

3. Per oues à Christo è templo eiectas significantur, qui specie pietatis vel sanctitatis student alios decipere, vel hominum laudes aucupantur.

4. Boues, quæ sunt animalia laboriosa, & seruiunt ad colendam terram, designant Prædicatores. quos tunc Christus expellit è templo suo, quando nō ex amore Dei & zelo animarū, sed ob quæstum, aliaq; commoda temporalia cœlestem doctrinam annunciant.

5. Columbas vendunt, & arguntur à Christo illi, qui receptam Spiritus sancti gratiam non gratis, vti deberent, sed pro mercede, & pecuniis communicant alijs: atq; etiam non secundùm hominum merita, sed secundùm fauorem & gratiam humanam.

6. Illi mutuo dant pecunias cùm vsura in Ecclesia, qui Deo non integrè seruiūt, sed simul aliqua ex parte mundo & rebus terrenis: & qui non purè in suis rebus quærunt Christum eiusq; gloriam, verùm etiam proprium suum commodum & honorem.

7. Christus malos negotiatores è templo eiecit non verbis solùm, sed etiā factis, ad informan-

dos Prælatos & omnes Ecclesiæ Rectores, quàm rationem in corrigendis subditis tenere debeant, nempè, vt quando paternæ admonitionis suauitas ad eos emendandos non sufficit, adhibeatur animaduersionis seueritas.

Psal 68. 8. Zelus domus tuæ comedit me, inquit Propheta in persona Christi. Si ergo actiones Christi, sunt nostra instructio, meritò debet quiuis Christianus eundem zelum habere erga proximos, qui sunt domus Dei. Vnde cùm videmus fratrem nostrum currere ad vanos ludos, ad congressus lasciuos, aliaq; proximorum offendicula, similiter cùm audimus blasphemantem, murmurantem, conuitijs alios lacessentem, debemus eum admonere absterrere, reprehendere, &, quatenus possumus, à malo reuocare. Si enim fuerimus frigidi, & nobis tantum, animæq; nostræ, neglecto proximo, attenderimus; recordemur illius serui pigri, qui

Matt. 25. qui talentum suum absconderat. Is enim neq; accusatus, neque punitus fuit, quod talentum abiecisset, sed quod otiosus eo vti noluisset.

DE

# DE COLLOQVIO DOMINI HABITO CVM SAMARITANA.

## MEDITATIO XVIII.

### EVANGELIVM.

VENIT IESVS in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prędium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. IESVS ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem; hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei IESVS: Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cũ sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutũtur Iudęi Samaritanis. Respõ- *Ioan. 4.*

dit Iesus & dixit ei, Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est, vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es Patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit IESVS & dixit ei. Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quã ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitã æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neq; veniam huc haurire. Dicit ei IESVS: Vade voca virum tuum & veni huc. Respondit mulier & dixit: Non habeo virum. Dicit ei IESVS: Bene dixisti, quia non habeo virum, quinque enim viros habuisti: & nunc, quem habes, non est tuus vir. hoc verè dixisti. Dicit ei mulier: Domine, video quia Prophe-

pheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt : & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus vbi adorare oportet. Dicit ei IESVS: Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis, quod nescitis nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est DEVS, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cùm ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia. Dicit ei IESVS: Ego sum, qui loquor tecum. Et continuò venerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cùm muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea ? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit

illis hominibus: Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci, nunquid ipse est Christus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.

## FIGVRAE.

Gen. 24. 1. SEruus Abrahami in Mesopotamiã ad accipiendam vxorem filio Isaac Domino suo profectus, cùm peruenisset ad puteum aquæ vrbi vicinum, venit Rebecca cùm hydria ad accipiendam aquam, à qua pauxillum aquæ sibi
Gen. 25. præberi petijt ad bibendum.

2. Iacob peregrinatus in Mesopotamiam inuenit Rachelem, quæ postea eius fuit sponsa, iuxta puteum aquæ, cùm qua locutus est, & indicauit se esse eius cognatum.

3. Reg. 17. 3. Elias profectus in terram Sidoniorum, sitiens aquam petijt à vidua Sareptana.

## PROPHETIAE.

Esa. 43. 1. PRæbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.

2. Inue-

2. *Inuenerunt, qui non quæsiuerunt me: ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum.* Esa. 65.

3. *Aperiam in supinis nollibus flumina, & in medio camporum fontes. Ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam riuos aquarum.* Esa. 41.

## CONSIDERATIONES.

CONSIDERA, tantisper dum Præcursor Ioannes, lucerna illa lucens accensa fuit, luce sua testimonium ferens lucis veræ, quæ illuminatura erat totum mundum, Saluatorem nostrum latuisse, nec se manifestè hominibus prodidisse. Postquam autem Ioānes ab impio Herode fuit captus, & in carcerē coniectus, clariùs cœpit Dominus emittere suos radios prædicando, peccatores ad pœnitentiam vocando, & miracula in diuinitatis testimoniū patrando. Vnde nusquam in Scriptura legitur, Dominum huc vsq; vllum peccatorem manifestè aut vocasse aut conuertisse, idque congruenter fini, propter quem in hunc mundum venerat. Principium igitur facturus procurandæ salutis nostræ, incipit à muliere. Vt enim prima fuit mulier, quæ peccauit, eiusque opera seductus est vir: sic Sal- *Punct. 1.* *Ioan. 5.*

uator primò conuertit mulierem, & per illam omnes homines illius ciui-
Luc. 15. tatis. Vadit itaque IESVS benedictus per montes & valles quærens errantē ouiculam, vt eam reducat in ouile, cum verò iam adueſperaſceret, & ex itinere fatigatus eſſet, longaque fame & ſiti vexatus, more hominum de via feſſorum ſedit ſupra fontem Iacob, & ſe inſtar callidi venatoris componit ad agendam prædam apud dulces & fallaces huius mundi aquas, quo carnalium hominum animi cupiditate ſua quaſi feræ ſylueſtres curſu incitato feruntur, vt bibant, & inexplebilem ſitim ſuam exſaturent; ac demùm velut cautus auceps ita ſe ſuper aquas collocat, vt verbo um ſuorum reti aucupetur auiculas ratione præditas; & primum capta vna, eaque rectè inſtructa, quaſi duce vtatur ad reliquas in rete illiciendas.

Matt. 11. 2. CONSIDERA anima mea, quomodo IESVS tuus fatigetur, quomodo fatigetur omnipotens virtus altiſſimi, quomodo de via laboret is, à quo recreantur omnes qui labo-
Eſa. 40. rant, & in quo omnes habent ſuam requiem, ille inquam, qui tam facilè condidit cælos, & tot annorū millibus vni-

vniuersam mūdi machinā, duobus digitis suspensam sine vlla defatigatione sustinet, nūc tam breui itinere languescit. Verum nihil mirum; nam hæ profectiones, ó dulcis IESV, personæ tuæ non congruebant, non conueniebat tibi DEO vero, & homini, innocentissimo cum labore iter facere in mundo. Quid enim tibi vel cum Iudæa vel Galilæa, vel etiam Sammaria, vt eas pedibus tuis percurreres? vt tua præsentia eas dignareris honestare? Vnus ergo amor salutis nostræ, & iniuria peccatis nostris tibi illata causam dederunt, vt tam duris laboribus te subijceres; nulla necessitate, sed sola libera voluntate in te hanc lassitudinem suscepisti: Summum enim nostræ liberationis desiderium in eum modum excruciabat mentem tuam & corpus, vt instar hominis de via fessi, nō ante quietem cæperis, quam ad exitum eam perduxeris. Nondum inuenerat IESVS hominē quem quærebat, nondum repererat ouem cēteſimam, & ad gregem suum reduxerat, sed nec dum accensa erat lucerna Euangelica, qua quæri, & inueniri posset, drachma perdita, vt cęlestib. thesauris adiungeretur. Et idcirco iter faciebat, quærebat, & de via defessus *Luc. 15.*

fessus nunc sedebat & quiescebat supra fontem.

*Psal. 79. Dan. 4.* 3. CONSIDERA, quomodo sederit in terra ille, qui sedet supra Cherubinos, sederit supra puteum profundum, nouus magister quasi super nouam cathedram, vt hominibus patefaceret noua & profunda mysteria scripturarũ: sederit super aquas illas mortuas, vt commutaret in aquas viuas: ad quas per Prophetam inuitauit omnes illos, qui siti laborabant, quando dixit. *Esa. 55.* *omnes sitientes venite ad aquas.* Venit itaque mulier Samaritana, ignara quidẽ ipsa, cur veniisset, sed non ille, qui eam expectabat, & iam ad æternam vitam prædestinârat. Veniebat mœsta ex conscientiæ remorsu, ad hauriendam aquã mortuam ex fontẽ terreno, sed paulò post haustura viuam ex fontibus Saluatoris. *Esa. 12.* O admiranda Dei iudicia. Quàm *Rom. 9.* verè dixit Apostolus: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Mulier hæc neque quærebat, neque currebat, minus volebat, & tamen diuina pietas eius est misertа, liberata quoque à peccatis, & eousque nobilitata, vt subito ex infideli & infami peccatrice similis facta sit Apostolis & Euangelistis Christi. Dixit ergo IESVS: *Mulier da mihi bibere.*

*bibere*. Vide quomodo postulet ille, qui venerat ad dandum, desiderio ardens non iam exstinguendi sit in corporis, sed cordis, hoc est animam illam conuertendi & lucrandi. Nec enim legitur, cum postea bibisse. Parui Dominus faciebat illam aquam, suamque lassitudinem & sitim: Pluris æstimabat salutem animæ quàm potum aquæ. AT heu dulcis IESV, cur in ista extrema necessitate tua non petis aquam ab aliquo, qui misericordia tui cõmoueatur, petis autem à muliere alienigena, quam scie bas tibi eam recusaturam, imò conuitijs petituram & redarguturam tanquã transgressorẽ legis, ô Redemptor mundi, quàm præclarum nobis documentum reliquisti laborum huius vitæ patienter ferendorum. Tibi siquidem in defatigationibus & molestijs non poterant deesse refrigeria, sed vt nobis patientiæ & caritatis exemplum præberes voluisti eas, nulla admissa consolatione tolerare. O animæ meæ splendor & gloria, quam fortunatus fuisset ille, qui videre potuisset te, cum sic defessus sederes supra fontem, & oculos conijcere in illum diuinum vultum itineris lassitudine, sudoreque totum candidũ & rubicandum, quid dignus fuisset illo tem-

temporis puncto tibi seruire, opem aliquam ferre, vel certe in tanta necessitate te consolari.

4. *O Mulier, si scires donum Dei, & quis est, qui dicat tibi, Da mihi bibere.* O fortunata mulier, si scires, quā gratiam & misericordiam tibi præstet filius Dei, dū petit aquę hausti ū à te. Magno enim fauore & beneuolentia afficitur seruus, quādo Dominus se demittens postulat ab eo vel infimum aliquod ministerium. Si scires quantū esset Dei donū generi humana tanta liberalitate concessum, cumq; agnosceres, qui in cōspectu tuo versatur, qui à te poscit tantillū aquæ: est enim Deus tuus, & Rex tuus, qui cælū & terram pro te fabricauit, qui te ad imaginē suam creauit, & assumpta tui amore forma tua, pro te quoq; sanguinē, vitā, & seipsum totū dedit, quomodo dulcedine liquescerer anima tua, & si nō haberes, vnde eius sitim restingueres, teipsam in aquā cōuerteres ad præstandum aliquod tuo Creatore refrigerium.

5. VERVM quid est, quod dicis, ó benedicte IESV? paulò ante petiuisti bibere ab hac muliere, & iam ei promittis aquam viuā? Adhæc, quid sibi vult, *Matt.* 15. quod dum paupercula illa Cananæa

tot

tot precibus, tanta humilitate tibi supplicaret pro sanitate filiæ, tam duro responso eius petitionem repelleres; nūc autem huic Samaritanæ non minùs, imò magis indignæ, & tanto fastu respondenti, ac petita deneganti, quasi submittas te, & benignè offeras quod illa nec vult, nec postulat à te? O quàm es bonus, & quàm studiosè bonum nostrum quæris. O dulcis amator hominum. Benè apparet, sitim tuam nō fuisse aquæ, sed animæ illius mulieris; pro illa iter fecisti, pro illa sudasti & te defatigasti, ardensq; siti illius poposcisti bibere, imò te ipse ei obtulisti in potū fontem aquæ viuæ. Bene quoq; apparet te fuisse illum, de quo Propheta dixerat, *Calamum quassatū non conteret, & lignum fumigans nō extinguet.* Et hæc Samaritana quasi calamus quassatus, modicæ fidei, & peccatis plena vnde non voluit Dominus eam totam quassare, non extinguere modicam illam ignis vel amoris scintillam, quæ in illo reperiebatur, sed subitò adhibuit remediū, & benignè eam tractauit. Cananæam verò, quoniam videbat eam feruidam & in amore firmam, tractauit seuerius, vt patienter perseuerando crescceret quoque meritis & virtutibus.

*Esa. 24. Matt. 12.*

6. CON-

6. CONSIDERA, quia ratione paulatim Saluator durum illius mulieris cor mollierit & disposuerit: & primo quidem ei excellentiæ suæ opinionem in generando: hoc enim discipulus plus proficit, quo maiorem habet opinionem doctrinæ de suo magistro. Vnde dixit. Si scires quis esset, qui àte petit bibere. Secundo offerendo illi genus aquæ discrepans ab illa, quam illa erat haustura. Tertio proponendo mirabiles illius aquæ effectus, vt quod animam viuificaret, & sitim in perpetuũ tolleret. O raram liberalitatem, ô incredibilem benignitatem huius donatoris qui & ignorantibus aquam viuam gratiæ suæ vltro patefacit, & non petentibus etiam offert: Nec mirũ. Nam diuinæ bonitatis fons est sui ipsius diffusiuus, & se omnibus optat abundanter communicare, & ideò continenter quærit hortos & campos in quos diuinorum suorum donorum riuos effundere possit. Iam verò ex alia parte vide, quomodo ista Samaritana paulatim subintrabat in mirabilis huius Venatoris rete; nam illaqueata cælestibus promissis, & accensa desiderio habendi aquam viuam, non amplius eum superbia, appellando illum Iudæum, sed

magna

magna reuerentia & humilitate dicit. *Domine da mihi hanc aquam.* O admirandam mutationem. Paulò ante Saluatore ab ea potum poscente, superbè eius preces repulit. Nunc Domini mansuetudine & humanitate eò adducta est, vt ab illo humiliter petat potum. Quid facies hìc, bone IESV, negabisne tu quoque viciſſim illi tuam aquam, & eius inurbanitatem vlciscêre? at non est noster Deus ita durus, & vindictæ cupidus, vt sunt homines: non reddit malum pro malo, sed pro odio amorem, pro maleficijs rependit beneficia.

7. *VADE, voca virum tuum.* Non negat Dominus Samaritanæ aquam, sed differt donum ad maius eius bonum. Erat anima istius mulieris instar vasis vetusti & immundi. Vnde cõueniebat prius illud renouari & mundari, quam nouo vino, hoc est, pretioso doctrinæ Euangelicæ liquore repleretur. Certissimè norat Saluator eam esse obnoxiã peccatis, sed hac quæstione voluit eam suauiter inducere, vt voluntaria sua confessione iustificaretur, Considera bonitatem Domini, non patefacientis, nec pudefacientis eam propter admissa crimina, imò nec arguentis, vt erubesceret, sed potiùs gratiæ suæ radio mise-

misericorditer eam præuenientis. Sic enim eam alloquitur, vt cognoscens seipsam, proprio ore se accuset, & dicat, *Non habeo virũ*. quasi diceret. etiam si vir qui mecũ habitat, reputetur legitimus meus maritus, tamen verè non est, sed ego sum mulier peccatrix. O sapientia æterna, quæ tam suauiter disponis omnia. Quam prudenter ex anima illa mortiferum serpentem, à quo deuorabatur, elicuisti, secundum quod scriptum est. *Et obstetri cante manu eius eductus est coluber tortuosus.* Non dubium est, quin verbis his prolatis erubuerit, & remorsum conscientiæ senserit. Sed vide, quo pacto à cælesti medico mox fuerit adiuta & curata, nam misericors IESVS, non asperè, sed benignè, confirmato eius dicto, & arcanis cordis eius manifestatis, eam collaudauit, bis repetendo, quod benè & verè dixisset. O quantum Domino placet, quàm honorifica res est peccati confessio; ea enim peccator à Deo meretur non iam pœnam sed laudem, diuinaq; sua gratia dignus efficitur.

Sap. 8.

Iob 26.

8. *DOMINE, video quia Propheta es tu?* Considera nouum hoc Samaritanæ idioma, & mirabilem mutationem dextræ excelsi. Vide quomodo

aqua

aqua viua, iam ante à Domino ei ob-
lata, post expiata humili confessione
crimina, ex anima illa scaturire incipi-
at, & sensim viui fontis instar in altum
versus cælum ascendat. Vide qua
ratione oblita aquarum putei Iacob,
omniumq; rerum terrenarum sese inci
piat erigere, & appetere res cæleſtes, lo-
qui de adorādo Deo, de orationis loco,
& de Saluatoris in mundū aduentu. Vi-
de, vt non vocet amplius Christū, per
cōtemptū, Iudęū, sed multa humilitate
& reuerentia Dominū & Prophetā. Age
anima mea pertracta hic mente, quęso,
hunc dulcem dialogū inter Christū &
Samaritanam, pastorem, & errantem
ouiculā, redemptorē mundi, & huma-
nam naturam peccato perditā, habitū.
Expende, quomodo Christus post lon-
gum & arduum iter confectum pede-
tentim ei aduenienti se adiungat, blan-
do alloquio inuitet, & alliciat vt persi-
stat & capi se sinat. Ex alia parte vide
quomodo fastidiosa hæc ouicula, pri-
mo aspectu adhuc syluestris & fugitās
congressū discedit à Christo, sed postea
verbis ei⁹ paulatim emollita incipit in
cū respicere, & agnoscere, simulq; pa-
titur se tangi & capi à suo Pastore. Ob-
serua Dominum, dum exterius cum
mu-

muliere ista loquitur, interius pariter eam illuminantem, & conglaciatum eius cor calfacientem. Vnde, licet ignara, quis sit, tamen iam incipit in eum credere, eum amare, & concupiscere; & ideo dicit, se scire, Messiam venturum, & omnem veritatem mundo traditurum; quasi diceret, se iam in eum credere, eum expectare, & optare ab eo doceri & instituí. O quantum discrimen est inter hunc dialogum, & illum ab antiquo serpēte & prima nostra Matre Eua institutum, etsi vna ex parte non fuerint omninò dissimiles. Nam in illo primo Dialogo, serpens alloquebatur mulierem. at Christus quoque fuit serpens, non mortiferus & mendax, vt ille antiquus, sed salutaris plenus gratiæ & veritatis. Incredulis Christus erat serpens & petra scandali, nempe reputantibus stultiam & scandalum, credere in hominem crucifixum. at illis, qui illi se adiunxerunt, & more filiorū Israhel in deserto viua fide illum aspexerunt, fuit virtus & Dei sapientia. Vnde mirum non fuit Euam primo serpenti aures præbentem iustitia originali excidisse, & mortem sibi cōciliasse: Samaritanam verò Christi verbis credentem, gratiam amissam recuperasse,

*Gen. 3.*
*Ioan. 3.*
*Ioan. 1.*
*Esa. 28.*
*1. Pet. 2.*
*1. Cor. 1.*
*Num. 21.*

rasse,& salutem æternam consecutam.

9. IAM quid facies bone Pastor? En inuenisti oniculam tam diu quæsitam, iam vocem tuã audit, iam in te cedit, te amat, te concupiscit, sed nondum te cognoscit. Reuela ergo tandem ei faciẽ tuam tantoperè desideratam, resonet in auribus eius vox tua dulcis, & ex ore tuo audiat optatum illud verbum. *Ego sum*, vt perfectè te agnoscens, currat ad te eamq; in humeros reiectam deportes ad suum antiquum ouile. Dixit ergo ei IESVS: *Ego sum qui loquor tecũ*. Vidisses, dum verbum hoc efferret Christus, tantum diuini amoris ignẽ in pectore illius mulieris succendi, vt ardoris impatiens, & caritate ebria ceperit euomere flammas, & ignem in aliorũ pectoribus accendere. Quare deserit fontem, obliuiscitur hydriæ, imò obliuiscitur sui. nec mirum, quia iam biberat, iam sitim perfectè restinxerat, imò habendo in se fontem, non opus habebat alijs vel aquis, vel vasis, vel vrnis. Relicta ergo hydria abit in ciuitatem, vt conuocet & deducat totum illũ populum ad Christum.

10. AT quid agis, ô mulier? an nescis fas non esse mulieri prædicare, multò minus eam decere, in publicis plateis

*1. Cor. 14.*
*1. Tim. 2.*

clamare? Quam verum est, amoris quo ista mulier ardebat, non esse legem, non modum, nec mensuram. O mulier, non mulier, sed potius Euangelista Christi; iam liquet, te simul cum aqua viua à Christo tibi data, combibisse eius Spiritum, dum tam subitò incepis laborare siti salutis alienæ. Tunc anima huius mulieris, quę prius erat terra sterilis & salsuginosa, & inculta quædam sylua incolarum Samariæ, cœpit arbores frugiferas producere, & dulcium aquarum scatebris abundare, sicut olim prædixerat Dominus per Pro-

Esa. 41. phetam. *Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum & lignum oliuæ.* Tunc, vt

Esa. 35. in alio loco idem Propheta loquitur. *Scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum, in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci.* Fœlix Samaritana, multoque beatior Dina filia Iacob, quę

Gen. 34. in hunc ipsum locum Virgo egressa è suo tabernaculo, vt videret mulieres Sichar virginitatem perdidit, causamq; dedit internecioni & excidio totius populi. Sed tu eadem vibe egressa peccatrix, acquisiuisti iustitiam, causamque dedisti salutis omnium tuorum.

COL-

COLLOQVIVM.

ORABIS Christum Dominum, quãdoquidem ipse dives omnibus bonis, pro immensa sua caritate voluit in hunc mundum venire, laborēq; te quęrendi, & cælestium thesaurorum participem faciendi, susc ipere; vt velit animæ tuæ defatigatę, quietē aliquā impartiri, eiusq; sitim fonte vitæ, omniumq; gratiarū explere, vt cor tuum vbertate suæ dulcedinis inebriatum re ipsa omnium rerum temporalium obliuiscatur solumq; amet & desideret æternas, quę ita possunt illud exsaturare, vt nullam deinceps sitim reformidare possit.

DOCVMENTA.

1. MVLIER da mihi bibere. *Sitis Christi est desiderium nostræ iustitiæ & salutis. Tunc ergo Dominus potum postulat à nobis, quãdo internis inspirationibus nos impellit, vt relictis peccatis conuertamur ad se, fontē aquæ viuæ saliētis in vitã æternã.*

2. *Tunc etiam Dominus à nobis poscit potum, quãdo in mēbris suis, qui sunt pauperes inopia oppressi, petit eleemosynam & auxilium temporale. Ipse enim dixit.* Sitiui & dedistis mihi potum. Et quod feciſtis vni ex minimis meis, mihi feciſtis.

3. *CHRISTVS ex habitu à Samaritana agnitus est Iudæus, sic nos si velimus*

imitari Christum, eo habitu vti debemus, quo cognoscamur esse Christiani. Sic enim hac tempore elanguit religio, & creuit vanitas, vt aliquando multæ infidelium sectæ honestate vestium superent Christianos.

4. CHRISTVS conuersurus Samaritanam eam expectauit iuxta puteum, quo ventura erat, præsentemq; primum allocutus est de aqua materiali, sensim eam deducendo in notitiam & desiderium aquæ spiritualis, vt doceret, eos qui se profitentur Pastores & curatores animarum, primo expectandam occasionem & opportunitatem agendi cum aliquo peccatore, deinde sermonem inferendum, non de rebus, quas ille non capit, aut à quibus abhorret, sed quæ eius professioni conueniunt, vt pedetentim & quasi aliud agendo, in sermonem de salute spirituali delabatur.

5. Christus Samaritanæ aquam viuam petenti iussit, vt aduocaret virum suum, nec ante ei innotescere voluit, quam confessa esset, hominem quocum habitaret, virum suum non esse. Nunquam Dominus se per gratiam suam alicui communicat, vel eum meritorum suorum participem facit, nisi prius se humiliet & syncerè peccata sua confiteatur.

6. Qui biberit ex hac aqua, inquit Christus ad Samaritanam, sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Aqua huius mundi

mundi, designat amorem bonorum voluptatumq; terrenarum, quæ non possunt extinguere sitim, sed augent potius. Aqua verò Christi, quæ significat amorem Dei & rerum cælestium, sitim exstinguit in æternum. Sanctus enim hic amor explet totum cor nostrum, & omnino terrena desideria omnia consumit.

7. Discipuli mirabantur Christum loqui cũ muliere. Dominus ea cautela vsus est, vt nec sæpe, nec solus mulierem alloqueretur, non propter se, qui erat DEVS, sed vt formam daret nobis, & imprimis hominibus religiosis & spiritualibus, quemadmodum agendum sit cum mulieribus; videlicet raro, paucis verbis, & non sine comite.

8. Samaritana relicta hydria abijt in ciuitatem, vt ciuibus suis annunciet Christum. Sic Prædicator Euangelicus in viam se dans ad prædicandum alijs, debet prius relinquere hydriam, id est, deponere curas, & onera huius mundi, hoc est, deserere carnales cupiditates, & deinde alijs veritatem tradere.

# DE PRINCIPIO PRAEDICATIONIS CHRISTI.

## *MEDITATIO XIX.*

### *EVANGELIVM.*

*Matt. 4. Mar. 1. Luc. 4.*

IESVS relicta ciuitate Nazareth venit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima in finibus Zabulon & Nephtali, vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam. Terra Zabulon, & terra Nephtali, via maris trans Iordanem, Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit IESVS prædicare Euangelium regni Dei & dicere. Quoniam adimpletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, Pœnitemini, & credite Euangelio.

lio. Et fama exijt per vniuersam regionem de illo. Et circuibat ipse IESVS totam Galilęam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnē languorē & omnem infirmitatē in populo, & magnificabatur ab omnibus. Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebāt, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos & secutæ sunt eum multæ turbæ de Galilęa, & Decapoli, & Hierosolymis, & de Iudæa, & trans Iordanem.

## FIGVRAE.

1. IACOB *in fine vitæ benedicēs suis filijs dixit de Nephtalim, in cuius finibus Dominus prædicationem suam inchoauit.* Nephtalim ceruus emissus dabit eloquia pulchritudinis. Gen. 49.

2. *Ionas propheta à Deo missus, iuit prædicatum pœnitentiam in ciuitate Niniue.* Ion. 3.

## PROPHETIAE.

*Esa* 49. 1. ECCE *dedi te in lucem gentium.*

*Esa.* 9. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.*

*Esa.* 61. 3. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarè captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino.*

*Esa.* 52. *Nah.* 1. *Rom.* 12. 4. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem.*

### *CONSIDERATIONES.*

*Punct.* 1. CONSIDERA quomodo IESVS discedat ex Nazareth, & conferat se in partes Galilææ. Discedit primo, vt det nobis patientiæ & mansuetudinis exemplum, dando locum irę & furori eorum, qui conspirabant in eius interitum. Secundo, vt bonitatem suã declaret, sua absentia mitigando corũ inuidiam, & tempus concedendo, vt in se redeant, erroremque suũ agnoscant. Tertio, vt doceat modum, & formam à nobis in persecutione obseruandam, vt scilicet non exponamus nos temerè periculis, sed potius fugiamus, & cum pru-

prudentia occultemus, donec aduenerit hora nostra. Quarto, vt vocet & eligat futuros Magistros totius mundi, qui maximè in illis partibus degebant. Et denique vt hoc suo discessu præfiguret transmigrationem prædicationis Euangelicæ à Iudæis ad Gentes, docens discipulos illud, quod ipsi quoque postea erant facturi. Nam sicut Christus non receptus in patria sua, imò eiectus exilla, prædicatum abijt in alias Galilææ ciuitates, in quibus adhuc habitabant gentiles: sic postea Apostoli, Iudæis prædicationi Euangelicæ repugnantibus constanter responderunt. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, Ecce conuertimur ad gentes.* *Luc. 4.* *Act. 13.*

2. IAM appropinquabat vndecima & vltima mundi hora. Iam tempus aderat, quo magnus ille Paterfamilias, qui olim cebrius diuersis horis in Patriarcharum & Prophetarum persona exierat ad conducendum in vineam operarios, nunc tandem sub diei finem in propria persona exiret & conduceret reliquos qui multò tempore steterant otiosi. Egreditur ergo Saluator, vt Prophtea prædixit, tanquam Sol iusti-

 *Matt. 20.*

iustitiæ, vt illuminet sedentes in tenebris, & ambulantes in regione vmbræ mortis. Et idcirco rectè initium prædicationis fecit in partibus Galileæ, cuius incolæ erant partim Iudæi, partim gentiles, vt doctrinæ suæ splendore nō solum illustraret inuerteratam cęcitatē Iudæorum, verumetiā è mentibus gentilium ignorantiæ tenebras discuteret.

*Heb. 1.* Egressus est denique vt hæres vniuersorum & filius vnicus eius Patris, qui post missos olim seruos ad colligendū huius vineæ fructum, eosque ab ingratis agricolis partim flagellatos, partim lapidatos & occisos, ad extremum misit Filium suum, dicens, *Forte verebuntur filium meum.*

*Matt. 21.* Verum heu benedicte IESV, simulatque incipies aperire os tuum, & mundo tanquam hæredem declarare, exurget persecutionum tuarum tempestas: & cum ab agricolis tuis exiges debitos fructus, illi in necem tuam coniurabunt.

3. CONSIDERA verba Saluatoris. *Pœnitentiam agite, iam enim impletum est tempus & appropinquauit regnum Dei.* Sapientissimè Dominus noster non ante aggressus est prædicationem suam, quam Ioannes finem prædicandi fecisset: deficiente enim lege veteri, o-

rii debuit gratia Euangelij, & à Christo Saluatore nostro mundo annuntiari bona noua, non de vindicta, & minis, sed de remissione peccatorum, pace spirituali animorum, & promissionibus non terrenis, sed cælestibus. Noluit Christus exordiri suam prædicationē, nisi Ioanne in carcerem coniecto, ne causam daret Schismati vel discordiæ populari. Et Ioannes nullum fecit miraculū, vt populus magnitudine miraculorum Christi commotus se facilius ei adiungeret. Præcessit Ioannes Christum, vt vox præcedit verbum, aurora solem, seruus Dominum, amicus sponsum. Et deniq; quia totus mundus caliginosa quadā exercitate erat obrutus, vt in solem iustitiæ obrutum defigere nō posset, præmissus est Beatissimus Ioannes quasi lucerna, vt sua tenui luce ita præpararet peccatores, vt præsente Christo cælesti eius splendore non opprimerentur, sed recrearentur potius & confortarentur. Ioan. 5.

4. CONSIDERA, Christum exordiri voluisse prædicationem suam eodem modo, quo Ioānes exorsus fuerat, nempe à pœnitentia, vt sua illā Ioannis approbaret, & vt populus cognosceret, vtrumq; eodem spiritu locutos,

& Ioannis de Christo testimonium verum fuisse, ac proinde Christum esse filium eiusdem Dei, cuius Ioannes Propheta exstiterat. A pœnitentia quoque initium fecit Dominus, quia est prima veritas in ijs qui sunt obnoxij peccatis, primus ad Christum gradus, prima scala ad petendum regnum cælorum. Imò pœnitentia est clauis illa aurea, qua peccatoribus aperitur cælum; vnde rectè subiunxit Saluator. *Appropinquauit enim regnum cælorum.* quasi diceret, Peccatis vestris regnum cælorum longissimè à vobis remotum est, sed nunc agite pœnitentiam & appropinquabit vobis. Sed quid est hoc, bone IESV? paulò ante voluerunt te præcipitare de monte, & occidere, & iam iniuriam omnium immemor, non cessas docere & beneficus esse erga illos, quos scis paulò post fore erga te ingratos. O quantum Domine mi bonitas tua excedit malitiam nostram, & quam zelus animarum ad procurandam salutem nostram longè plus in pectore tuo potuit, quam omnis ingratitudo nostra potuerit ad commouendam iustam tuam contra nos indignationem? Deinde paulò ante te ipse obtulisti Nazarenis, de-

cla-

darando illis Vaticinia de te scripta, si te in Saluatorem recipere voluissent. & nunc Galilæis offers regnum, si conuerti velint, & pœnitentiam agere de peccatis. Quid ergo facies illis, qui te amant, & suum Dominum profitentur, tibique fideliter seruiunt, si illis qui te respuunt, & scelcribus offenduntur, tam liberaliter te, tuasque res impertiris?

5. EXPENDE nunc aliquantulum anima mea vocem huius turturis cælestis, quæ cœpit audiri in terra nostra. Vide quomodo, postquam ingrata synagoga ab amabili sponso suo diuulsa fuit, alienos sectata amatores, Saluator hodie, solitarij turturis instar, à socijs aberrantis, incedit gemens, & sponsam suam inclamans, nunc illi promittendo veniam, si post tot lapsus per pœnitentiam ad se redeat, nunc offerendo dona & præmia, vt si peccatorum grauitas non sufficeret ad eam terrendam & à peccatis reuocandam, saltem cælestium promissionum magnitudo quadantenus eam permoueret. O dulcis IESV, quam iustè tuam Prophetas miratus est bonitatem, cùm dixit. *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum?* Quis vnquam *Psal. 8.*

audiuit Regem potentissimum, vtili seruo suo, à quo iniurijs affectus & proditus est, non modo offerentem, si tantũ doleat de noxa, omnem pœnæ condonationem, verumetiam, adoptaturum se eum in filium, successorem & hęredẽ regni? certe non ob aliquod nostrum meritum, nec quod te dilexerimus, sed ob solam tuam bonitatem, & quia prius dilexisti nos, tantisque bonis, & gratijs collatis dignos reddidisti.

1. Ioan. 4.

6. CONSIDERA, quomodo IESVS iter faciebat instar misericordis Medici, quærentis eos, qui per imbecillitatẽ & infirmitatẽ corporis eum adire non possunt. Ibat velut pastor bonus, quærens debiles & ægras ouiculas, vt humeris impositas referret in ouile. Verè pastor bonus, non suis, sed gregis commodis & saluti studens; medicus verè diuinus, non corporis tantum sed animi quoq; morbos curans, & vtriusque naturæ se autorem demonstrans. Quare bene dixit Euãgelista, quod primum cæperit prædicare & docere, deinde miracula facere, sanando omnis generis infirmos. Nam primo doctrina sua sanauit hominum mentes, quod maximè erat necessarium; deinde verò curauit & corpora virtute suæ diuinitatis.

Luc. 15.

Ioan. 10.

Verè

Verè in hunc mundum, mi Domine, *Esai.4.*
venisti, vt dicit Propheta, ad ferendos languores, & dolores nostros portandos; venisti vt cælestis magister, qui magisterio suo hominibus viam salutis ostenderet: Venisti vt medicus, ad sanandos oēs animorū, corporumq; nostrorum morbos. Si ergo tam bonus; tam suauis, tamq; potēs est Saluator noster, sequamur & nos eū, ô anima mea, qui non minùs quàm turbæ illæ, varijs infirmitatibus oppressi sumus. Adiungamus nos illi, & veniam peccatorum nostrorum precemur, qui neque iam tardus erit in dando, si nos negligentes non simus in petendo. Heu mihi, quid non faciunt homines, vt vel à minima ægritudine se liberent. & tamen si anima nostra tot lethalibus morbis oppressa sit, dissimulamus, & de die in diem remedium differimus. Et licet nullo doloris sensu pungat nos horum morborum grauitas, non ideò securi sumus, imò hoc dolere & plangere amplius debemus, quo minus dolorem sentimus, id enim non inde contingit, quod peccata nō creent dolorem, vel non mordeant conscientiam, sed quia anima nostra facta est insensibilis.

7. CONSIDERA, quam corrupta & inor-

inordinata fuerit natura nostra, quando Saluator in mundum venit, & quanto maiorem molestiam creatura suo creatori in restauratione, quàm in creatione attulerit. nam creatio vno verbo tantùm perfecta est; restauratio verò, sine profusione sanguinis perfici non potuit. Vnde merito DEVS per prophetam in persona totius humanæ naturæ dixit ad Hierosolymam. *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Esai. 43. DEVS enim vno verbo, vnoque momento totum mundum condidit; & eadem facilitate condidit quoque angelos & homines: sed postquam homo per peccatum à Deo conditore suo, & ratione recessit, ad eum restituendum, non satis fuit Deum, diuersis temporibus per ora prophetarum hominibus nunc comminari, nūc exhortari, nunc promissis allicere, sed ad extremū necessarium fuit, vt ipse de cælo descenderet, & nostra carne indutus cūm hominibus conuersaretur, ore proprio Ioan. 15. eis prædicaret, coram eis quoque miracula faceret, eaque maiora, quàm vllus vnquam fecisset, vt quod verbis non posset, miraculorum saltem virtute persuaderet. O duritiam cordis humani. O magnam Dei patientiam, quam

bene

bene per Prophetam dixit: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona.* Verè, *tota die*, quia à prima mundi hora vsq; ad extremam, neque tu, neque creaturæ tuæ, aliud videmini feciſſe, vel alij rei operā dediſſe quàm gubernationi & ſaluti hominū; ſic, vt tot prophetarum voces, tot immiſſa flagella, tot opera mirabilia, quæ diuerſis ſæculis, à condito orbe in hanc vſque horam feciſti, non aliud fuerint quàm continua quædam prædicatio, qua conatus es homines à peccatis reuocare, in notitiam & amorem tui inducere, ac denique ad æternam fælicitatem promouere. *Esa.65. Rom.10.*

## COLLOQVIVM.

OBſecrabis Chriſtum Dominum, vt ſicut ille miſertus humanæ fragilitatis, volensq; animæ noſtræ verā præbere medicinam, prædicationem ſuam inchoauit à pœnitentia, ſic tibi quoque miſero ſpatium & affectum pœnitentiā agendi concedere velit, vt per illam & appropinques, & aperias regnum cælorum, quod tuis peccatis fuit clauſum & longè à te remotum. Et quoniam inſtar miſericordis medici venit ad quærendum

dum infirmos, & sanandas animorum, corporumq; ægritudines, velit quoque te intus forisq; varijs morbis oppressum, sanitati restituere, extrahendo te ex luto & fecibus peccati, & dirigendo gressus tuos in viam salutis.

## DOCVMENTA.

Luc. 1. 4. 1 CHRISTVS facturus prædicationis suæ initium, reliquit Nazareth, patriũ suam, quæ erat exigua villula Galilææ, & abijt ad vrbem populosam Capharnaum, in qua morabantur Iudæi mixti gentilibus, vt nos doceret, Prædicatorem Euangelicum, vt omnibus liberè annunciare possit veritatem, imprimis debere exuere omnem inordinatum affectum erga parentes & sanguine iunctos. Secundo debere suo munere fungi ijs in locis, vbi spes apparet vberioris fructus animarum.

2. CHRISTVS noluit prædicationem suam auspicari in regia vrbe Hierosolyma, vbi degebãt Principes, omnisq; Iudaica nobilitas, sed in Galilæa prouincia paupercula, in quæ erat magna Dei ignorantia, vt intelligant eius Prædicatores, non esse sectandas cathedras celebres & nobiles, nec aucupandam nominis gloriam & existimationem, sed vtilitatem & salutem animarum.

3. SI

3. SI CHRISTVS medicus cæleſtis, qui probè norat, & quanta eſſet noſtra infirmitas, & quæ medicina ei conueniret, mundo annunciauit pœnitentiam; quomodo ſpem ſalutis habent, qui longè aliam ineunt viam, & nihil pati volunt? & cùm totos dies, non aliud quàm peccent, & Deum offendant, tantoperè tamen à pœnitentiæ operibus abhorreant, vt nomen quidem æquis auribus ſuſtineant.

4. IOANNE prædicante, CHRISTVS vel tacebat, vel certè non prædicabat publicè: finita prædicatione Ioannis, CHRISTVS aggreſſus eſt ſuam, eare maximam ſuam humilitatem demonſtrans, dum Dominus officio doctrinæ & prædicationis cedit ſeruo, ad confuſionem multorum, qui non modo non inferioribus & æqualibus, ſed nec ſuperioribus cedere dignantur, & ſe certo quodam modo ipſi Filio Dei anteponunt.

5. CHRISTVS in prædicatione imitatus eſt Ioannem, exordiendo prædicationem ab eodem argumento, quo Ioannes exorſus fuerat. Quod fecit primo, vt Ioannis doctrinam confirmaret. Secundo, vt pudefaceret eorum arrogantiam, qui dedignantur imitari bonam aliorum doctrinam, imò redarguunt, & ſuam tantum venditant, vt ſoli in pretio habeantur.

6. Do-

6. *Dominus in concionibus suis non solùm hortabatur populum ad credendum Euangelio, sed etiam ad agendam pœnitentiam. Vnde discimus, ad salutem obtinendam, non sufficere fidem, qua in Christum credimus, sed agendam insuper pœnitentiam & operibus demonstrandum nos de peccatis commissis dolere.*

7. *CHRISTVS non tantum docebat verbis, sed etiam doctrinam suam confirmabat operibus, & ideo diuulgata vndiq; eius fama, omnes populi ad eum accurrebant. Sic Prædicatores, si velint magnum esse hominum concursum, comparare nomen, & singularem fructum in populo facere, conentur imitari Christum, iungendo sanctæ doctrinæ, opera vitæ inculpatæ & religiosæ.*

8. *Euangelium commemorat CHRISTVM primo circuiisse. Secũdo peragrasse Galilæam, in qua erant, Iudæi, gentiles, & homines inopes. Tertiò docuisse. Quarto, in Synagogis. Quinto prædicasse Euangelium regni. Sexto sanasse omnes infirmitates in populo: vt suo exemplo demonstraret, quales debeant esse Prælati, & Euangelij prædicatores. Ac primo quidem, ne sint ignaui & negligentes, sed solliciti & feruentes. Secundo, ne sint acceptores personarum, sed omnibus æqualiter suam doctrinam communicent. Tertio, ne circumeant vacui & otiosi, sed doceant, & fru-*

*ctum*

tum aliquem faciant. Quartò, vt non tradant doctrinam periculosam vel suspectam, sed sanā & à Doctribus approbatam. Quintò, ne concionentur de rebus curiosis, & vanis, sed de fructuosis & animæ salutaribus. Postremò, vt nō solum adiumento sint suis subditis, in rebus spiritualibus verumetiam, quatenus poterunt, in necessitatibus temporalibus.

# DE VOCATIONE APOSTOLORVM.

## MEDITATIO XX.

### EVANGELIVM.

AMbulans IESVS iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream, mittentes rete in mare. erant enim piscatores; & ait illis Iesus. Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi

*Matt. 4. Mar. 2. Luc. 5.*

illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde pusillũ, vidit alios duos fratres, Iacobũ Zebedæi & Ioannem fratrem eius, & ipsos in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos; Illi autem statim relictis retibus & patre Zebedæo in naui secuti sunt eum.

*Matt.9. Marc.2. Luc.1.*

Exijt IESVS rursus ad mare, & cùm transiret, vidit hominem publicanum, Matthæum nomine, sedentẽ ad telonium, & ait illi. Sequere me. Et relictis omnibus surgens, secutus est eum. Et fecit ei conuiuium magnum in domo sua. Et factum est, cùm IESVS accumberet in domo illius, ecce multi publicani & peccatores venientes, simul discumbebant cum IESV & discipulis eius. Et videntes Pharisæi & Scribæ eorum, murmurabant, dicẽtes ad discipulos eius. Quare cum publicanis & peccatoribus, manducat & bibit magister vester? Et hoc audito IESVS respondens ait illis. Non necesse habent sani medico, sed qui male habent. Euntes autem

autem discite quid sit. Misericordiã volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Oseæ 4.

## FIGVRA.

*ELIAS reperto Eliseo in agro, quem arabat, misit pallium suum super illum, qui statim relictis bobus, & licentia accepta à patre & matre, secutus est Eliam, cum prius conuiuium omnibus socijs suis exhibuisset.*

## PROPHETIAE.

1. *ECCE ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum in Israhel.* Esai. 8.

2. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos.* Ierem. 16.

## CONSIDERATIONES.

SOlent Reges mundi gesturi bellum, primum eligere belli Duces, & exercitum cogere, deinde hostem vincere. Sic Christus Saluator noster bellũ gesturus cum antiquo nostro aduersario, Punct. 1.

primo

primo vocauit & elegit Sanctos Apo-
ſtolos tanquam belli Duces, qui poſt
Euangelicæ prædicationis armis de-
currentes per orbem terrarum omne
populos ſuæ ſanctæ fidei & obedientiæ
ſubijcerent. Vocauit quoq; initio prædicationis ſuæ Chriſtus Apoſtolos, vt
præſentes adeſſent omnibus Chriſti
dictis & factis, tantoque firmius deinceps, eorum eſſet de Chriſto teſtimonium, maiorique fiducia dicerent illud
Act. 4. *Non poſſumus, quæ vidimus & audiuimus,*
*non loqui.* Et rectè dicit Euangeliſta, ambulauiſſe Ieſum iuxta mare, nam vt ſapiens piſcator, ibat piſcatum illos, qui
poſtea erant futuri piſcatores mundi,
effecitque vt ex piſcatoribus piſcium,
fierent piſcatores hominum, vt olim
Hier. 16. prædixerat Propheta. *Mittam in vobis piſcatores, & piſcabuntur vos.* Vocauit quoque eos Dominus ex mari ; vti ſuo exemplo diſcerent, animas peccatorum
extrahere è periculoſis vitiorum vndis
& huius tempeſtuoſi ſæculi naufragio.
Non igitur mutarunt piſcandi officium,
ſed melius reddiderunt, & ſimul mutarunt intentionem. Tunc retia commutata ſunt cùm doctrina, cupiditas
lucri, cùm zelo animarum. Hæc ſæculum factum eſt Mare. & Eccleſia Nauis.

uis. Pisces maris, homines boni & ma- *Matt. 13.*
li, qui manibus Apostolorum capti sunt. Mali, ceu inutiles, vt proijcerentur foras: boni in vasis conseruati, vt in conspectum delati Domini, mensæ eius apponerentur.

2. *AMBVLANS ergo IESVS iuxta mare vidit duos fratres, Petrum & Andreã.* Vidit non tam corporaliter, quàm spiritualiter respectu quodam diuino, quo eos ab æterno ad hoc tam nobile munus elegerat & prædestinarat. Beati, in quos oculos suos conijcit DEVS, nam hic oculorum diuinorum coniectus est fons & origo omnium bonorum. Res certè magna est beatos posse in illa cælesti gloria perpetuò suum Deum contemplari, sed multo maior & præstantior, quod Deus vicissim contempletur ipsos. Nam non alia de causa peruenerunt ad tantam gloriam & fælicitatem, quàm quia Deus eos prius misericorditer respexit. Respectus verè beatificus, qui è peccatoribus facit iustos, ex hominibus vilibus & abiectis, mundi Principes, ex piscatoribus Christi Apostolos. Erant hi discipuli, non solùm piscatores, sed etiam fratres. Tales enim Dominus voluit esse Ecclesiæ suæ capita & fundamenta,

qui inter se vinculo fraternæ cari
essent colligati, quandoquidem
Ecclesia præcipuè fundata est in ch
tate, secundùm illud dictum Chri
Ioan.15. ad Apostolos. *In hoc cognoscent om
quod discipuli mei estis, si dilectionem
bueritis ad inuicem*. Fælix militia, q
collecta est ex fratribus, hoc est, ex
Act.4. lis, quibus *est cor vnum & anima vna*. D
Psal.132. quibus dixit Propheta. *Ecce quàm bo
num, & quàm iucundum est habitare fr
tres in vnum*. Quare mirum non e
Christum eos respexisse, quia viditeos
inter se coniunctos non carne solum,
sed etiam amore, eademque voluntate & functione. Vtinam inter nos quoque existat hodie eiusmodi amor & concordia, facilè alliceremus Deum, vt non solum oculos suos defigeret in nos, verum etiam ipse semper nobiscum habitare vellet. Scriptum enim
Matt.18. est. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

3. *VENITE post me*, inquit Dominus, *& faciam vos fieri piscatores hominum*. Considera, sicut omnia mala nostra ex eo fluxerunt, quod primi parentes aures præbuerint voci serpentis, eique obiecuti sint, sic omnia

bona

bona nostra è contrario, profecta sunt ceco quod aures dederimus voci Dei, eamque secundum illud consilium, secutisimus, non gressibus corporis, sed affectibus cordis, imitatione virtutum eius, & obedientia mandatorum. Superioribus retro sæculis, cùm Deus ad huc lateret in suis abyssibus & ambularet super pennas ventorum, & opera diuina faceret, nunquam exegit ab homine, vt se sequeretur, vel imitaretur. Et qua ratione homo mortalis & infirmus sequi potuisset suum Creatorem, vt loquitur Apostolus, tam sanctum, tam innocentem, à peccatoribus segregatum, cælis excelsiorem? Et, quamuis Deus non velit, me imitari se in potentia & sapientia, sed tantũ vt meam voluntatem conformem suæ voluntati, vt aliud nihil velim vel amem, nisi quod ipse vult & amat, nempè bonum, & virtutem: tamen, cum homo exemplũ nullũ haberet, quod imitari posset, iure forte potuit conqueri, & dicere Deo? quomodo possũ esse humilis; & honores aspernari? dum video, te tantum gloriæ tuæ esse vindicem, vt etiam angelos de cælis detrudaris qui eam vsurpare volebant? quomodo mihi condonationem iniuriarum

*Dan. 3.*

*Hebr. 7.*

*2. Par. 13.*

*Psal.93.* imperas? cùm te vocari volueris Deu
vltionũ, & iniurias tibi illatas tam
uerè punias? Similiter quomodo m
*Psal.111.* commendas, vt fiam pauper, cùm tu
*Psal.15.* tam diues? ſicut ſcriptum eſt. *Gloria*
*diuitiæ in domo eius*. Et quomodo m
das mihi, vt ſim humilis & manſue
cùm tamen ira & furor tuus, æque
ferociſſimo Leoni, cui nullus reſiſte
poſſit? Hæc igitur conſiderans diui
Maieſtas, perſonam filij ſui pulcher
mo velo, candidiſſima ſacræ ſuæ h
manitatis papyro contexit, eique in
gno crucis extenſæ, ferreis clauis i
ſcripſit & inſculpſit eas virtutes,
quibus homines ſe imitari voluit. Qu
rebare ô homo, Deum eſſe terribile
inſtar leonis, & hic vides eum vel
manſuetiſſimum agnum ad ſacrifi
*Psal.53.* um deportari, vt nec aperiat os ſuum
*Ierem.11.* Querebâre Deum nimis magnam h
bere ſuæ gloriæ rationem, & hic vide
eum adeò humilem & contemptum
vt vix formam hominis retinuerit,
*Psal.21.* imò factus ſit, vt loquitur Prophet
*opprobrium hominum & abiectio plebis.*
Deplorabas, eum vocari Deum vltio
num; ſed nunc audi, quas voces emi
*Luc.23.* tat ad Patrem pro inimicis ſuis; orat
enim vt ignoſcat etiam ſuis interfe

ctori-

doribus. Obijciebas denique, cùm ipse dives sit, commendare alijs paupertatem: sed nunc aspice eum nudum ex vili illo ligno pendentem, in quo tantillum loci illi non est reliquum, vt fessum caput reponere possit, En ergo, ô homo, exemplum, quod imitari possis, idque sequendum tibi commendat DEVS. Quare benè dixit discipulis Christus. *Venite post me.* Luc. 9.

4. CONSIDERA, quanta promptitudine isti discipuli, omnibus relictis, secuti sint Christum. Vbi cogita, Dominum, dum verba illa, *Venite post me.* protulit, menti eorum tam claram sui impressisse notitiam, tamque efficaci amore corda eorum traxisse, vt retium, parentum, omniumque rerum obliti confestim accurrerint ad illum qui eos vocabat. O fælix vocatio, ô gratia singularis Creatoris, qui dignatur tanta humanitate nos ad se vocare. O Sapiens & sanctum hominum propositum, qui omnibus relictis Christum sequendum statuunt, quando interius ab eo vocati deliberant euadere periculoso huius sæculi pelago. in quo homines, exiguæ voluptatis ergo, non alia se re fatigant, quàm expiscandis piscibus, qui moriuntur,

quàm quærendis rebus caducis & mo talibus: Certè sancti illi homines ac aliud egerunt, quàm solet simplex ac quis puerulus, qui dum se oblectat ro rodendo duro crusto panis, & videt bi monstrari à matre pulchrum po mum, mox allectus pulchritudine fuauitate fructus, abiecta crusta, accur rit ad pomum. iam quæ pulchritudo quæ suauitas, quæ dulcedo, vel in ce lo, vel in terra maior potest esse ea, qu anima cernit & degustat in Christ

1. Pet. 1. Pulchritudo, in quàm desiderant an geli prospicere; dulcedo, quæ animam liquefacit, & caritate inebriat. O ani ma mea, vtinam tu quoque intelliges res, quàm pulcher, quàm nobilis, quam suauis sit tuus IESVS, quàm turpes, vi les & amaræ tibi viderẽtur omnes cre aturarum delitiæ, quàm facilè omnia, & simul teipsam relinqueres, ad illum solùm possidendum & in corde tuo conseruandum?

5. CONSIDERA, Dominum, post vocatos illos simplices & idiotas pis catores, è telonio quoque vocare pu blicum peccatorem, vt indicaret inde ab initio suæ prædicationis, se præci puè ob duo hæc hominum genera in mundum venisse, conuenienter vati

cinio

cinio Zachariæ. *Illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent*. nempè Luc. 1.
qui erant in tenebris ignorantiæ, & in-
cebant in vmbra mortalis peccati. Ele-
git quoque magna sapientia hos adiu-
uandos piscatores & Publicanos, ho-
mines plærumque auaros, & quæstui
deditos, vt commutata eorum cupidi-
tate terrena in cælestem, quantum de-
siderio lucri alios superabant, tanto ar-
dentius, zeloque maiore postea incum-
berent lucro animarum. Considera, à
quibus fundamentis principium ha-
buerit Dei Ecclesia: neque enim voluit
eligere homines sapientia, vel nobili-
tate vel sanctitate in mundo claros &
illustres, ne vel Euangelij fides, vel ma-
gnifica opera ab illis præstanda sapien-
tiæ vel potentiæ humanæ, sed soli di-
uinæ virtuti attribuerentur. Voluit et-
iam eligere idiotas & abiectos homi-
nes, & facere eos Magistros & Docto-
res gentium, ad confundendam & de-
ijciendam humanam arrogantiam, dũ
per eos, sapientes & potẽtes huius sęcu
li, submittit iugo sanctæ fidei. O bea-
ti piscatores, quos Dominus inter tot
scribas & Doctores legis, inter tot mũ-
di philosophos, eligere voluit ad tam
sublime & diuinum mysterium.

6. MATHAEVS ratione sordidæ artis, quam exercebat, erat velut pars luti, vel vilis & contempta argilla, quæ apprehensa diuini artificis manu, & in aurum puriſſimum conuersa, in pretiosum & nobile vas ab eodem conformatur, dignum quod in mensa Regis Cælorum apponatur. Dixit ergo ei IESVS. Sequere me, & confestim surgens secutus est eum. Magna virtus verbi Dei, quæ velut hamus à cælesti illo piscatore eiectus, Mathæum è profundo iniquitatis ad culmen virtutis protraxit. Sed quid mirum, hoc diuinum verbum potuisse vno momento cor Matthæi è duro lapide, in mollem carnem commutare, si olim de nihilo potuit condere totum hunc orbem terrarum? Tunc ergo vidisses Mathæũ, simulatq; diuina voce cor eius & voluntas immutata est, cœpisse dilacerare contractus vsurarios, reddere pignora suis dominis, restituere vsuras, dare eleëmosynas largas, & deniq; relinquere omnia ad comparandam hãc pretiosam margaritam, quam tam fæliciter inuenerat. O verbum potentissimum, quo ex publicano feciſti Euangelistam, & è latrone cæli incolam. Dixit ergo ei. *Venias post me*, quasi dicerẽ

*Matt. 13.*

ret; Cur tanta sollicitudine & cura studes corradendis bonis terrenis? Non sunt veræ opes, quas tu quæris. Veni post me, & ego tibi illas demonstrabo. Eme à me aurum purum, imitando meam paupertatem, & verè diues efficieris.

7. NVNC ecce anima mea videsvnum Domini verbum satis fuisse ad permouendos hos discipulos, vt omnia sua abijcerent, & insequerentur Christum: tu verò; quoties, interea dum fallacibus huius mundi aquis assistens, vanitates piscaris, vel potiùs ipsa facta es esca piscatoris diaboli: vel dum salutis immemor, desides in telonio prauæ consuetudinis, mente & corde tota affixa terræ, diuinam illam vocem intra te audisti. *Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium*. Et tamen persistis immobilis, imò instar aspidis obturas aures tuas, ne audias vocem cælestis incantatoris. Verùm quid mirum, si tu per sensuum tuorum feneſtras distracta, & continenter occupata in spectandis audiendisque rebus curiosis huius sæculi, non audias vocem Domini in te loquentis? O infælix anima quæ nunquam ingredePsal. 4.

Psal. 57.

ris cordis tui penetralia, nunquam colligis cogitationes, nec expendis quibus in rebus vitæ tempus impendas, quæ paulatim, te non animaduertente, te deserit & à te fugit. Euigila tandem, & egredere aliquando ex inordinatorum affectuum tuorum & terrenarum cupiditatum puluere: ac si proprium damnum & graue periculum, quod tibi impendet, nō te commouet, commoueat saltē & frangat duritiem cordis tui, tanta benignitas & suauitas Saluatoris, tanta benignitate te vocantis, tantaque patientia te præstolantis.

8. *MATHAEVS fecit Christo magnum conuiuium in domo sua.* Conuiuium certè valdè conueniens & gratum Domino, quia dedit ei in cibum animam suam, secundùm illud Saluatoris. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Quod opus non erat aliud, quàm, animæ salus. Fecit itaque Matthæus conuiuium Christo, quia relicto peccato conuertit se ad ipsum; & amorem rerum terrenarū conuertit in amorem Christi. Ad hoc conuiuium inuitauit & alios multos publicanos & peccatores, optans illos quoque eius gratiæ, quàm à Saluatore

Ioan. 4.

acce-

acceperat, fieri participes: qua in re declarat se verum amatorē Christi, quia simul cùm illo amauit & proximum suum, iuxta illud. *Qui diligit Deum, diligat etiam fratrem suum.* Homo iustus non est contentus, renunciasse peccato, & applicuisse se Deo, sed quo amore impellitur ad diligendum DEVM, eodem incitatur ad omnes alios, quoad potest, in Dei amorem pelliciendos. Mirum profecto spectaculum erat, videre Saluatorem cùm publicanis manducantē Plane credo, non magis admirabile fuisse videre verbum æternum factum hominem, ac hic videre ipsum Deum, tantum puritatis amatorem, tamq; seuerū peccati vltorem, pro salute hominum sic se demittentem, vt voluerit familiariter cū hominum genere tā sordido & infami cibū, potumq; sumere. Legimus Zachęum Christo, cùm ab eo vocatus esset, dedisse conuiuium. Filio item prodigo in domū paternā reuertenti, pater solenne parauit conuiuiū; sic & nunc in conuersione Matthæi instructum est illi conuiuium. O quàm est grata Deo peccatoris conuersio, quàm solenne Pascha, quàm festiuus & celebris dies esse debuit, in quo tam repentè voluit præparari conuiuium.

1. Ioan. 4.

Luc. 19.

Luc. 15.

Congruebat quoque hoc conuiuium MATHAEO, ad significandum ingens gaudium, & solatium, quo recreabatur, videns se solutum tantis malis & tam crudelis tyranni seruitute emptum. O quàm suaue & iucundum est homini mundi vinculis non amplius teneri, liberum esse ab omni ambitione, cupiditate, omnibusque illicitis carnis illecebris, & conscientia secura, quæ est quædam cælestis beatitudinis arrha, in hac vita frui, ac cantare cùm Propheta. *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Psal. 115.

9. CIRCA vocationem horum discipulorum perpende, quàm humaniter Dominus egerit cum illis, quanto affectu eos vocarit, quàm comiter & familiariter Creator mundi cùm his simplicibus hominibus locutus sit, & conuersatus; quàm suauiter non solùm exterius verbis, sed interius quoq; dulcib. caritatis funiculis ad se eos attraxerit; quã familiariter pauperes eorum ædes adierit, cum ijs comederit & biberit: quomodo vicissim eos ad domum suæ dilectæ matris deduxerit, vt bonus Magister instruxerit, & vt amantissimus Pater singularem eorum, non

secus

secus atque propriorum filiorum, curā habuerit. ATQVE hic cogitare potes, quanto solatio simplicibus fuerit, tanta Magistri beneuolentia & affabilitas, tanta quoque sanctissimę matris erga se demonstrata caritas: gaudebāt enim maximoperè se vno pœne temporis puncto factos & tanti Magisti discipulos, & talis matris filios. Ex alia parte considera, quanta lætitia exultarit cor sanctissimæ Virginis, quæ arcanorum filij conscia, in paucis his & paruis plantulis mente prospiciebat nascentis Ecclesiæ principia, quæ post breue temporis interuallum cum tanta gloria extensura erant ramos suos de mare in mare, vsque ad vltimos fines terræ. *Psa.79.*

10. CONSIDERA, denique quomodo Pharisæis murmurantibus de tanta benignitate Saluatoris, responderit. *Non necesse habent sani Medico, sed qui malè habent.* O verba plena ineffabili suauitate & consolatione, quibus Dominus dignatus est se appellare nostrū Medicum, & dicere, sed vt Medicum cō uersari cum peccatoribus. Heu quid homo miser & infirmus fecisset, si ab hoc cælesti Medico fuisset desertus? O suauissime amator hominum, qui his

verbis tantum nobis addit animum, vt confidenter tuum nomen inuocemus, & quamuis multis iisq; grauissimis criminibus irretiti simus, ad te tanquam Medicū, & salutis auctorē recurramus: scientes tantam esse clementiam tuam & charitatem, vt tibi quodāmodo gloriæ tuę oblito, potius cordi sit erga peccatores misericordia, quam sint omnia sacrificia, quæ in honorem tuum offeruntur; vnde benè subiecisti, dicens. Mi-

Ose. 4. *sericordiam volo, & non sacrificium.*

## COLLOQVIVM.

ORABIS Christum Dominum, quandoquidem toties, & tot modis te vocat, & hortatur ad sequendum se, digneturita accendere cor tuum, vt relictis ad imitationem istorū sanctorū Apostolorum omnibus, promptè eum sequaris, sic vt nulla huius mundi res te à caritate sua separare possit. Et quoniam ipse dixit, se malle misericordiam quam sacrificium, seque venisse non ad vocandos iustos, sed peccatores, te quoque velit sua diuina vocatione dignari: vt in te expertus misericordiam ipsius, inter eius quoque imitatores & discipulos numerari merearis.

DOCV-

## DOCVMENTA.

1. IACOBVS & Ioannes reficiebant sua retia, Nomine horum duorum Apostolorum designantur concionatores, quos conuenit nonnunquam, relicta piscatione animarum vacare reficiendis retibus: hoc est, intermissa prædicatione attendere sibi, & suæ saluti, recolligendo, & renouando spiritum, vt postea maiore fructu rursum possint iuuare alios.

2. Petrus, & reliqui Apostoli à Christo vocati subito relictis retibus, naue & Patre, secuti sunt illum. Tria relinquere debent, quibus est animus Christum sequendi. Primo retia, hoc est, opera peccatorum, quibus homines ceu retibus illaqueantur. Secundo nauem, id est, possessiones huius mundi & omnia temporalia. Tertio affectum erga parentes & cognatos, quod significatum est nomine Patris, quem Apostoli reliquerunt.

3. Petrus primò vocatus est ad Apostolatum, deinde Ioannes. Petrus significat bonam & feruentem actionem; Ioannes contemplationem, vt intelligamus, hominem spiritualem, qui desiderat se perfectè per contemplationem coniungere Christo, debere prius in sui mortificatione, aliisque virtutum Christianorum operibus exerceri.

4. Hi discipuli cum in media piscatio-

ne

ne essent, vocati à Christo, mox relicto opere imperfecto secuti sunt eum. Eiusmodi obedientiam Dominus postulat à religioso, nimirum, vt subitò, nulla interposita temporis mora, sine disputatione vlla, pareat superioris mandato. Si verò ratio aliqua humana in contrarium occurrat, meminerit eius, qui dum replicaret Christo, posset nè prius sepelire Patrem suum, Matt. 8. permissus non est: vt disceremus Christum omnibus rebus anteferendum.

5. Scriptum est Matthæum mox post conuersionem suam ad Christum, fecisse illi conuiuiũ, vt intelligeremus, quemadmodum anima immersa peccatis, instar filij illius prodigi continua vexatur fame, optans, quando aliud non habet, porcorum siliquis satiari: Sic contra, animam in gratia existentem ob conscientiæ pacem & securitatem & diuinarum consolationum copiam, qua pascitur, esse in continuo conuiuio cum Christo, secundùm illud dictum Prou. 15. sapientis. Secura mens quasi iuge conuiuium.

6. Deinde sicut Matthæus post conuersionẽ conuiuium instruxit Christo, sic cum Dominus nos vocat à peccato ad statum gratiæ, vel è sæculo ad religionem, non debemus esse tanto beneficio ingrati, sed parare Christo conuiuium spirituale in domo cordis nostri, seruiendo illi cogitationibus sanctis, meditationibus pijs, & affectibus caritate inflammatis, congruen-

gruenter illi, quod alicubi dixit. Ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Apo. 3.

7. *Christus adibat conuiuia peccatorum, vt haberet occasionem docendi illos, & cibo spirituali omnes inuitatos reficiendi. Quo exemplo informat omnes quibus iucumbit officium iuuandarum animarum, posse eos adire conuiuia, quando vident occasionem esse faciendi fructum, vel adiuuandi aliquem peccatorem; secus non.*

8. *Etsi alij Euangelistæ noluerint Matthæum suo vulgato nomine appellare, vt eius tuerentur honorem: Ipse tamen iuxta dictum Sapientis.* Iustus prior est accusator sui, *se appellauit in Euangelio Matthæum, & publicanum: vt ostenderet, nemini desperandam salutem, qui velit ad meliorem vitam conuerti: quandoquidem ipse è publicano conuersus est in Apostolum. Vbi & illud discimus, vitia & peccata aliena, quoad fieri potest, semper esse cælanda & occultanda, propria autem potius confitenda.* Prou. 18.

DE

DE COPIOSA

# PISCATIONE ADISCIPVLIS FACTA AVXILIO CHRISTI.

## *MEDITATIO XXI.*

### *EVANGELIVM.*

Luc. 5. FACTVM est cum turbæ irruerent in IESVM, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat iuxta stagnum Genezareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauem quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia vestra in

in capturam. Et respondens Simon, dixit illi. Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt mergerentur. Quod cũ videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens. Exi à me quia homo peccator sum Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedęi: qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus. Noli timere: ex hoc iam, homines eris capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

## PROPHETIA.

AQVAE autem descendebant in latus templi dextrum, ad meridiem altaris. Exe. 47

De

De quibus aquis paulò post subiecit. *Et erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur; & vivent omnia, ad quæ venerit torrens. Et stabant super illa piscatores, ab Engaddi vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium eius sicut pisces maris magni multitudinis nimiæ.*

## CONSIDERATIONES.

*Punct. 1.* PETRVS tota nocte piscatus nihil cœpit. Nec mirum. Qui enim laborant sine Christo, qui est vera lux nostra, laborant in tenebris, & noctu. Quare & laborant sine fructu, cum ille dixerit. *Sine me nihil potestis facere.* Sic populus Hebræus, antequam mundo oriretur ille Sol iustitiæ nocte sub vmbra legis laborabat, & ideò nihil piscatus est. neque enim vnquam vllam nationem potuit ad veri Dei cultum traducere. Ante Saluatoris aduentũ mundus erat similis mari mortuo Sodomæ amarissimo & à piscibus sterilissimo, at postquam salutaris ille torrens, ab Ezechiele descriptus, fons vitæ CHRISTVS IESVS descendens ex dextera Patris templo Hierusalem cælestis egressus est, & in hoc mare ingressus, subitò

*Ioan. 19.*

*Gen. 19.*

subitò aquæ eius sanatæ sunt, factæque dulces & fecundæ. Itaq; emissis postea ab eo piscatoribus, qui fuerunt sancti Apostoli, dum ab vna parte extrema huius maris piscantur vsque ad alterā, & prædicationis Euangelicæ rete, non iam noctu sub lege, sed interdiu in verbo Christi eijciunt, tantum piscium numerum cepere, vt non solùm nauiculam populi Hebræi, sed etiam illam populi gentilis, conuertendo videlicet totum mundum ad sanctam eius fidem complerint. VERVM ô bone IESV quam verè sanctus tuus Propheta præuidens hanc copiosam piscationem, & gentium conuersionem, quasi conquerendo dixit. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam*. *Esa. 2.* Multum profecto est sancta fides tua propagata, totus mundus ingressus est hoc rete Apostolicum. Sed heu quot mali pisces inobedientia sua, vel peruersa doctrina, ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ se segregantes, disrumpunt hoc rete, & hoc infeliciùs ex eo elabuntur, quo ingressi erant fœlicius? Quot verò ex ijs qui in reti remanserunt, & securos se existimat, hoc ipso quod iam sint in Petri nauicula, postea, quando exeunte die piscatores appellent ad littus, & sedentes bonos seligēt *Matt. 13.* à ma-

à malis, electos à reprobis; cuam paucí, inquam, tunc deprehendentur digni qui reponantur in vasa eorum, cæteris omnibus abiectis, à feris infernalibus miserè deuorandis?

2. FAMA prædicationis CHRISTI ita percrebuerat, tantusque erat populi concursus, vt neque Synagogæ, neque ciuitatum plateæ omnes caperent. Vnde Saluator noster impulsus salutis nostræ desiderio, relictis vrbibus cōfert se in cāpos & deserta, vt sermone suo salutari & sancto pias & deuotas turbas pascat. Considera, quemadmodum cælestis hic Pastor tractet oues Israhel, quanta mansuetudine *educat eas & ante eas vadat*, & quomodo eum sequantur. Cognoscunt enim vocem eius, eumque esse verum & bonum Pastorem, de quo scriptum est. *Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas.* Vere pastor bonus, qui non sua, sed ouium commoda quærit. Vide quomodo, dulci suo de vita æterna sermone quasi amoris laqueo corda simplicis illius plebis attraxerit, sicut per Prophetam dixit. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Considera deinde quomodo

Ioan. 10.

Ezec. 34.

Ose. 11.

do crescente omninò concursu populi IESVS ascendreit nauiculam, & ex ea nonnihil à littore depulsa, concionatus sit. Prædicârat, & res mirificas Dominus prius fecerat in terra, nunc idem voluit facere in mari, vt declararet se esse Dominum vtriusque, terræ & maris. In terra tradiderat doctrinam facilem & vulgarem, rudi & imperitæ multitudini accommodatam. nunc verò traditurus doctrinam sublimiorem & magis perfectam, à terra discedit. Quæ verò alia erat hæc doctrina, quàm CHRISTVS à terra disiunctus, inter vndas maris ligno insistens illis turbis tradebat, nisi illa, quam ipse eleuatus à terra insistens ligno Crucis, inter circumfluentes amarissimæ suæ passionis vndas tradidit toti mundo? de voluntaria, scilicet, paupertate, de abnegatione sui, de mundi contemptu, & renuntiatione vniuersæ eius pompæ & voluptatum, de sequendo CHRISTO per viam Crucis & patiendo? Erant in hac nauicula vnà cum CHRISTO soli Apostoli. Hic enim primi hanc doctrinam amplexi sunt, & parati fuêre pro illa sanguinem tuum profundere. Eos secuti sunt tot exer-

exercitus Martyrum, tot Confessorum & Sanctarum Virginum chori æquè ac turbæ istæ, cælestis Magistri exemplo permoti & attracti, certatim magno studio currentes, vt quàm proximè se Christo adiungerent, eiusque virtutes & passionem imitarentur. Itaque tunc impletum est, quod aliâs Christus dixerat. *Si exaltatus fuero à tera, omnia trahā ad me ipsum.* O quanto melior est conditio nostra, quàm veterum Patrum, qui multis durisq; vinculis, quæ Moyses de monte Synai attulerat, constricti non sine labore & defatigatione contendebant ad terram promissionis: Nos vero ligati viuis exemplis sanctæ conuersationis tuæ, & dulcibus tuæ caritatis laqueis attracti libentes volentes *currem⁹ in odorem vnguentorum tuorum,* imò magna facilitate iam currimus ad tuarum virtutum odorem versus patriam cælestem.

*Ioan.* 12.

*Cant.* 1.

3. CONSIDERA, quomodo Dominus sedens in nauicula Petri, docuerit turbas; & velut vinum magnæ humilitatis & caritatis exemplum nobis dedit, quod tam humilem cathedram pro sublimibus æterni Patris mysteriis explicandis elegerit? ita magni mysterij argumentum fuit, quod ex duabus nau-

nauiculis, quas viderat, elegerit illam Petri, inquam conscenderet, & ex ea non quouis modo, sed sedens prædicaret. Nam per hanc nauiculam non aliud denotabatur, quam Ecclesia Catholica cõmissa gubernationi Petri, cui dixerat. *Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; Et cui pascendarum suarum ouium curam commisit, cum ei dixit. *Pasce oues meas*, Extra hanc nemo saluari potest, sicut omnes qui erant extra arcam Noe diluuij aquis perierũt. Ab hac nauicula, quæ est *columna & firmamentum omnis veritatis*, vt loquitur Apostolus, hauritur vera & fidelis doctrina: quæcunque verò extra hanc Petri nauiculam disseminatur, vana est, & de falsitate suspecta: sola enim hæc habet sponsi cœlestis spiritum & assistentiam Spiritus sancti. Vnde & nunquam, licet variis persecutionum tempestatibus iactata, poterit interire cum dixerit Dominus. *Ego pro te rogaui Petre ne dẽficiat fides tua.* In hac ergo nauicula docebat Christus, & quidem sedens. quia in ea semper vsque ad consummationem mundi permanebit docens veram & rectam salutis viam. Considera hic anima mea, filium Dei; illam sapien-

*Matt. 16.*
*Ioan. vlt.*
*Gen 7.*
*1. Pet. 3.*
*1. Tim. 3.*
*Luc. 22.*
*Matth. 28.*

tiam æternam illam sublimem & D
uinā Maiestatem, quæ in cælo cō
supra Cherubinos, nunc tanta subm
sione & simplicitate sedentē in hoc
no genere cathedræ, non iam auro
byssо, sed vilissimis retibus exorna
diuinam suam legem populo expon
tem. Hic mare illi Templi loco erat,
nauicula pulpiti. Fideque dignum e
quamdiu huius cælestis Magistri pr
dicatio perdurauit, tranquillas fu
vndas & vētos maris, & quasi attent
ob sui Creatoris reuerentiā constitis
ne diuinū eius sermonē interturbare
Considera simul, quomodo simplic
illæ turbæ suauitate verborum Chri
captæ & raptę summa attentione & d
*Exo.16. & 29.* uotione omnia eius dicta excepern
O fortunatā turbā, quę meruisti vid
re Deū, non sicut antiqui Patres, in te
ribili specie ignis tonantem & fulgurā
tem è monte Sinai, quando illis dedit
mandata legis, & illi timore cōsternati
dicebant. *Non loquatur nobis Dominus, ne
forte moriamur.* Sed meruisti, inquam, v
dere Deum in specie humana, voce hu
mana tā benignè te alloquentē & insti
tuentē. O quātas merito, si oculis inter
nis eum agnouisses, potuisses, hoc sin
gulari beneficio æterno patri reddere

gra-

gratias, & gloriādo dicere cū Apoſtolo. *Heb.1.*
*Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.*
& per eundē ſicut tunc legē timoris dedit, ſic nunc nobis dat legē amoris. Nō loquatur ergo nobis amplius Moyſes, aut Aaron, ſed loquatur nobis Dominus: nunc enim nō eſt amplius periculū mortis, cum ille loquatur verba vitę.

4. CHRISTVS finito ſermone, doctrinam ſuam pro more confirmaturus miraculis, dixit Petro, vt nauiculam ſuam duceret in altum mare, & retia eijceret ad piſcādum. Vide, quomodo Dominus poſt ſemen verbi ſui in corda hominum ſparſum, mandet diſcipulis, & nominatim Petro, vt meſſem & colligat fructum. *Alius enim eſt qui ſeminat*, vt dicit alibi, *& alius qui metit*. Seminarunt quidem antiqui Patres ſub lege, ſeminarunt quoque Apoſtoli Euangelium toto orbe, & poſt illos ſeminant omnes alij Prædicatores. Verum Chriſtus verè eſt, qui in omnibus iſtis ſeminat, *qui operatur omnia in omnib.* Fruſtra enim laborarēt omnes, ſi Chriſtus eorū verbis nō adderet efficaciam, ſi nō aperiret aures auditorū, & mentes eorū illuminaret, ac corda diſponeret ad intelligendā & recipiendā doctrinā *Ion.4.*

prædicatam, secundum illud scriptu-
Psal. 126. ræ. *Nisi Dominus ædificauerit domum in va-
num laborauerunt, qui ædificant eam.* Consi-
dera, quot mysteria paucis his Domi-
nus comprehendit. Prædicârat ipse tur-
bis vicinus littori; deinde facto loque-
di fine imperat discipulis, vt longius
à terra remoueant, ad ejicienda retia,
Esa. 57. vt impleretur, quod scriptum est. *Pacem*
Ephe. 2. *ei qui longe est, & qui prope.* Quod clarius
Apostolus exposuit his verbis. *Et veniens
euangelizauit pacem vobis*, id est, gentibus
*qui longè fuistis, & pacē ijs qui propè*, id est,
Iudæis. Prædicauit quidem Christus in
carne, sed ijs tantum, qui ei erant vici-
niores, & ob quos præcipuè venerat;
qui fuit populus Hebræus. Postea silen-
tium sibi prædicādi imponens per mor-
tem, misit Apostolos suos in patres lon-
ginquas, & regiones remotissimas vsq;
ad extremas maris Insulas, vt ibi prædi-
cationis Euangelicæ rete expanderent.
CHRISTVS dum vixit, multum se-
minauit: sed exiguum retulit prædica-
tionis suæ fructum: aut postquam toto
orbe insonuit illarum turbarum Euan-
licarum sonus, Apostoli sancti diuini
illius seminis virtute *concluserunt piscium
multitudinem copiosam.* totus mūdus sub-

ijt re-

ijt recte Apostolicum, & adimpletũ est quod Deus per Prophetam dixit vnigenito suo filio, *Parum est mihi, vt suscites faces Israhel, dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ.* Et non sine causa bonus Petrus in veterũ Patrũ persona verba illa repetiuit Christo. *Magister per totam noctem laborantes nihil cepimus.* nam sancti illi Patriarchæ, antequam hic sol iustitiæ mundo illucesceret, laborarãt nocte, id est, in tenebris ignorãtiæ, sub lege iræ & timoris, quæ neminẽ poterat perducere ad perfectionem. Quare neque mirum est, eos laborasse frustra in alijs conuertẽdis, imò ex ipsis pauci ad salutem æternam peruenerunt. *Esa. 49.* *Rom. 4.* *Heb. 7.*

5. CONSIDERA mundum hunc non esse aliud quam mare, sicut scriptũ est. *Mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum nõ est numerus.* In hoc mari omnes homines, cuiuscunq; status & professionis sint, piscantur. Sed ratione dissimili. Nam quidam exemplo boni Petri piscantur cum Christo, alij cõtra Christũ, alij sine Christo.. Cum Christo piscantur, *qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ sunt IESV CHRISTI,* qui omnia sua, vitam, facultates, dignitates, omnemq; industriam conantur *Psal. 103.* *Phil. 2.*

referre ad Christi gloriam, pro salute a
nimæ propriæ, & auxilio spirituali
corporali proximorũ. Hi verè bonor
suorum operum retia pretiosissimis
abundantissimis cõplent meritis: sun
enim boni illi negotiatores, qui dum
Matt. 25. sibi à Domino talentũ non recondun
nec inaniter pro libidine expendun
sed cõuenienter voluntati Domini fr
ctuosè in seruitio Dei expensum aug
& multiplicant, quibus aliquandò
ipso Domino dicetur. *Euge serue bo
quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te co
stituam, intra gaudium Domini tui.* Deind
sunt alij qui piscantur contra Christ
Quis verò alius est, ptæter infernalẽ i
lũ lupũ, & inuidũ serpentẽ, qui semper
extẽdit retia & hamos proiicit, vt Chri
sto oues suas abripiat & deuoret, de quo
Habac. 1. dixit Prophcta. *Cibus eius electus. Propte
hoc expãdit sagenam suam, & semper inter
ficere gentes non cessat.* Vtinam videre pos
simus, quot modis quanto studio, qui
bus artibus vtatur dæmon in piscandis
& perdendis animabus nostris? Quan
quã ex alia parte lacrymis res digna est
videre, quã facilè, quã promptè homi
nes se vltro conijciant in hoc retes: qui
cuiter os suũ lethali hamo infigant, ca
pti dulcedine exiguæ escæ, hoc est, cõ
modi

modi temporalis, quo dæmon peccati aculeũ obtexit. Et cõtra, quã difficulter sinũt se attrahi amabilib. laqueis Christi, & rete Apostolicũ seruorũ eius, qui eos iuuare vellent, fugiũt: imò si aliquã do intrò se receperint, rursum illud dilacerant, vt elabãtur. O incredibilẽ nostrã cæcitatẽ, qui promptiores decurrimus ad mortẽ & damnationẽ, quã ad vitã & salutẽ nostram. Deniq; sunt alij qui piscantur sine Christo; cuiusmodi, vt loquitur Apostolus, *quærunt quæ sua sunt, non quæ sunt* IESV CHRISTI Non gloriam Christi quærunt, sed propriã; non bonum, salutemque aliorum, sed sua commoda & lucra; non auxilium spirituale & animæ suæ salutẽ, sed corporis sui oblectamenta & voluptates. Quare piscantur opes, dignitates, beneficia, & varias huius vitæ illecebras, vt celebre nomẽ obtineãt in terra, prælautè viuãt, dominẽtur alijs, ac deniq; beatifiant in hoc sæculo. Ac opinione quidẽ hominũ tales habentur fælices, eorumq; retia, quamdiu delitescũt sub aquis huius maris, plena existimantur & præda magna onusta; sed ad extremũ, quãdo tandẽ extrahẽtur foras, vt prẽda colligatur, deprehendentur tantũ plena fuisse aquis & vento, nullo pisce, *Phil. 2.*

Psal. 48. Esa. 75. sicut de talibus dixit Propheta. *Cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Infœlices certe piscatores, quia dum minimè putabunt, veniet eorum Dominus; & inueniens eos tam malè expendisse suà talenta & dona, vt serui inutiles & infideles, vt ipse dicit, Matt. 25. omnibus spoliabuntur, quæ eis concessa fuerant, & in tenebras exteriores detrudentur.

6. PETRVS erga magna fide & promptitudine ad mandatum Christi ejciens rete, cepit tantam piscium multitudinem, vt cum ipse vna cum sociis non sufficeret ad trahendum rete, coactus, fuerit aliorum auxiliũ implorare. Vide quanti referat piscari ex obedientia, & in nomine Christi, quamq; copiosus sit huius virtutis fructus, Vbi considera stuporem, & lætitiam grandem eorum ex tam insigni piscium captura natam, quæ tanto extitit maior, quanto minus sperata & expectata fuit. tota enim nocte frustra laborarant, & nevnum quidem piscem ceperant. Bonus verò Petrus, probè intelligens id non euenisse ex ipsorum, industria, sed virtute eius, cuius verbo ieiecerat rete, ab illo tem-

lo temporis momento cœpit sublimio rem habere de Christo opinionem, vt, quod non solum esset Propheta, sed verus quoq; Dei filius, vti paulò post confessus est. CONSIDERA deinde, quomodo Dominus existens in vno latere nauiculæ, magna voluptate aspexerit copiosam illam piscationem, &, velut omnes eius actiones altissimis mysterijs redundabant, tunc temporis perpēderit, quid ea piscatione fuerit præfiguratum: quod non erat aliud, quam, sicut eius Apostoli iactando in eius obediētia tete tantam vim piscium attraxerāt, sic ipse ex obedientia Patris missus ad piscandas animas in huius sæculi mari debuerit opera suæ prædicationis, & acerbissimæ passionis, vberrimum salutis totius mundi fructum referre; vti ab ipso æterno Patre illi fuerat promissū his verbis. *Pro eo quod laborauit anima eius videbit, & saturabitur, ideo dispertiā ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Esa. 53. Et alio in loco. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuā, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 2. Vide deinde, quomodo Dominus magna sua consolatione iam tū prospiciebat, principium, medium & finem Ecclesiæ suæ militātis. Principium, quando sua

prædicatione, post aduentum in mundum, diuinaq; conuersatione cœpit facere prima Ecclesiæ fundamenta. Medium, quando eius mandato Apostoli in totũ orbem terrarũ dispersi, primo ipsi, deinde per successores doctrinam Euangelicam propagarunt. Finem denique, quando perspexit, copiosam messem, & incredibilem multitudinẽ hominum conuertendorum, qui complere debebant non solùm Iudæorum, sed etiam gentilium Ecclesiam. Potes quoque hic cogitare, Dominum, qui solitus erat, in omnibus quæ alijs mandabat, suo præire exemplo, pro rara sua humanitate & comitate erga homines, etiam manus suas diuinas adhibuisse, attrahendo reti, maxime vt vidit tantoperè sudare discipulos, nec satis virium habere ad attrahendum tantum pondus. O fœlices pisces manibus Creatoris vestri attracti. Nõ dubiũ, quin certatim ad explendã eius voluptatẽ vndiq; ex toto mari in rete accurreritis. Sed fœliciores discipuli, qui tanto miraculo cõmoti, ab hoc cœlesti piscatore diuini amoris reti in eũ modũ sunt capti & attracti, vt postea repete nauiculis, piscibus, retibusque & omnibus quæ possidebant, relictis ipsi adhæserint, & nunquam

quam amplius toto vitæ suę tempore deseruerint.

7. CONSIDERA deniq; quomodo discipuli cōspecta miraculosa illa captione pisciū attoniti steterint, & obstupuerint. Quid verò aliud fuit hic stupor, nisi typus & figura grandis stuporis & admirationis, quo mūdus capere non potuit, tā mirabiles fructus ex Euāgelica prędicatione vbiq; esse secutos. Et quis nō obstupuisset, simplici oratione paucorū hominū rudiū viliūq;, tēpore breuissimo tot nationes & populos traduci ad Christū; expugnatā & pudefactā Philosophorū sapientiā? tot Reges, Principes, aliosq; mundi sapiētes obedientię fidei subiectos? potuisse hominibus persuaderi res nunquā auditas, & captu humano superiores? vt parentū opū, voluptatū, & omniū rerū tēporaliū despicientiā? videre tāta lætitia & prōptitudine tātos Martyrum exercitus decurrētes ad supplicia & mortē pro Christo, ac denique audire p̄dicari à Christianis Deū aliquē crucifixū, & pro hominibus mortuū. Quod vt loquitur Apostolus erat *Iudæis scandalū, gētilibus autē stultitiam.* PETRVS itaq; incredibili stupore, ob miraculi euidentiam, plenus ingressus est in seipsum, & luce quadam 1. Cor. 1.

interna, quam Dominus illi communicat, perſpiciens ſe peccatis plenum, & ideo præſentia & cõſuetudine Chriſti indignum, totus humilis ſe abiecit ad eius pedes, dicens. *Domine exi à me, quia homo peccator ſum.* O bone Petre, quid dicis? Imò quia tu peccator es, Chriſtus autem eſt purus ille agnus Dei qui cælitus ad tollenda peccata tua venit, imò peccata totius mundi, deberes potiùs eum rogare, vt vel non diſcederet à te, vel in ſuam ſocietatem te reciperet. Verum, quod fecit Petrus, fuit profundæ humilitatis actus, & caritatis exceſſus, non commodum proprium ſed ſolum Chriſti honorem reſpicientis. Quaſi diceret, Tantus piſcium numerus alieniſſimo ad piſcandum tempore, vno retis tractu captus, nõ potuit niſi à ſanctitate & virtute plus diuina quam humana, quæ in te Domine apparet, proficiſci, & idcirco non conuenit honori tuo vt diutiùs mecum, homine abiecto & peccatore, in hac vili nauicula verſeris. Recede igitur, præſtãtiori miniſterio, nobilioriq; ſocietate, quã mea digniſſimus. Ex altera parte, vide quo pacto Chriſtus, cui gratiſſima fuit Petri humilitas, eum pluſquã ex abundanti remunerârit, & gratiã rependerit.

derit. Nam quo Petrus humilius se Domino submisit, dicens. *Exi à me.* hoc Christus eum exaltans, amplius sibi coniunxit & vniuit, constituendo eum loco suo caput & supremum suæ Ecclesiæ Pastorem. Petrus se accusabat tanquam peccatorem, & Christus contra pro conuersione peccatorum eum accepit suum cooperatorem, dicens illi, eum deinceps fore piscatorem hominum. O anima mea, vide quot tibi in hoc facto Dominus præbeat auxilij, spiritualisque profectus occasiones. Si enim te conuertas ad Petrum, cernes, quàm eximias, pro breui tempore, quo fuit cum hoc cælesti Magistro, virtutes perdidicerit, quàm promptam obedientiam, quàm firmam fidem, quàm profundam humilitatem & perfectam charitatem. in quibus virtutibus tibi occasionem suppeditat ipsum imitandi, remouendo à sua imitatione omnes affectus & desideria terrena, & dirigendo in altum versus cælum ad quærendam, *quæ sursum est, Hierusalem, non quæ* Gal. 4
*super terram.* Si verò te reflectas ad Christum, vides quàm benignus, quàm liberalis sit in suis beneficijs, & quam copiosa & larga mercede remuneretur nostros labores licet exiguos. Vn-

inuitat te, quoties laboras, vel oneratus es, vt ad se cum fiducia recurras humiliterq; preceris, non iam velut Petrus, vt recedat à te, sed cum Propheta dicendo. *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me. Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ.*

Psal. 37.

## COLLOQVIVM.

PRECABERE Dominum, vt sicut virtute verborum suorum effect, vt Petrus tantam multitudinem caperet piscium, ita interna suarum sanctarum inspirationum virtute, velit tibi largiri vires, vt iactato efficacis desiderij progloria ipsius patiendi reti in hunc mundum (qui non est aliud quàm tribulationum mare) mercaris in ipsis afflictionibus illam diuinarum consolationum copiam, quam solet dare omnibus qui libenter laborant & amore sui patiuntur, inuenire, simulque per patientiam illud præmium referre, de quo ipse Dominus discipulis dixit. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Luc. 21.

## DOCVMENTA.

1. EVANGELIVM refert turbas nulla habita ratione laborisfectas Christum quo-

quocunq; pergeret, vt verbum Dei audirent. Nec commemorat inter illas fuisse vel Sacerdotes, vel Scribas, vel Pharisæos, qui ob doctrinam & sapientiam erant in populo honoratissimi. Vsus & experientia perpetua in mundo docuit, ab hominibus simplicibus, rudib. & pauperibus maximè frequentari Ecclesias, qui cultui diuino, & pietati & pœnitentiæ vltro se dedunt & libentius cæteris verbo Dei audiendo cum fructu vacant. Sed ex magnis illis Doctoribus, qui sectantur honores huius sæculi, & sapientes sunt apud semetipsos, pauci inueniuntur, qui se serio dedant Christianarum virtutum exercitationi.

2. CHRISTVS primò voluit nauiculam, in qua prædicabat, nonnihil remoueri à littore, deinde, iussit eam prouehi in altum. vt doceret Concionatores, & quotquot funguntur officio alios instituendi & iuuandi, se infirmitati & capacitati audiorum accommodare. hoc est vt non statim eis proponant mysteria sublimia & opera summæ perfectionis, sed primum eos paulum dimoueant à terra, id est à curis terrenis, & cupiditatibus carnalibus odio peccati, & timore pœnæ auocent, deinde verò ad amorem virtutis & perfectionis alliciant.

3. Dominus prædicauit turbis nonnihil remotus à terra, vt intelligant, quibus incumbit cura alios informandi, eos ab omnibus affectionibus terrenis debere esse alienos.

Facile

*Facile enim eius doctrina despicitur, cuius vita in parua æstimatione habetur.*

4. *CHRISTVS dixit Apostolis, vt laxarent retia sua in capturã piscium; vt instruens Prædicatores, quo fine & intentione munere suo fungi debeant, nempè vt capiant pisces, quæ sunt animæ peccatorum per mare huius mundi perditè errantes, extrahendo eas ex vitiorum profundo, & peccatorum luto, ad altitudinem & puritatem suæ gratiæ. Non autem capiant & piscentur vel vanam gloriam & existimationem, vel commodum proprium, &* Iere. 21. *lucrum temporale. Nam de his dicit Propheta Ieremias.* Seminauerunt triticum, & messuerunt spinas, *quia verbi Dei prædicationem in quæstum temporalem conuerterunt.*

5. *Petrus tota nocte piscatus nihil cepit; de die autem ex obedientia Christi laxans rete magnum numerum piscium cepit. Si vis consequi laborum tuorum præmium, primùm discute conscientiam tuam, sintne opera tua facta in tenebris & nocte peccati, an vero in diuinæ gratiæ luce: Et si in te deprehenderis aliquod peccatum, mox cura, vt per synceram confessionem, & verum dolorem, ac firmum propositum Deum non amplius offendendi illud ex anima tua eijcias, & tunc eijciendo per diuinorum mandatorum obseruationem bonorũ*

*operum*

gerum rete, referes abundans & æternum præmium in cælis.

Petrus arbitrio suo tota nocte laborans nihil cepit, at postquam arbitrio Christi laxauit rete, breuissimo tempore duas naues complenit piscibus. Vnde discimus quantum valeat obedientia; & quod opera facta ex obedientia & consilio nostrorum superiorum, vel Patrũ spiritualium præstantiora sint ijs, quæ facimus voluntate propria, eò quod meritum illorum sit certius & copiosius, horum vero sit incertum, & non ita magnum.

7. Petrus post acceptam miraculosæ illius capturæ gratiam, seipsum humiliauit, agnoscens se peccatorem & indignum. Inter bonorum malorumq; discrimina, hoc vnum est, quod mali non agnoscant aut confiteãtur Deum, nisi quãdo affliguntur secundum illud. Vexatio dat intellectum. Boni verò tam in aduersis, quã in prosperis se humiliãt, & reputando se indignos, omnia diuina voluntatis adscribunt, vt fecit B. Iob, cùm dixit. Dominus dedit, dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. *Esa.28.* *Iob.1.*

8. Petrus se humiliauit confitendo se esse peccatorem, & præsentia Christi indignum, cui Dominus benignè respondens, & maiora promittens magno fuit solatio. Vnde discimus sicut officium peccatoris est, exemplo Petri & filij prodigi se humiliare, accusando, peccata sua

*sua & se indignum diuina gratia reputandi: ita Prælatorũ & Patrum spiritualiũ officium esse, peccatores, dum se in eum modum humiliant, non asperis, sed mollibus potius verbis excipere, eosq; animare & consolari.*

9. *Patres veteres, quos Deus elegit in capita & gubernatores populi sui, vt erant Patriarchæ, & post illos Moyses & Dauid, fuerunt pastores ouium. In noua verò lege Petrus, cumq; socij, quos Christus postea elegit in gubernatores suæ Ecclesiæ, fuerunt piscatores piscium. Quæ duo genera hominum laboriosam in hoc mundo vitam agunt: nam diu noctuq; laborant, & multum patiuntur, vt intelligant Prælati & Principes Christiani se non esse vocatos ad quietem, sed ad labores & afflictiones, non ad quærendum se & sua commoda, sed ad lucri faciendos alios, eorumq; salutem & incolumitatem omni studio procurandam.*

DE

# DE SANATA SIMONIS SOCRV.

## MEDITATIO XXII.

### EVANGELIVM.

ET protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Ioanne. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & statim dicunt IESV de illa, & rogauerunt illum pro ea. Et accedens illam, imperauit febri, & apprehensa manu eleuauit eam, & continuò dimisit eam febris, ac surgens ministrabat eis. Vespere autem facto, cùm occidisset Sol, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus ducebant illos ad eum. & obtulerunt ei multos dæmonia habentes. Et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. *Matt. 8. Mar. 1. Luc. 4.*

Illa

Ille autem singulis manus imponés curabat eos. Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia. Quia tu es filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui.

## PROPHETIAE.

Esa. 35. IPSE *infirmitates nostras accepit, & ægritationes nostras portauit.*

Psal. 106. 2. *Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interioribus eorum.*

## CONSIDERATIONES.

Punct. 1. CONSIDERA summam pietatem & caritatem Saluatoris nostri; Consuetudo enim hominum est, vt infirmi quærant medicum, à quo curentur; & similiter, vt imperiti & rudes quærant Magistrum, à quo erudiantur: At filius Dei, sicut ex mera caritate descendit de cælo, sic ex eadem, iam carne nostra indutus, instar misericordis Medici omne studium posuit in quærendis infirmis, quos sanare posset, & instar amabilis Magistri, qui profectũ suorum discipulorum desiderat, sedulo quæsiuit omnes in tenebris ignorantiæ iacentes, ad eorum mentes clara suæ doctrinæ luce illustrandas. Atque ideo primum ingressus est Synagogam;

gogam ; erat enim ipse bonus pastor, qui præcipuè aduenerat pro curanda salute ouium perditarum domus Israhel. His primo loco prædicauit, has primùm voluit cælesti diuini verbi pabulo satiare, & has primò in persona illius à dæmone obsessi è faucibus & potestate lupi infernalis conatus est eripere. Neq; mirũ est, in Synagoga fuisse dæmoniũ. postquã enim ab ea recessit Spiritus sanctus, ingressus in eam est Spiritus immundus, Spiritus inuidiæ & odij aduersus Christum. O synagoga, si tunc intelligentia prædita fuisses, & magnum donum Dei agnouisses, ac imprimis eximium illud beneficium amandati ad te Magistri, qui sapientia & sanctitate non solùm Salomonem, omnesque reliquos antiquos tuos Patres & Prophetas excelluit, sed erat is, in quo omnes diuinæ scientiæ & sapientiæ thesauri erant reconditi; erat Doctor cælestis, ore Prophetæ promissus his verbis. *Filiæ Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum*. Erat denique tuus Creator è cælo digressus, vt visitaret & solaretur te, vt tibi, tuisque liberis sua diuina mysteria com-

*Matth. 13.*

*Ioel. 2.*

mu-

municaret, vt vitam & salutem daret ac cælestis regni scriberet hæredes. Beata erg fores si huius doni excellentiam, & donatoris magnificentiam ac maiestatem cognouisses. Sed heu hæc omnia erant oculis abscondita. O dulcissime IESV, nō iam miror te tantum studiū posuisse in instituendis tuis discipulis: debebant enim hanc tuam sanctam legē tradere omnib. nationibus mundi. Neq; miror, te sigillatim vnam Samaritanā, vnam Magdalenam, aliasq; similes voluisse instruere; illæ enim debebant in doctrina tua proficere, non solū salutis suæ, sed etiam multorum aliorū causa, qui earū exemplo erant cōuertendi. Cæterum, quod oēm admirationē excedit est, quod tāta diligētia & benignitate volueris instruere ingratam Synagogam, quā sciebas, nō solū nullos productura fructus, sed tibi immaniter repugnaturā calumniando doctrinā tuam & miracula, teque persequēdo vsq; ad mortē crucis. O vis diuinæ caritatis singularis, quia effecisti, vt filius Dei, quo vtilitatis salutisq; nostræ solum rationē haberet, nullos labores, nulla pericula, nullum damnū suum subterfugerit, sed vt loquitur Apostolus, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, &c.* Heb 12.

2. CVM

2. CVM docuisset Dominus in Synagoga, inde egressus, venit ad domũ Petri. Non est verosimile hunc transitum Christi à Synagoga ad domũ Petri vacasse insigni aliqua significatione & mysterio. Valde conueniens erat, vt dictum est, à magno illo doctore à Patre cælesti Hebræis promisso salutiferis & copiosis suæ doctrinę aquis sterilẽ & infæcundã Synagogã primo loco irrigari: sed postq̃ eum recipere noluit, imò arroganter repudiauit & eiecit, iure deserta fuit & reprobata. Et verò quomodo Christus poterat amplius manere in Synagoga, quę iã à dęmone erat occupata? *Quæ enim*, vt loquitur Apostolus, *societas luci ad tenebras? Quæ cõuentio Christi ad Belial?* Cum ergo Iudæi locũ dedissent Belial spiritui maligno, cõueniebat, vt ab eis discederet Christus. Egrediẽs ergo ex Synagoga, venit in domũ Petri & Andreæ. Consueuerat Dominus post itinerũ & prædicationũ labores, in suorũ familiarum & piorũ domos se recipere, ad capiendã aliquã quietẽ & refectionẽ corporalẽ. Nusquã legimus, humilem Iesum pro capienda requie ingressum magnifica & superba palatia, sed domos tãtum publicanorũ & piscatorũ. Vbi potes cogitare, qualis fue- 2. Cor. 6.

fuerit hæc pauperum piscatorum Petri & Andreæ domus, in quam intrare & in ea requiescere dignatus est Dominus Maiestatis. vilis certa & abiecta erat domus, sed diues & delitijs affluens habitatio, quã sancti illi discipuli præparārant in suis cordibus, vt in eam reciperetur Dominus ille, de quo scriptum est, *Delitiæ meæ esse cum filijs hominum*, nempè illorum qui eum diligunt, & domos suas exornant, non auro, vel serico, sed vera caritate & humilitate. Et quid aliud erat hæc Petri domus, in quam Christus post synagogam desertam, intrauit nisi dilecta sua Ecclesia? cuius Petrus ab ipso Domino constitutus est caput & pastor, quando ei dixit. *Si diligis me, pasce oues meas*. Et rectè dicit Euangelium Christum synagoga egressum, & intrasse domum Simonis, quod interpretatur, obedientis. Sicut contra de populo Iudaico scriptum est. *Durus es tu, & neruus ferreus cervix tua*. Certè à Deo ipso sæpius vocatus est, populus duræ ceruicis, populus rebellis & incredulus. Quare meritò Dominus deseruit rebelles & inobedientes synagogæ filios & elegit hos de Ecclesia,, qui per obedientiam fidei submiserunt se suaui iugo fidei sanctæ.

Prou. 8.

Ioan. 21.

Esa. 48.

Cùm

Cùm his libenter habitat Christus, & ad hos dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* O quoties adhuc hodiè CHRISTVS Dominus noster similia itinera confi-cit, non iam à synagoga ad domum Petri, sed in ipsa Ecclesia sua, & inter ipsos Christianos, transeundo à superbis ad humiles, ab inobedientibus, & legis transgressoribus ad studiosos legis obseruatores, & denique ab ingratis, & ijs qui non agnoscunt beneficia, ad gratos, qui conantur donis & gratijs receptis facere satis. Amabat certè plurimũ Dominus spõsam suã; nihilominùs legitur, dum aliquando portam eius pulsaret, verbis amore plenissimis, *Aperi mihi soror mea sponsa*, & illa aliquanto negligentior & tardior esset in aperiẽdo, illum subitò discessisse, & se abscõdisse, ita vt illa postea multis laboribus & periculis se exponere debuerit, vt illum inueniret, & eius gratiã recuperaret. O anima mea quoties Dominus & sponsus tuus venit ad te, & pulsat ad ostium tuum cùm magno desiderio intrandi, & quiescendi in tui cordis domo; & tu etiã aliquando nõ dignaris respondere, imò sæpiùs, ne penitus abstraheres cor tuum ab amore creaturarũ, Cant. 5.

locum recusasse tuo Creatori. Heu quã magnã habes timendi causam, ne tandem in extrema tua necessitate, cũputabis eum valde tibi vicinum ad porrigẽdum auxiliares manus contra hostes, deprehendas eum longiùs remotum, & cùm existimabis tibi patere aditum ad eius nuptias, ne ianuã inuenias clausam, tibique tanquam negligenti & in diuino seruitio languenti dicatur. *Nescio te.* Matt. 25

3. INGRESSVS igitur est Saluator in domum Petri, in qua reperta est socrus Petri graui morbo afflicta. Quid aliud socrus illa Petri designabat, nisi Synagogam matrem primitiuæ Ecclesiæ Petro à CHRISTO commissæ & commendatæ. Neq; mirum est synagogã in persona socrus Simonis decubuisse infirmam CHRISTVS enim, vera eius vita, salus, & omne bonum iam ab illa discesserat. Congruenter verò dicitur infirmam fuisse in domo Petri; Nam à tempore quo Dominus eam deseruit vsque in præsentem horam Synagoga est infirma, & inter fideles in Ecclesia habitat: manebitque infirma, donec Dominus precibus Ecclesiæ misericordia commotus gratiæ suæ manum illi porrexerit, illuminando

eam, & liberando à graui sua infirmitate, sicut prædixit Apostolus. *Cæcitas ex parte contigit in Israhel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israhel saluus fieret.* Misera synagoga, à qua ipse Redemptor tuus se segregare debuit, vt merito sanctus ille Propheta sortem tuam deplorans dixerit. *Egressus est à filia Sion omnis decor eius.* Vnde mirum non est, *Si gemens conuersa est retrorsum:* Nam, *Qui glorificabant eam, spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius,* hoc est, qui olim illam reputarant beatam, non solum ob gratias & prærogatiuas ei à Domino concessas, sed multò magis, quia ipse Dominus erat eius Deus, & protector postquam sua ingratitudine ei causam dedit ab ea recedendi, omnes eam spernere cæperunt, eò quod turpitudo eius toti mundo esset manifesta. Post exterminatum autem ab ea æternæ salutis autorem, quid aliud restabat, quàm vt succederet auctor peccati & inuentor mortis? Meritò ergo synagoga infelix erat, infirma, & grauissima febri vrebatur diuersarum perturbationum, inuidiæ, odij, auaritiæ, hypocrisis, aliorumque vitiorum, pro eo atq; à maligno Spiritu, qui in ea suam tyrannidem exercebat, im-

*Rom. 11.*

*Thren. 1.*

pellebatur. O si anima oculos haberet quibus se, quando à Christo deserta est, vel quando peccatis suis Christum abigit, intueri posset, quàm fœda, videlicet, remaneat, quàm ægra, quàm abiecta & miserabilis. Si enim corpus hominis, quando ab anima sua, quæ ei vitam dederat, deseritur tam miserabile, fœtidum, horribile, & abominabile efficitur cadauer, vt solus intuitus quibusdam attulerit mortem, quid cogitandũ est de anima à Christo eius vera & vnica vita omninò derelicta?

4. VERVM quid sibi vult, ô misericordissime IESV, quod, cùm emissis ad prædicandum discipulis tuis commendaris, vt ingressi domos aliorum, primò curarent infirmos, qui inibi essent, tu tamẽ omnis misericordię fons, in ingressu domus horum tuorum dilectorum, & conscius socrum Petri ægram decumbere, dissimulâris, & expectaris, donec ipsi id tibi indicarent; & verò etiam rogarẽt, vt ei sanitatem restitueres: Sed facilè animaduerti, qua de causa curationem huius fœminę distuleris, nempè vt discipuli te pro ea rogarent, atq; ita non modo fœmina illa curaretur, sed discipuli quoque tui, tum caritate erga ægram, tum fide & fidu-

fiducia erga te proficerent. Quod valdè conueniens erat, cùm enim domus Petri debuerit esse domus fidei, caritatis & orationis, voluit cælestis sponsus in suo primo in illam ingressu exercere à discipulis illas virtutes, quæ non erant aliud, quàm quædam sponsæ ornamenta. Charitas enim ea virtus est, quæ eam reddit pulchram & gratam oculis eius. Vnde meritò de ea dixit. *Quàm pulchra es, & quàm decora carissima.* Cant. 7. Fides verò est, quæ eam reddit in suo amore constantem & solidam, aduersus omnes incursus & persecutiones huius mundi. Oratio denique facit eam familiarem & affabilem erga ipsum, sic vt cupidus sæpè audiendi illam, & cum ea colloquendi dicat: *Sonet vox tua in auribus meis. vox enim tua dulcis.* Cant. 2. Rogatus ergo IESVS à discipulis, surrexit, & accessit infirmam. Vide beneuolentiam & admirabilem bonitatem. Poterat Dominus, sine vllo motu vel aditu ad vilem lectulum infirmæ, verbo solo ei sanitatem restituere, vt alijs multis fecerat, sed ad demonstranda maiora amoris & beneuolentiæ signa erga illam domum, voluit in propria persona illam adire, deinde hoc non contentus voluit & manum porrigere,

eiq; eleuãs infirmam imperauit febri, v. ab ea recederet, & confestim perfectè fœmina illa sanata est. Vbi considera, Dominum porrigendo ægræ manũ se declarasse hominem, imperando verò febri, quę licet expers sensus, tam celeriter paruit, demonstrasse se DEVM, de quo dicit Apostolus. *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Rom. 4. Proprium enim Dei est imperare. eiq; obedientiam ad nutum præstari, non à sensibilibus, modo rebus, sed etiam insensibilibus, & quæ nullum esse habent. Voluit quoque porrigere manum in signum benevolentiæ, & præterea, vt intelligerent, cum in efficiendis miraculis, vti sacra humanitate tanquam instrumento, licet tanquam Deus sola voluntate sua curare infirmos potuerit. Vidisses tunc ad verba Christi, & diuinę manus contactum, à qua omnis salus est, & omne bonum, non solum à muliere febrim recessisse, sed vires eius subitò ita confirmatas fuisse, vt repentè lecto exiliens, cœperit, vt gratiam beneficio ad quam rependeret, magno amore & studio Domino ministrare. O beatam domum Petri, quam Dominus totius orbis in suũ domicilium elegit, & in qua habitabit ac requiescet in sæcula sæculorum.

lorum. O fęlix ſponſa, quę eris *ſicut vitis Pſal. 127.*
*abundans in lateribus domus tuæ*, & de numero filiorum gaudebis, qui ſicut nouellæ oliuarũ, erunt in circuitu menſæ tuæ. Et vos Apoſtoli ſancti huius cæleſtis ſponſi primogeniti, & primi huius nouæ Eccleſiæ lapides, quando quidem tanta caritate, tamq; felici ſucceſſu officio interceſſorum pro hac infirma functi eſtis, dignemini orarę pro me, magis, quam illa, infirmo: vt benigniſſimus IESVS ſuo fauore me in hac ſuæ ſponſæ familia tueatur & conſeruet. & vt Medicus de cælo dilapſus eam valetudinem ac vires conferat animæ meę, vt ego quoq; omni ſtudio & fide poſſim ei in hac ſua domo ſancta ſeruire.

5. CONSIDERA, quanta conſolatione perfuſa ſint corda ſimpliciũ illorum diſcipulorum, Petri & Andreæ, dũ cerneret ſuum dilectum Magiſtrum, de quo ob admirabilia eius opera non niſi ſumma cogitabant, tanta humilitate & familiaritate verſantem in ſuis illis vilibus ædiculis. O Petre ſi tunc tibi cæleſtis Pater reuelaſſet, quod poſtea fecit, Dominum illum, qui domum tuam ingreſſus erat, fuiſſe vnigenitum ſuum filium. Creatorem vniuerſi, cui ſe inclinant Cherubini, & coram quo

contremiscunt columnæ cæli; quanto maior stupor, & excessus mentis nos fuisset, & quanto ardentiore affectu quàm alias, te ad pedes eius abiecisses, dicens. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*. Vbi perpendere quoque potes, sicut Dominus dignatus est ingredi illam domum, ita non dedignatum esse mensæ pauperum discipulorum accumbere, & simplicibus eorum cibis vesci. Sed quid poterat deesse mensæ, cui assidebat tã magnus Dominus? qui in cælo tam lautè pascit angelos, & in terra copiosissimum victum præbet omnib. animantibus. O quanta diligentia gaudio & reuerentia bonus Petrus cũ reliquis discipulis, & sigillatim illa sancta fœmina, quæ miraculosè à Christo erat curata, vt credere par est, illi ministrarunt? Satiari non poterãt officijs præstandis, honoribus deferendis & gratijs reddendis pro summo fauore, quo eos prosecutus esset. O quanta attentione & deuotione oculos coniectos habebant in diuinum vultum, & more pleniſſimum aspectum, prompti protinus exequendum, si quid mandare vel significare voluisset. Non iam amplius, benedicte IESV, solis Bethlethemiticis Pastoribus competit gaudium

Luc. 5.

dum magnum, illis ab angelis de ortu tuo annunciatum. nam vbicunque tu reperiris præsens, eò magnas gaudij & consolationis occasiones tecum affers. Vnde meritò pius Zachæus, & tanta celeritate ex arbore descendit, & tanta lætitia te in suam domum recepit. nam, cùm dulcissima vox tua prius cor eius quàm aures perculisset, præsagiebat plane hac præsentia non nisi magnum quoddam & excellens bonum in ædes suas inferendum. Similiter mirum non fuit, Martham & Magdalenam, cum iter haberes ad earum castellũ, obuias processisse ad te excipiendum; iam enim experientia probarant, quanta dulcedine ad tuum in domum ingressum, mentes earum explerentur. Nunc igitur considera, quantoperè Dominus nobilitarit & locupletarit domum Petri, postquam eam intrare dignatus est; cùm enim priùs esset vilis tantum domuncula piscatorum, tota fumosa, & in qua alia non erant tapætia, nisi vnum rete vetustum, & resarcinatum, cùm pauculis arundinibus ad piscandum idoneis, & vili lectulo, in qua decumbebat ægra graui febri afflicta. Christus suo ingressu eam conuertit in palatium regium, imò in

*Luc. 19.*

*Ioan. 1.*

domicilium cæleſte, tam venuſtum & ornatum, vt etiam obſtupeſcerent angeli. Dominus enim aduentu ſuo, quaſi Sol clariſſimus inde omnem caligenem & tenebras diſpulit; vt Medicus diuinus omni ſalute repleuit; vt cæleſtis Magiſter, eam fecit columnam & ſcholam veritatis, cuius ſplendor pertineret à mari ad mare vſque ad vltimos fines terræ. Adhæc fundauit eam in petra ita ſolida & ſtabili, vt neque venti, neque imbres, nec vllæ mundi tempeſtates potuerint illi incommodare, ſed nec inferorum portę vllo modo illi præualere. Ecce nunc ô bone Petre tuæ humilitatis profundæ fructum, quando CHRISTO ingreſſo in nauem tuam, te, tanquam indignum tantæ Maieſtatis præſentia, abieciſti ad eius pedes, rogans, vt à te diſcederet, & non cum homine peccatore permaneret: Vide quàm liberaliter te tunc exaltet: non enim contentus fauore tibi exhibito in mari, cum in tua eſſet naui, voluit præterea in domum tuam diuertere; quam conuertens ſimul in Eccleſiam, & ſuam dilectam ſponſam, ad ſummum dignitatis gradum, quantus in hoc mundo nunquam fuerat prouexit. Iam verò tu quoq; anima mea vide

vbi

vbi sedem tuam toto huius nostri æ-
rumnosi exilij tempore figere debeas,
nempe in domo Petri, in qua inueni-
tur & Saluator tuus & omne bonũ. Qui
enim plantati sunt in hac domo Domi-
ni, *florebunt secus decursus aquarum*, & fru-
mum magnũ ob diuinorũ beneficiorũ
& charismatũ copiam continenter in
hanc domũ defluentẽ, facient. Hic cu-
raberis ab omnibus morbis tuis, & ve-
ram rectamq; salutis viam docceberis.

6. Toto die mansit IESVS in domo
Petri. Cùm autem occidisset Sol, multi
infirmi, & dæmoniaci ad eum adducti
sunt, quos omnes, vt misericors Medi-
cus sanitati restituit & liberauit. Meri-
tò Domine mi, in domo Petri vsque
in noctem permansisti cùm noua tua
sponsa. Constitueras enim & manda-
ras, vt Matrimonium esset indissolubi-
le, sicut nomine tuo promulgauit. Apo
stolus his verbis. *Vir vxorem non dimit-* 1. Cor. 7.
*tat.* O Ecclesia sancta, quantum obli-
gata es tuo cælesti sponso! quanta
promptitudine ei debes obedire, cùm
sit caput tuum, quàm vehementer a-
mare & reuereri; nam, sicut scriptum
est, quod *relinquet homo patrem suum*
*& matrem, & adhærebit vxori suæ*: sic
ille amore tui, vt tecum habitaret,

quodammodo reliquit Patrem suum in cælo, & matrem suam, quæ erat synagoga deseruit: neque timere debes, quod vnquam ampliùs tibi daturus sit libellum repudij. Sicut enim dixit per Prophetam, *desponsauit te sibi in sempiternum*, nouoque promisso se obligauit manendi tecum vsque ad consummationem sæculi. Neque etiam vereri debes, te ab eo cõtemptam iri, cùm sis instar AEthiopissæ sponsæ Moysis coloris fusci, *quia decoloravit te Sol.* ardor concupiscentiæ & indomitæ cupiditatis imaginem, quàm Deus crearat in animabus totius gentilitatis, obfuscarunt. Verùm hic nouus Moyses in hũc finẽ hærere voluit in domo Petri, *vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhibeat ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam; aut rugam, aut aliquid huiusmodi.* Christus sponsus tuus vult tecum commorari, vt mundet, sanctificet, eumq; in modum te expurget, vt nulla neque macula, neque ruga amplius in te inueniatur. O amor immensus, ô admirabilis Saluatoris nostri sapientia, quot vinculis amoris voluit nos sibi obligare? & quantam beneuolentiam ostendit huic suæ sanctæ AEthiopissæ? Cõsidera deinde, quomodo

Oseæ 2.

Cant. 1.

tan-

tanta infirmorum & energumenorum multitudo vesperi ad Christum venerit, & fuerint in domo Petri sanati. O quantum, dulcissime Domine, nos tibi obstrinxisti, quod hac vespera, id est, extrema hac mundi ætate instituere volueris pharmacopoliam, tot potentibus efficacibusque instructam pharmacis, vt nulla spiritalis animorum nostrorum ægritudo sit, quæ non possit illis depelli. Benedictus sis, quod amplius opus non sit expectare totos triginta annos in porticu piscinæ probaticæ, donec angelus moueat aquam, & sanetur vnus tantũ æger. tu enim nunc in domo Petri nouam piscinã pretiosi sanguinis tui erexisti, in qua omnes, omni tempore, ab omni morborũ genere sanari possunt. Nunc vide hic anima mea quasi exemplar quoddam vitæ tui Saluatoris in hoc die contineri, qui totus in vtilitatem & salutem animæ tuæ cõsumptus est. Nam sicut hoc die summo mane ingressus est Synagogã prædicandi, suæq; doctrinæ tradendæ causa: post meridiem verò domum Petri in qua miraculosè socrum Petri liberauit à febri: vesperi verò, post solis occasum ad eandem domum ingens turba infirmorum confluxit, vt à Chri-

sto curarentur, sicut & omnes curati sunt. Sic Christus Saluator noster ab ingressu suo in hunc mundum, vsq; ad annum ætatis suæ trigesimum, non aliud, quàm longam prælectionē, & admirabilem cōcionem ad nos de humilitate & obedientia habuit: sub meridiem verò initium dedit suæ nouæ Ecclesiæ in duodecim Apostolis, liberando tum illos, tum paucos à se cōuersos discipulos à desiderijs & sollicitudinibus rerum terrenarum, tanquam febri. At occumbente sole cum filius Dei verus iustitiæ sol vitæ suæ cursum absoluit, infinitam turbam cæcorum, energumenorum, leprosorum, & aliorum variis morbis afflictorum, qui omnes ad Petrum, ad Ecclesiam sanctam, pro consequenda à Christo animæ salute, venerant, integrę sanitati restituit. O quàm præclare Domine mi à sapiente assimulatus es pretiosissimo liquori balsami, qui, dum vasi suo inclusus manet, odorem suum tantum communicat ijs, qui se propius adiungunt, sed vase effracto tantam odorum fragranatam effundit vt non solùm repleat domum, verum etiam longè attrahat homines in odorem suauitatis suæ. Haud secus tu, dum in mundo

Eccl. 24.

vixisti

vixisti, conuersatione tua sancta aliquos quidem induxisti, ad ineundam tecum salutis viam, at vase sanctissimi corporis tui malleorum ictibus in ligno Crucis confracto, & pretiosi sanguinis tui balsamo effuso, totus mundus tuæ charitatis, cæterarumque virtutum diuinarum fragrantia allectus, accurrit ad recuperandam sanitatem & salutem æternam.

7. Age anima mea, cum humilis IESVS non dedignetur, imò oblectetur ingressu humilium & vilium domorum, quid est, quod tu quoque non cum omni affectu inuitas ad tuam vilem & pauperculam casam, verè à donis, virtutibus, & omnibus bonis desertam? Sed heu vehementer dubito, num arceas potius quàm inuites illum, quamdiu magnificè ipsa de te sentis, cum humilis huius Domini consuetudo sit, non ingredi magna & illustria palatia. Quare misera agnosce tuam inopiam, & humilia te, si velis illum venire ad te, suaque præsentia optatam afferre consolationem & salutem. Et sicut in Petri domo erat vna mulier infirma, sic in domo nostra non desunt vel infirmi vel infirmitates, in quibus benignus

hic

hic Dominus possit eximiam suam caritatem & misericordiam declarare. O quam ardēti febre vexatur anima mea paupercula, quod cupiditatibus inordinatis, quod perturbationibus & peruersis desiderijs agitatur & miserè lacerat? Quamobrem ó mi clementissimè Redemptor, quandoquidem nusquam legitur, te cuiquam etiam inimico roganti, quamdiu in hoc mundo fuisset, gratiam negasse: Obsecro vt mihi quoque benignam manum tuam præbere velis & plurimas meas infirmitates depellere: & sicut domum Petri ingressus, eam lauisti, mundasti, & illustrasti, eam conuertendo in tuam Ecclesiam, & sponsam sine vlla macula & ruga; sic, quando tibi placuerit, animam quoque meam tibi desponsatam in fide, iustitia & misericordia, primum digneris lauare, & à maculis suis expurgare, deinde copiosis diuinæ tuæ gratię & charitatis donis ornare & locupletare. vt nihil amplius in hoc mundo extra te amet vel quærat, vel desideret, sed omni fidelitatè & puritate vsque ad mortem, & post illam in sæcula sæculorum tibi inseruiat.

*Ose.* 2.

COL-

## COLLOQVIVM.

PRECABERE Christum Dominum, vt, sicut voluit socrum Petri curare a tanta febri, sic dignetur animam tuam, (est enim ipse potiùs animarum nostrarũ Medicus, quàm corporum) liberare à spirituali omnium vitiorum febri, quæ longè grauiùs, quã illa Socrus Petri, hominem affligit, vt gratia sua sanatus, possis exurgere tandem ex tepidatis & negligentiæ lecto, in quo hactenus decubuisti, & ita diguius in futurum ei inseruire sanctissimæque eius voluntati in omnibus facere satis. Præterea, vt sancti Apostoli rogârunt Dominum pro sanitate huius mulieris, sic roga eum quoque tu pro sanitate totius mundi, tam infidelium, quam peccatorum, vt omnes ab eo curati eum cognoscant, laudent, & adorent.

## DOCVMENTA.

1. *APOSTOLI non solùm inuiserunt socrum Petri infirmam, sed caritate permoti etiam interceſſerunt pro ea apud Christum. Vnde discimus exercenda opera misericordiæ erga infirmos, visendo illos, & in necessitatibus eis subueniendo, si non opibus, & præsentia propria, saltem orationibus orando*

orando Deum pro eorum valetudine. Quod eo maiori affectu faciendum est, quanto id magis in nostram vtilitatem & profectum spiritualem redundat, vti exhortatur sapiens. Ne te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione fiamaberis.

2. Ex hac Apostolorum intercessione discimus, non solùm esse solliciti in nostris necessitatibus & infirmitatibus spiritualibus, vt deprecemur Deum pro nobis, vt nos sanare velit, verùm etiam in alienis, vt imploremus etiam auxilium pro alijs, & sigillatim vt inuocemus Sanctos, vt ipsi pro nobis Patrem misericordiarum interpellent. Si enim dum essent adhuc in vita mortali tam solliciti erant de salute aliorum corporali & à Domino obtinebant quicquid petebant: quanto magis facient nunc, cum securi de præmio gaudent cum Christo in cœlo, & charitatem habeant, quam in terra habuerint multo excellentiorem & perfectiorem.

3. FEBRIS simplici mandato Christi cessit & ægram liberam reliquit ad nostram magnam confusionem, qui voci & mandato Christi semper præbemus nos immorigeros & rebelles; quod manifestum signum est, cum summo rationis & iudicij beneficio à Deo nobis concesso tam fœdè abutamur, nos rebus inanimis & sensus expertibus esse deteriores.

4. So-

4. Socrus Petri statim post recuperatam sanitatem, cepit seruire Christo eiusque discipulis. Non vult Deus dona & gratias suas in nobis esse otiosas, sed vt ijs fructum aliquem faciamus, vtamurque ad eum finem, propter quem est eas elargitus. Et idcirco exemplo huius infirmæ nos informat; vt vbi per Christum fuerimus sanati à spiritalibus morbis, id est, peccatis, non demus nos otio, & torpori, sed bonorum operum exercitationi in cultu diuino, & proximorum auxilio, ne per ingratitudinem nostram, Deo permittente, in priora & fortè etiam grauiora peccata relabamur.

5. Studium huius mulieris in seruitio Christo post valetudinem restitutam præstando, commonefacit nos, vt dum animaduertimus nos aliquanti temporis iacturam fecisse, & cultum diuinum neglexisse, siue incuria nostra, siue alia de causa id contigerit, debeamus nos maiori sollicitudine in posterum tempus diuino seruitio dedere, operam dando, vt diligentia iacturam præteritam resarciamus, exemplo viatoris, qui dum aduertit se à via aberrasse, hoc iter suum accelerat magis, quo maiorem temporis iacturam aberrando fecit.

6. Post solis occasum Christus curauit multos infirmos. Quamdiu splendet Sol prosperitatis, homines ordinariè sunt infirmi

spiritu

*spiritu, varijs febribus vitiorum & desi-*
*riorum inordinatorum afflicti. Sed sole nos-*
*dente, & appropinquante aduersitatum n-*
*cte, multi recuperant sanitatem, Tribulatio*
*enim facit, vt homo redeat ad se, & se a*
*Deum conuertat, sicut dixit sapiens.* Vexa-
tio dat intellectum. *& congruit cum illo*
*quod scriptum est.* Imple facies eorum i-
gominia, & quærent nomen tuum Do-
mine.

7. *Exibant dæmonia multa confitentia*
*Christum esse filium Dei, sed non permitte-*
*bat ea loqui: vt doceret nos, dæmones sem-*
*per habendum pro hoste infesto, nec in mali*
*vel bonis ei communicandum. Nam etsi ali-*
*quando videatur aliquid boni vel veri dice-*
*re, tamen illud omne refert in malum finem*
*ad nos defraudandos. Præterea docemur,*
*quod tunc fortius debeamus reluctari dæmo-*
*nis tentationibus, quando videtur no-*
*stris cõmodis amplius fauere; nam*
*eius fauores fraudibus*
*pleni sunt.*

DE

# DE CHRISTO AB APOSTOLIS EXCITATO AD SEDANDAM TEMPESTATEM MARIS.

## *MEDITATIO XXIII.*

### *EVANGELIVM.*

FACTVM est in vna dierum & ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius, cum sero esset factum, & ait ad illos. Transfretemus contra, trans stagnum. Et nauigantibus illis obdormiuit. Et ecce motus magnus factus est in mari, & descendit procella magna & venti, & fluctus in nauim intrabant, ita vt nauicula operiretur fluctibus, & periclitarentur. Et erat Iesus in puppi super ceruical dormiens, & accesserunt ad eum discipuli eius & su- *Matt.8. Mar.4. Luc.8.*

& suscitauerunt eum dicentes. Magister, non ad te pertinet, quia perimus ? Domine Salua nos, perimus. Et dicit eis IESVS. Quid timidi estis, modicæ fidei? Vbi est fides vestra ? Tunc ille surgens imperauit vento & mari, & dixit. Tace & obmutesce. Et cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna; Porrò homines timore magno timentes dicebant ad alterutrum. Quis putas hic est, quia ventis & mari imperat, & obediunt ei.

## FIGVRA.

Ion. 1. *IONAS in naui dormiens tempestate agitata, excitatus à vectoribus, dum se permisisset in mare iactari, tempestatem sedauit.*

## PROPHETIAE.

Psal. 106. 1. *DIxit & stetit spiritus procellæ.*

Psal. 88. 2. *Tu Dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.*

Psal. 43. 3. *Exurge quare obdormis Domine, exurge, ad iuua nos propter nomen tuum.*

Psal. 106. 4. *Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit*

eos,

*ui, & statuit procellam eius in auram, & silerunt fluctus eius.*

*CONSIDERATIONES.*

CONSIDERA, quomodo Dominus, postquam doctrina, & miraculis tubas instituisset, ac miraculis in fide diuinitatis confirmasset, instruere quoq; voluerit suos discipulos, & ideò vna cum illis conscendit nauiculam ad transmittendum mare Tiberiadis, & instar defessi viatoris componit se ad dormiendum in pupi. Verè admiratione dignum fuit, eum qui sua diuina virtute regit & sustentat orbem totũ, ita se demisisse, & impotentẽ factũ, vt opus habuerit nauicula ad transcundum breue & exiguũ stagnũ: sed illud multò mirabiliùs, eum in quem cadere non potest somnus, & qui æterna quadam vigilantia custodit populum suũ, nunc in tanto dilectorũ suorum discipulorũ discrimine, ac si nulla eorum cura tangeretur, tam altũ obdormiscere. Sed profectò, O bone Iesu, hic tuus somnus non tam ex humanę conditionis necessitate, quàm ex mera tua voluntate videtur profectus: nam vt mũdo veritatem carnis tuæ, quam causa nostra assumpseras, demonstrares, dignatus es te demittere etiam ad capiendi som-

*Punct. 1.*

*Pal. 120.*

ni

ni necessitatem, vt omnia humanæ naturæ officia expleres. Dormiebat itaq; Saluator, sed corde vigilabat, dormiebat vt homo; sicut, vt homo per aquas nauicula deferebatur, sed & Deus vigilabat conturbans mare, & mandans ventis vt tempestatem excitarent. Quæ ratione enim ausum fuisset mare cum ventis tantam in Creatorem suum cómouere tempestatẽ, si ille ipse, de quo scriptum est, quod *terminum posuerit mari, & educat ventos de thesauris suis*, non ita voluisset & imperasset.

*Iob. 38. Prou. 8.*

2. Multæ & maximæ fuerunt causæ, ob quas Dominus hanc tempestatem permisit. Primo enim id fecit, ad probandam suorum discipulorum fidem & constantiam, deinde vt imbecillitate sua cognita, non nimium de se præsumerent, sed humilitatem conseruarent. Secundo, vt in alijs omnibus periculis & afflictionibus occurrentibus discerent perfugiendum ad Deum, qui solus potest auxilium præstare. Tertiò, vt quo maius eorum fuisset periculum, maiorque metus, hoc postea, ab illis liberati, maiori afficerentur consolatione. Denique magna prouidentia Saluator id permisit in signum futurarum tribulationum & persecutionum,

num, ab Ecclesia tolerandarum; simul
vt suos fideles doceret, quantâ fiduciâ
in ipsum habere debeant, scirentq;, vi-
deri quidem Dominũ aliquando dor-
mire, possèq, hanc nauiculâ contrarijs
tentationum ventis, & diuersarũ per-
secutionum furentibus vndis agitari,
sed tamẽ non posse succumbere & sub-
mergi. O quàm iucundum erat, videre
Regem paradisi, qui sedet super Cheru- *Psal. 79.*
binos, & manibus portatur angelorũ, *Psal. 90.*
filium Dei vnigenitum in sinu æterni *Matt. 4.*
Patris requiescentẽ, dormiẽtem instar *Ioan. 1.*
pauperis viatoris, in scapha piscatoria,
super duro & vili ceruicali: Vidisses hic
ex vna parte illũ magnũ Patriarcham
Iacob cum domo paterna deserta per
mundum peregrinaretur, dormientem
in terra, capite in durũ lapidem incum-
bente; ex alia, verò vidisses aperiri cæ-
los, & aliquot milia angelorum descen-
dere & ascendere supra Dominũ ipso-
rum. Hic etiam vidisses illum bonũ Pro *Ion. 1.*
phetam Ionam, dum nauis, qua vche-
batur, terribili tempestate afflictaretur,
graui sumno sopitum, & postquam à
timidis vectoribus excitatus est, totam
tempestatem sedantem, sed longe ali-
ter quàm Christus. Ionas enim vti ex
inobedientia, illud iter faciebat, sic nec

aquæ ante illi obedire voluerunt, quã ipso in mare iactato, pœnam de inobe dientia eius sumpsissent: at Filius Dei velut ex obedientia Patris in turbulento huius mundi mari nauigabat, sic etiã ipsum mare, ipsiq; venti, solo verbo eius obsequentes, conquierunt, & discipuli eius omni discrimine sunt erepti. VERVM quid dico ego, O IESV bone, Prophetam Ionam suæ inobedientiæ pœna sedasse tempestatem, cum opus fuerit, ad tranquillandam tempestatem mortalem, quæ totum submergebat mundum, & te in pœnã inobedientiæ, non tuæ, sed nostræ, iactari in aquas amaras passionis, & à morte absorberi?

3. APOSTOLI animaduerso submersionis periculo, timore pleni excitârunt Christum vt eos adiuuaret. Videtur prima fronte hoc discipulorum factum, quod importunè excitârint Christum, reprehensione dignum: si enim credebant posse se periculo abeo iam vigili eripi, (nec enim post tanta conspecta miracula causam vllam habebant de eius potentia dubitandi) cogitare poterant se & ab eo dormiente, cum eiusdem esset potentiæ, eripi posse, & cum secum haberent Saluatorem

torem, de salute angi non debere. Sed rectè fecerunt, idque ex speciali ipsius Christi inspiratione. Non grauatè fert Saluator noster, vt in periculis & necessitatib⁹, à nobis excitetur, si ipse obdormiat; nec etiã ęgrè fert, si importuni & molesti simus in eo precibus excitãdo. Docuit enim in quadam parabola, *Luc. 11.* si quis indigeat pane, posse eum etiam media nocte adire amicũ, & importunitate sua vrgere, donec è lectio surgàt, & præbeat necessaria. Quis alius hic amicus est, nisi tu IESV dulcis amator hominum. Vis quidem, & mandas, vt te in necessitatibus nostris à somno excitemus; at sponsam tuam, hoc est, tuorum electorum animas, quando somno dulcis contemplationis tui quiescũt, non solùm vis, sed etiam mandas & coniuras filias Hierusalem, ne eam excitent, nisi quando ipsa velit. Tu instar optimi Patris, qui permittit quie- *Cant. 2.* scere filios suos, somno te ipse defraudas, nocte surgens vt eorum necessitatibus prouideas. Non ergo molestè fert Dominus, vt importunè ad se confugiamus; nam vt quiuis artifex lætatur & oblectatur arte sua, sic IESVS Saluator noster gaudet, & delectatur pro curanda salute nostra.

4. DIXERVNT itaq; discipuli. *Magister nō ad te pertinet, quia perimus?* Et recte dixerūt. si enim ad te, ô bone IESV, qui es Pater noster, creator noster, & Saluator noster non pertinet, cogitare & agere de nobis, & nostra salute, ad quē pertinebit? quis curā nostri suscipiet? tu scis benè, nos omnib⁹ istis titulis & nominibus à te pendere, totumq; esse nostrū nō esse aliud, quàm diuinarū mānum tuarū opus. Quis vnquā opus suum in periculo sui interitus, despexit, vel curam de eo nullam habuit? Quis Pater vnquam filios suos in calamitate deseruit? Qualis homo est, qui nihil pensi habet vel sanguinem, vel vitā proprīā? Si ergo tanto sanguinis & vitæ tuæ pretio nos redemisti, & matris instar tāto dolore parturijsti, ad te vnum profectò & nō ad aliū pertinet habere curā nostri, nostræq; salutis, & in omnibus periculis ac necessitatibus succurrere.

5. CAETERVM, ô bone Domine, ô agne mansuetissime, cur discipulos ad te in tanto discrimine recurrentes tam grauiter reprehendis? & si Apostolus tuus dicit, nobis per fidē patere accessum ad DEVM, & ipse alibi per Prophetam conquereris, quod te relicto, auxiliū implorent ab alijs, cur discipu-

*Rom 5.*

*Ierem. 2. & alibi.*

li

Ihui, eò quod in extremo hoc periculo ad te confugerunt, tam asperis verbis excipiuntur? Qua ratione appellas homines modicæ fidei, qui nunquam auxilium tuum imploraſſent, niſi firmiter credidiſſent te eſſe Dominum, qui poſſet imperare mari & ventis? Sed ſi benè perpendamus; habuerunt quidē diſcipuli verè fidem, ſed valde exiguam & imperfectam. Dormiebat quidem IESVS Dominus maris in ipſo mari, ſed magis dormiebat in cordibus eorū, dubitantium, videlicet, ex inani metu, ne dormiente Domino ſubmergerentur; cum cauſam metuendę mortis nullam habere poſſent, qui ſecum habebāt vitæ auctorem. Vide quàm modica fuerit eorum fides, credebant Dominum vigilantem ſe ſaluare poſſe, dormientē verò poſſe ambigebant, quaſi dormiēs ignoraret, quid in mari tunc ageretur, vel certè diuinitatis virtus fuerit tunc ſomno quaſi cohibita & oppreſſa. Quare meritò à Chriſto reprehēſi ſunt, vt homines puſillæ fidei & æquò timidiores.

6. EXVRGENS Chriſtus imperauit mari & ventis, & ſubitò omnis tempeſtas ceſſauit. Vbi conſidera primò magnam eius bonitatem, nam etſi

discipuli ob modicam fidem magis digni essent reprehensione quàm auxilio: tamen humanæ fragilitati condolens, non solùm eos exemit omni periculo, sed etiam subitò ita tranquillauit mare, vt non solùm omnes fuerint admirati, sed etiam plurimùm consolati. Considera deinde admirabilem huius vniuersalis Domini potentiam, qui omnem hanc mundi machinam ita effinxit, vt omnes res etiam sensu & rationis expertes ad nutum, suæ diuini voluntati obsequantur. Heu infelicitatē solius creaturæ rationalis, quæ abusa libertate sua à Deo concessa, effrenatasq; animi perturbationes secuta, minimè verita est obedientiam negare suo Creatori. At nos, quomodo, cùm videmus nos in obedientia superari à mari, ventis, alijsque creaturis sentiendi & intelligendi destitutis, nō confundimur, & non sanguineis lachrymis stuporem nostrum & infœlicitatem deploramus? O quam merito

*Ierem.10.* Deus queritur per Prophetam. *Audi populestulte, qui non habes cor, qui habentes oculos, non videtis, & habentes aures non auditis. Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminū mari præceptum sempiternum quod non præteribit?*

*bit! populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans.* Erubesce ergo frater, si enim creatura tam turbulenta & furiosa, nempe mare, quod fluctibus suis in altum elatis, fremitu suo cõtremefacit totam terram, vbi terminum à Deo ei definitum attigerit mox demittit se & humiliat, atq; inter pauculas se cõstringit arenas: quid est, quod tu puluis & cinis reformides te humiliare & submittere Deo Creatori tuo?

8. CONSIDERA nunc anima mea, quantum Dominus te dilexerit. Cùm enim ageret in illo fœliciſſimo suæ diuinitatis domicilio, quo, vt loquitur Propheta, appropinquare flagella, nec vlla alia mala possũt, voluit tua causa descendere, & formã hominis assumere, & conscendendo nauim crucis tantã pati tẽpestatem, vt afflictionũ, passionumq; suarũ aquæ vsq; ad sanctissimã animã penetrarent; idq; ad liberandũ te, ne immergereris & absorbereris aquis tuorũ peccatorũ; atq; etiam vt te transferret in nauiculã suæ Ecclesiæ, extra quã nõ est salus, nauẽ securissimam, qua omnes qui ea inuehuntur, intumescente licet mari, & furentibus ventis, totoque mundo tempestatibus obruto, possunt incolumes ad portũ peruenire. *Psal. 68.*

modo ipsi suis partibus non desint. O anima mea quando vnquam meruisti, aut vnde tibi tanta fœlicitas, vt sis in eorum numero, qui hac beata naui cõtinentur; cum tamen sint innumerabiles alij, qui varijs errorum, & impietatũ nauibus vtantur, & in transuersum acti submergantur & intereant. Benedic anima mea Domino pro tanto beneficio, & omnia quæ intra me sunt, continẽter laudes dicãt, nomini sancto eius.

*Psal. 102.*

## *COLLOQVIVM.*

ROGABIS Christum Dominum, vt sicut ipse voluit dormire in illa nauicula, ita largiatur tibi gratiam, vt cor tuum indormiat omnibus rebus huius mundi, & solum aduigilet ipsi: vt possis etiam dicere. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et sicut imperio suo sedauit ventos, & maris tempestates, sic velit sedare prauarum suggestionum & passionum motus, atque ita tumorem indomitarum cupiditatum cordis tui mitigare, vt omnia interiora tua sint serena & tranquilla.

## DOCVMENTA.

1. DISCIPVLI *Christum in nauiculam ingredientẽ secuti sunt, cæteris in terra relictis. Illi veri sunt Christi discipuli, qui*

non

non solùm eum comitantur in terra, id est rebus prosperè adhuc fluentibus, sed etiam cum eo ingrediuntur mare, id est tribulationes & aduersitates huius vitæ.

2. Per Apostolos, tempestate maris iactatos & afflictos, significatur, neminem Christianorum posse hanc vitam sine afflictione aliqua trãsigere. Tentationes enim sunt quædam fidei nostræ exercitia & probationes.

3. CHRISTVS dormiebat in naucula. Caueamus, ne Dominus nobis hodie, si non corporaliter sibi, saltem nobis dormiat spiritaliter: quod fit, quando nos ab orationis, bonorumq; operum studio abstinemus, & in desiderio proficiendi tepescimus. Quo casu, merito nobis timere debemus, crebrisque & deuotis precibus efficere, vt euigilemus, vt immunes à salutis nostræ periculo, quod impendet, simus.

4. Discipuli Christi affligebantur vehemẽtia ventorum, maris motu, & impetu fluctuũ, quibus naucula pene obruebatur: sic qui incipiunt seruire Deo triplici fere genere tentationum sigillatim concutiuntur. Primò insultu dæmonis, qui designatur per ventos. Secundò persecutionibus mundi, quæ significantur motu maris. Tertiò tentationibus carnis, quæ denotantur per impetum fluctuum nauiculã intrantium, à quibus omnibus anima iusti, quando proprijs viribus resistere non po-

test, si mente deuota imploret opem Domini, defenditur & propugnatur.

5. Apostoli existentes in periculo submersionis recurrerunt ad Christum, & liberati sunt. Quando quis aliqua tentatione cõiuncta cum periculo salutis pulsatur, si negligens sit, & per orationem, ac Sacramentorum vsum non confugiat ad Christum, quid mirum si vincatur, & in peccatum lapsus animam suã perdat?

6. Quod Dominus voluerit excitari, & à discipulis rogari, vt ipsos periculo liberaret; eo ipso significauit, se velle à nobis in necessitatibus nostris orari: vnde sæpe permittit nos incidere in tentationes & aduersitates, vt per orationes ad eum perfugium nostrum habeamus, & ita ab illis liberemur.

7. Dominus arguit discipulos ob modicam eorum fidem: vt discamus timoris nostri causam non esse tentationes, sed modicam fidem quam habemus. Quare, qui in huius mundi afflictionibus murmurant, trepidant, & impatienter eas sustinent, declarant se esse modicæ fidei. Scriptum enim est, Fidem nostram esse victoriam, qua vincimus mundum, id est, pericula mudi.

8. Nauicula, in qua erant discipuli, designat pœnitentiam, qua homo deducitur ad salutis portum. In hanc nauiculam ingreditur Christus, quando homo salutis suæ studiosus incipit

sit commutare vitam, & de peccatis agere pœnitentiam. Christus autem dormit in illa, quando subinde permittit nos, subtracto auxilio, incidere in tentationes; vnde ordinariè, qui incipiunt seruire Deo, grauiùs à dæmone oppugnantur: sed non debent animum despondere, quia Christus est cum illis, atq; ideò debent refugere ad ipsum, vt fecerunt discipuli, & tanta instantia illum implorare, donec misericordiam ab eo impetrârint.

9. Est quoque per hanc nauiculam significata quæuis anima fidelis, in quam versantem in tempestuoso huius corporis corruptibilis mari, & tot perturbationibus & tentationibus subiectam, tunc ingreditur Christus vnà cum suis discipulis, quando eam inhabitat per suam gratiã, virtutes & dona Spiritus sancti. Sed aliquando Dominus domit, permittens ad maiorem eius profectum, vt varijs tẽtationum ventis, & passionum propriarum tempestatibus agitetur: sed gemitibus, & flebilibus vocibus animæ excitatus, mox succurrit in afflictione, depulsioneq; tentationum solatur, vel certè vires addit, & patientiam, vt vberiore fructu eas tolerare possit.

DE

# DE PARALYTICO SANATO INTRA DOMVM.

## MEDITATIO XXIV.

### EVANGELIVM.

*Matt. 9. Mar. 2. Luc. 5.*

FACTVM est in vna die rum, & auditũ est quod Iesus in domo esset, & confestim cõuenerunt multi, ita vt nõ caperet, neq; ad ianuam. Et ipse sedebat docens, & erant Pharisęi sedentes & legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galileæ, & Iudęæ, & Hierusalẽ, & virtus Domini erat ad sanandũ eos. Et ecce venerunt viri portãtes in lecto hominem paralyticum, inuenientes, qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & patefacientes, per tegulas submiserunt eum cum lecto ante

te IESVM. Cùm autem IESVS vidisset fidem illorum, dixit paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ceperunt Scribæ & Pharisæi cogitare & dicere in cordib. suis: Quid hic sic loquitur? hic blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi, solus Deus? Quo statim cognito IESVS spiritu suo, respõdens dixit ad illos. Vt quid cogitatis ista mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere paralytico. Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge, tolle grabatum tuum & ambula. Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tũc ait paralytico. Tibi dico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confestim consurgẽs, tulit lectum in quo iacebat, & abijt inde coram omnibus, magnificans Deum. Videntes autem turbæ timuerunt. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum, qui dedit talem potestatem hominibus.

2.Par.6. 1. *Tv solus nosti corda filiorum hominum.*
Esa.35. 2. *Saliet sicut cervus claudus.*

## CONSIDERATIONES.

*Punct.1.* POst diuinum prolixumq; sermonē in monte factum Dominus in vallem descendens varios infirmos sanauit, & energumenos liberauit. Post admirabile verò miraculum de sedata maris tempestate, ingressus Capharnaum cæpit iterū docere, & deinde ad patranda redire miracula, sanando paralyticū. Vide quomodo Dominus vicissim nunc hæc, nunc illa humanæ salutis opera faciat, idq; non sine diuina sapientia. Nam primò docebat, deindè curabat infirmos, vt indicaret, primò sibi curæ esse animas, tū corpora, præcipuaq; se aduenisse ad tollendos è mentibus hominum morbos spiritales, nempè ignorantiæ & malitię. Verum vt doctrina sua apud mundum haberet locum, maioremq; vim haberet ad persuadendam hominibus Euangelicam veritatē, eam signis & miraculis confirmauit.

2. Cum ergo IESVS in domo quadā doceret, ecce deponitur ante eum paralyticus. Vbi primò perrpende, magnam fidem

fidem eorum qui eum deportarant, neque enim tantum laborem in se suscepissent, si non firmiter credidissent Dominum posse facere illud miraculum. Deinde cõsidera eorũ caritatem, nihil enim eos aliud permouit ad hoc totũ, quam summum desiderium sanitatis misero huic homini restituẽdæ. Magnitudo aũt desiderij eorum ex eo liquet, quia nulla habita ratione, vel damni, quod Domino Domus, patefaciendo tecto, inferebant, vel periculi eorũ, qui intra domũ erant; sed nec habito, quod plus erat, respectu Domini inibi prædicantis, primùm magna molestia infirmum detulerunt in domus tectum, deinde funibus è tecto in præsentia Christi demiserunt At vnde hominibus illis tanta fides cõtigit, nisi ab ipso Christo, autore & consummatore fidei nostræ? Quis tantum prudentiæ illis indidit, vt mirabile hoc inuentum excogitaret, nisi æterna sapientia, de qua scriptum est, quod homines prudẽtiam & iustitiam doceat. Deniq; quis corda eorum tanta caritate, & desiderio salutis infirmi accendit, nisi qui est ipsa Caritas, qua docemur dono Spiritus sancti amare nõ solùm Deum, sed etiam proximum nostrum? Magna bonitas Dei Sal-

*Sap. 8.*

*1. Ioan. 4.*

Saluatoris nostri, qui ideo nos præuenit donis suis, vt postea etiam impertiat nobis donorum suorum merita, ijsque consequamur gratiam & salutem æternam.

3. CONSIDERA, mansuetudinem Saluatoris, neq; enim aut molestè ferens sermonem suum funesto isto spectaculo interruptum, aut importunitatem hominum coarguit, aut exprobat tenuitatem fidei, vt alias fecit in Regulo, qui perinde, atque isti, credebat præsentiam Christi ad sanandum ægrum, necessariam. Verum instar humanissimi Medici misericordiæ oculos conijciens in paralyticum, magnamque fidem intuens, tum eorum qui eum deportabant, tum ipsius paralytici, ait illi. Confide fili. Obserua, miserabilem illum hominem, quem superbi Pharisæi, vix suo aspectu dignabantur, à clementissimo Domino vocari filium, quia iam per fidem factus erat Dei filius. Nusquam in toto Euangelio legimus vllum Apostolorum sigillatim à Domino appellatum filium, vt fuit hic paralyticus: tam grata Deo est paupertas, & infirmitas patienter tolerata. O fælix paralytice, si agnoscis, quis te appellet filium, & quanto beneficio te

hoc

hoc vno verbo affecerit. Scio apud te maiori in pretio futurum, quàm sanitatem, vel vllum aliud, quantumuis eximium bonum aut fælicitatem huius mundi. O quàm magna beatitudo est, à Deo vocari filium, & ab homine misero Creatorem posse corde filiali vocari Patrem. Iacebat hic infirmus miserabiliter in terra supplicans pro breui & caduca corporis sanitate, at hoc vno verbo iniecta illi certa spes est, fore vt inter filios Dei sit hæres & possessor regni cælorum. VERVM quid causæ est, cur IESVS ad præstandum hoc beneficium potiùs eorũ fide permotus sit, quàm diuturna afflictione & patientia ægri, pioque officio eorũ, qui eum adduxerunt, quod opus caritatis solet Deo esse gratissimum? Non dubiũ quin omnia hæc misericordia digna fuerint; sed tamen in Euangelio tãtum dicitur, Dominum respexisse eorum fidem; quod factum est, nõ tantum ad prædicandam & extollendã virtutem fidei, sed quia proprium fidei est, impetrare quod homo firmiter credit, & sperat Deo posse impetrari, sicut proprium caritatis est reddere opera nostra meritoria, conuenienter verbis Domini, *Quicquid orantes petitis, credite* Matt. 11.

*dite quia accipietis, & fiet vobis.*

4. Iam verò quid sibi vult, benedicte IESV, quod paralytico postulanti à te sanitatem, respondes, Dimissa sunt tibi peccata, quod ille non postulauit? O ineffabilis liberalitas Saluatoris, qui vt solet plus dare, quàm promittit, sic etiam secundùm Apostolum, solet *omnia superabundanter facere quàm petimus*. Hic paralyticus desiderabat & petebat sanitatem corporis, & obtinuit multo maiora, nam assumens eum in filium & peccata remittens, simul ei ponas gratiam & gloriam. Dicit ergo illi: Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua: quasi diceret. Ne dubita te accipere quod petis, cùm præstem beneficium multo maius. Primò ergo remitto tibi peccata, vt consequare non solum corporis, sed etiam animæ sanitatem, imò vt perfectius obtinere possis sanitatem corporalem, primò tibi do hanc spiritalem; sæpenumero enim cõtingit, fortè etiam in hoc paralytico, vt peccata sint causæ infirmitatum, & afflictionum, quas Dominus nobis immittit; à quibus si homo liberari velit, necesse est vt primùm renuntiet peccatis, & sanitatem animæ consequatur. Itaque Dominus hic egit instar periti

*Ephe. 3.*

Me-

medici, qui purgatione primùm è corpore depellit prauos humores, & posteà inducit sanitatem: sic verisimile est, Dominum cum prolatione illorum verborum pariter indidisse internam notitiã & dolorem suorum peccatorum, cum firmo emendandæ vitæ proposito, vt expetitæ corporalis sanitatis eo redderetur capacior.

5. MAGNA certè misericordia fuit, quàm Dominus exhibuit huic paralytico, liberãdo eum à tam horribili corporis ægritudine, sed multo maior misericordia fuit, permisisse eum incidere in ægritudinẽ, quæ occasionẽ ei daret, & sanitatis & consequẽdæ salutis æternæ. O quoties clementissimus Deus, ei qui cõtempto & deserto Christo spõso suo, effrenatis suis cupiditatibus in trãsuersum actus, quærit & sectatur alios amatores, afflictionũ & morborũ spinis viã oẽm obstruit, & omnia consilia conatusq; interrumpit, vt licet maximè velit malè optata exequi nõ possit, donec tãdem agnito errore suo, redeat ad cor, & mutare consiliũ cogatur, dicens quod scriptum est. *Reuertor ad virũ meum priorem*, redibo ad priorem sponsum ad Iesum meum, qui tantoperè me amat, & desiderat salutem meam. *Ose. 2.*

6. SCRI-

6. Scribæ & Pharisæi verbis CHRISTI scandalizati dixerunt intra se. Hic blasphemát. Vide quàm magna sit huius populi ingratitudo, benedictus IESVS occupat se in prædicando, tradenda salutis via, curandaq; ægritudine animi & corporis, & pro tanti beneficij remuneratione habetur blasphemus & impius: Sed considera Domini mansuetudinem & patientiam, qui licet oculis suis diuinis cogitationes eorum diabolicas perspiceret, neque illatam iniuriam vindicat, neque benefacere eis quasi indignis cessat, sed porrò progreditur cum sua misericordia, contentus benignè tantùm eos reprehendisse: ac velut is, qui non ad perdendas, sed ad saluandas animas venerat, vno eodemque tempore paralyticum, & reliquorum omnium animas, sanauit; sic, vt mutata sententia, inciperent Deum glorificare, confitendo omnipotentiam Saluatoris. Dixit ergo eis Dominus. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? quasi dicat, cùm ego tantum boni vobis faciam, quæ causa est, vt de me cogitetis malè? Et si verba mea, quæ dico, possunt intelligi benè, cur ea calumnimini? & in deteriorem partem interpretamini? & si me vocatis

Luc. 9.

tis blasphemum, eò quod dixerim paralytico. Dimittuntur tibi peccata tua, & ita vsurparim, quasi Deus, potestatem diuinam: dicite mihi, si potestas hæc in me non est, vnde venerim in notitiam vestrarum cogitationum, & arcanorũ cordis? cùm æquè proprium Dei sit cognoscere corda hominum, ac peccata remittere. Præterea, si ad æqualem potestatem pertinet, remittere peccata; & dicere paralytico, Surge & ambula, cũ verumq; requirat potentiam infinitam, Ecce & hoc faciendi potestatem habeo: ac tunc conuersus Dominus ad paralyticum, imperans dixit. Surge & ambula. Et confestim cõsurgens ille, sanus effectus sublato lecto abijt.

7. Vide, quot rationibus & modis benedictus IESVS conatus fuerit populum istum reddere veritatis capacem, cumq; licet rebellem & obstinatum ad sui notitiam pertrahere. Nam, cùm ipse esset verus ille & glorioſus DEVS, qui non indiget vel testimonio, vel vlla re nostra, tamẽ ex summo desiderio procurandæ salutis humanæ ingenio hominum se accommodans, non dedignatur etiam humanis rationibus diuinam suam probare potentiam, hac ratione conuincens, non asperè sed suauiter

uiter & benignè incredulorum hostiũ suorum obstinationẽ. Iam si nos miramur tantam Iudæorum nequitiã, quod tam peruersè verba Domini interpretarẽtur, tãtamq; cordis eorum duritiam, quod locum non darent veritati, quæ tot miraculis, & perspicuis rationibus ab ipso Domino erat demonstrata: ingrediamur, age, nosipsos, & expendamus mores quoq; nostros, quoties bone IESV, loqueris ad cor nostrum verba veritatis & salutis, & nos studemus fere ea aliter interpretari, non vt tibi, sed nobis placet vel arridet? Quoties tentas nunc inspirationibus dulcissimis, nunc rationibus clarissimis conscientiam nostram conuincere, cordisque nostri duritiem emollire, & quasi manibus attingere errorem nostrum: & tamen quod tu exigis vel postulas à nobis omninò dissimulamus, atque excusationes quærimus de die in diem differendo emendationem nostram & auxilium spirituale.

8. O anima mea verè paralytica, nullam enim in te particulam habes, quæ non sit ægra, & egeat opera Saluatoris. Habes quidem intellectum, sed totum curiosum, vanum & distractum: habes memoriam, sed oblitam omnium

rerum

rum bonarum & vtilium; tantum autem memorem noxiarum & periculosarum. Habes voluntatem, sed plenam effectuum & effrenatarum cupiditatum. Oculi patent ad vanitates, aures ad curiositates. Lingua est expers freni. manus ad bona opera immobiles, pedes tardi & languidi in via Domini, cor autem durum & graue, totum in terrā depressum. Denique, cùm in te diuinæ gratiæ calor sit extinctus, quo membra roborantur & sustentantur, facta es omninò instar huius paralytici insensibilis, & mortifero tremore oppressa. Age ergo anima mea, si aliud non vales, habe minimum aliquod salutis tuæ desiderium; & quoniam desunt tibi vires, saltem patere te deportari ab illis, qui vt Medici spirituales, suis salutaribus documentis, & orationibus ad CHRISTVM te deducant. Qui, vti non abhorruit ab hoc paralytico, sed misericordia motus ei sanitatem reddidit; sic nec abhorrebit à te, si in eo fiduciam omnem colloces. Nam cùm Medicus noster sit, non solùm nō exhorret, *Esa. 45.* verumetiam eo fine ad nos venit teste Propheta, vt suis humeris portet omnes iniquitates nostras. Audi ergo vocem eius, humilique confessione sublata

è lecto

è lecto peccati in quo tam diu decubuisti, reuertere in domum cordis tui dirige pedes in viam pacis, & semitas iustitiæ, quæ ad cælestem Hierosolymam te perducant. O quando fęlix illa hora aderit, cùm à Domino tuo vocata vocem illa, *Surge*, tota hilaris & læta, exurgens è puluere terræ, & assumens corpus non hoc mortale, quod aggrauat animam, sed immortale & glorioſum, diuinisq; dotibus ornatum, ingredière verā domum, æternam, & cælestē habitationē, exemplo harum turbarum, laudans & magnificans Saluatorem & Deum tuū pro tanta misericordia tibi declarata.

## *COLLOQVIVM.*

ORabis CHRISTVM Dominum, vt sicut per suæ pietatis abundantiam paralytico sibi oblato non solum corporis, sed etiam animi incolumitatem reddidit, condonando illi peccata, ita dignetur quoq; animam tuam peccati contagione debilitatam, & ad bene agendum languidam oculis suæ misericordiæ respicere; & spe remissionis omnium culparum, gratiaque ita velit sanare & corroborare, vt deserta praua consuetudine, qua hactenus à bono

retar-

retardata fuit, in posterum expeditius diuinorum mandatorum viam percurrere posſit.

## DOCVMENTA.

1. PARALYTICVS à quatuor hominibus est deportatus, & ante Christum depositus. Quatuor sunt, quæ peccatorem deducunt ad Christum, hoc est, reconciliant Christo. Primum est, consideratio breuitatis vitæ. Alterum, timor pœnæ infernalis. Tertium, contemplatio fœditatis & grauitatis peccati. Quartum, spes veniæ, quam expectat à Domino.

2. CHRISTVS, post oblatum sibi paralyticum, non rogatus à quoquam, primo ei remisit peccata; vt nobis daret exemplum, condonandi iniurias à proximis nobis illatas, etiam antequam rogemur.

3. Cùm Christus dixisset paralytico remissa esse peccata, ceperunt Scribæ murmurare contra illum tanquam blasphemiæ reũ: sed vt viderant eum redditum integræ sanitati cœperunt glorificare Deum, & CHRISTVM plurimi facere. Sic serui Dei non alijs armis tueri se debent aduersus maledicos & detractores, quàm bonorum operum exemplis, quibus conspectis, non solùm eorum ora obmutescent, sed detractionum vice incipient Deum glorificare & seruos eius collaudare.

4. CHRISTVS arguens Scribas dixit Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris: ecce nos docens, quoties menti obrepit praua aliqua cogitatio, debere eam reprehensione nostri ipsorum mox repelli, vt dicamus cum ipso. Vt quid cogitas malum illud in corde tuo?

6. Dominus sanaturus paralyticum, initium fecit ab infirmitate spirituali, condonando peccata, quia causa est & radix infirmitatis corporalis: vt doceret nos, quemadmodum in afflictionibus & calamitatibus non solum nosipsos, sed etiam proximos iuuare debeamus: nempè efficiendo, vt primum deserant peccata, & in gratiam DEI redeant, eo quod propter illa sæpè Deus immittat aduersitates, nec finem faciat affligendi nos, nisi nos emendauerimus.

6. Hic Paralyticus, membrorum vsu destitutus, significat hominem peccatorem, qui quoniam omnibus bonis & meritorijs operibus caret, pestifero & mortali otio in lecto contabescit. Primò enim deficiunt eum vires ad ambulandum, hoc est, ad bonis operibus aliquid promerendum. Secundò deficit tactus bonorum actionum. Tertiò, gustus dulcedinis & voluptatis cœlestium consolationum. Quartò oculi ad contemplandum res diuinas. Quintò, auditus verbi Dei. Et postremò, suauis odor sanctorum & diuinarum inspirationum.

7. Ex-

7 *Exemplo caritatis deportantium paralyticum docemur nos quoque, quo studio inferre debeamus proximorum infirmitati & miseriæ, quibusque modis adiuuare, nempe operibus non solùm, sed etiam fide & oratione apud Dominum.*

8. *Paralyticus ad mandatum Christi surrexit è lecto. Anima peccatoris tunc spiritaliter exurgit è lecto suo, quando timore pœnæ, vel spe præmij, vi sibi illata, omnibus mundi illecebris & carnalibus voluptatibus quibus ægra decumbebat, renunciat. Tunc accipit, lectum suum & portat, quando peccata, quibus prius oblectabatur, & in quibus acquiescebat, incipiunt ei fieri grauia & molesta. Tunc verò ambulans redit in domum suam, quando bonorum operum exercitio incipit ambulare versus Deum, à quo per peccatum longius recesserat.*

# DE CVRATIONE HAEMORROISSAE AD TACTVM VESTIS CHRISTI.

## MEDITATIO XXV.

### EVANGELIVM.

Matth. 9. Mar. 5. Luc. 8.

CVM iret Iesus cum discipulis suis, sequebatur eum turba multa, & ab ea comprimebatur; & ecce mulier quædá quæ fluxum sanguinis patiebatur, duodecim annis, & fuerat multa perpessa à compluribus Medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat: cùm audisset de IESV, venit in turba retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, dicebat enim. Quia si vel vestimentum eius tantum tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius & sensit corpore, quia sanata

ma esset à plaga. Et statim IESVS in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conuersus ad turbam, aiebat. Quis est qui tetigit vestimenta mea? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum illo erant. Præceptor, turbæ te comprimunt, & te affligunt: & dicis, quis me tetigit? Et dixit IESVS: tetigit me aliquis, nam & ego noui virtutem de me exisse. Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. Videns autem mulier, quia non latuit, timens ac tremens venit & procidit ante pedes eius, & indicauit coram omni populo, ob quam causam tetigerat eum, & quemadmodum confestim sanata est. Ille autem dixit ei, Confide filia, fides tua te saluam fecit, Vade in pace, & esto sana à plaga tua.

## FIGVRA.

*SCriptum est in lege, omnes qui tetigerant carnes sacrificij, mundatos fuisse & sanctificatos.* Leuit. 6.

Punct. 1.

*CONSIDERATIONES.*

CONSIDERA, quomodo Dominus omnibus temporibus & locis in mari & terra, in Synagogis, & domibus priuatis, imò in ipsis itineribus, nequam abstinuerit ab operibus misericordiæ, nunc docendo, nunc subueniendo necessitatibus eorum, qui ad ipsum recurrebant. Dum ergo circundatus turba iret cùm Principe Iudæorum ad suscitandam eius filiam, Ecce mulier quædam, graui & incurabili morbo oppressa, partim fama miraculorum CHRISTI permota, partim à Domino ipso illuminata, tantam cæpit habere fidem de virtute & potentia CHRISTI, vt nulla habita ratione sui sexus, nec infirmitatis, qua secundum legem vetabatur adiungere se alijs, miscet se turbis, vt elanculum saltem attingat Dominum. Vide, quomodo hæc prudens mulier, partim pudore reuocetur, ne manifestet Domino suam infirmitatem, partim ab ipsa infirmitate compellatur refugere ad Dominum; & quomodo ex humilitate, reputans se ob immunditiam eius conspectu indignam, à tergo eum accedat. Quid enim faceret aliud, à medicis terrenis deserta, quàm perfugere ad

ad cælestem? & quæ spe omni in hominibus collocata exciderat, quàm fiduciam deinceps collocare in Deo, à quo solo vti fonte & origine omnis salutis, consequi poterat sanitatem? Verùm perpende humilitatem, deuotionem, & fidem huius mulieris, quæ cum esset vicina Christo, tamen se censuit indignam, quæ vel sanctum corpus, vel pedes, vel etiam vestimenta eius attingeret, & ideo tantum vestium extremitatem attigit. O quantam illa virtutem declarauit inesse corpori Domini, quæ tantam quæsiuit in fimbria vestimenti? & quam fælices nos, qui non vestem modo sed corpus etiam Domini toties attingimus & intra nos sumimus. Sed heu, sicut attactus Christi illius morbo fuit remedium & antidotum, sic multis indignè Christum tangentibus & sumentibus vertitur in exitium.

2. IESVS itaque conuersus ad turbas dixit. *Quis me tetigit?* Vide quomodo bonus IESVS rem dissimulet. Vide, quomodo omnium conscius, imo qui in corde mulieris omnia operabatur, & sciebat ei sanitatē redditam, ex industria subsistat, & quasi ignarus omniū coram turba etiā subsistente, pereontetur.

tetur. *Quis me tetigit?* Hic considera, bonam mulierem astare attonitam, tum ex lætitia sanitatis recuperatæ, tum ex admiratione, qua ratione Christus à turbis pressus leuem illum suæ vestis contactum persenserit, tum etiam ex timore, ne re patefacta coram toto populo confunderetur; Dixerunt ergo discipuli ad IESVM. *Turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, quis me tetigit?* Vide quàm simplices erant discipuli, & quantum humani adhuc paterentur, dum non intelligunt, de quo tactu Christus loquatur. Rectè tamen dicebant, eum à turbis comprimi, & affligi. Iudæi enim modica fide sua comprimebant eum, dum crederent eum tantum esse hominem, aut vnum ex Prophetis; sequebantur autem partim ex curiositate, partim ex proprij commodi cupiditate, partim etiam ex malignitate. Premebat quoque Christum ille Iudæorum Princeps, dum eum duceret ad suscitandam suam filiam, atque si non posset eam absens, solo verbo, vel voluntatis suæ imperio resuscitare, Premebat eam & filia defuncta, quæ in persona Synagogæ, iacens magna parte in ignorantiæ tenebris per suos antiquos Patres, desiderauit

rauit aduentum Saluatoris, expectans ab eo fide imperfecta temporalem potius quàm spiritalem salutem: Sed ecce in ipso itinere, dum Filius Dei è cælo delapsus, ambularet, homo factus, in terra, dum veniret quæsiturus oues perditas domus Israhel, ab hac muliere vulneri suo quærente medelam, præuenta est; quæ in persona gentium, diuinam Saluatoris confessa potentiam, eiusque vestem fide viua contingens, ab eo vim gratiæ & salutis hausit conuenienter illi vaticinio. *AEthiopia præueniet manus eius Deo*, hoc est, Populus gentilis per AEthiopiam præfiguratus, præoccupabit, exemplo Iacob filij minoris Isaac, benedictionem filij maioris. Quare, sicut hæc mulier prius sanata est, quam filia illius Principis, sic prius per fidem Ecclesiam ingredietur, vt loquitur Apostolus, *plenitudo gentium*, quam synagoga, ob quam Christus præcipuè aduenerat. *Psalm. 67.* *Gene. 27.* *Rom. 11.*

3. VERISIMILE est, dum quisque conatur Saluatori, pro virili sua, esse proximus, tum ob eximiam consolationem, quam percipiebant ex amabili eius vultu, & verbis dulcibus, tum vt spectarent coram eius miracula,

illum adeo compressum fuisse, vt vix in itinere progredi posset: non secus, quam oues familicæ cõspectum pastorem suum, à quo pasci solent, circumdant, & dum quæque conatur esse vicinior, illum constringunt, vt vix loco se commouere queat. Non habebat benedictus IESVS, nec famulos, nec aulicos, qui summouerent turbam, eumque tuerentur; pergebat non secus atque vnus de populo, & licet oppressus à turba, nunc in hanc, nunc in illam partem impelleretur, tamen tacebat, non irascebatur, nec querebatur. O quot hodiè existunt; qui sicut multo minore reuerentia, quam hæ turbæ, se Christo adiungunt, ita grauius quoque diuinos eius oculos affligunt & offendunt, vt merito verba illa prophetica vsurpare possit, *Laborauí sustinens*: quare timendum est, ne qui iam tacet, postea, vt minatur per eundem prophetam, loquatur instar mulieris parturientis. Huiusmodi constringunt quidem, & cùm molestia premunt humeros Domini, sed verè cum non tangunt. Licet enim nomine profiteantur se esse eius sectatores, & honorent labijs, opere tamen & corde longissimè ab eo absunt. At hæc

hæc sancta mulier, quæ tanta fide, reuerentia & humilitate adiunxit se Christo ad tangendum eius vestem, tetigit quoq; eum corde, & ideo contactus eius, præ alijs fuit à Christo notatus.

4. IAM verò bone IESV, quid dissimulas? quid rursum inquiris? quid respicis vndique, vt agnoscas eam quæ te tetigit, ausaquè fuit sine facultate tua occultè tibi quasi subripere virtutem: An forte, quia iniuria te aliqua affecit, vis eam asperius coarguere, aut conscientiæ eius scrupulum inijcere, quasi sacrilegium tangendo in immunditia sua sacram personam, commiserit? Verùm longè aliæ erant, dulcis IESV, cogitationes tuæ: nam tantum abest, vt famula tua hoc facto te offenderit, vt etiam fecerit rem laude dignissimam, tibiquè gratissimam. Quid enim aliud fuit tam humili confidentia te attingere, quam cordi tuo amoris vulnus infligere? Vnde merito poteras illi respondere verbis Sponsi. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Nam verè illa te tetigit, & in corde vulnerauit, respectu illius fidei magnæ, quæ per amorem iam cœperat operari Cant. 4.

in ipsa, & humilis deuotionis crine sic te ligauit, vt nihil licet petens, omnia quæ voluit à te impetrarit. Quare recte dixisti, exisse à te virtutem, atque sisuapte sponte, sine vllo tuo mandato aut consensu exisset. Vt enim, legimus, incredulitatem Nazarenorum ita ligasse tibi manus, vt quamuis velles, non posses tamen inter eos facere miraculum; sic huius mulieris fides, habuit vim, vel potuit, sine tuo manifesto vel mandato, vel assensu, ex te virtutem illius miraculi pro salute sua haurire, & expromere.

5. MVLTIS de causis Dominus voluit factum huius mulieris, & restitutæ ei sanitatis miraculum patefieri. Primò ad laudem & gloriam Patris cælestis, quam CHRISTVS in omnibus operibus suis, tanquam primarium finem quærebat. Secundò, pro ædificatione & auxilio circumstantium, vt fidei æquè ac deuotionis exemplum in ea imitarentur. Tertiò, vt tam ipsa, quàm alij cognoscerent, ipsum esse conscium omnium, nihil quamuis occultum ipsum posse latere, atque vt Iudæi cognita ex miraculo diuina eius virtute, facilius per-

mo-

mouerentur ad fidem & doctrinam suam recipiendam. Quartò, vt Princeps, quem comitabatur ad resuscitandam eius filiam, qui erat adhuc imperfectus in fide, amplius confirmaretur & animaretur. Denique id voluit facere Dominus, vt mulieri illi humili confessione accresceret meritum, & patefacta eius virtute maiore honore & laude afficeretur: Proprium enim Dei est, suos seruos honorare, & humiliantes se exaltare.

6. HAEC mulier animaduertens se non posse latere, tota timore plena, & tremens, atq; si furtum admisisset, abiecit se ad Domini pedes, narrans rem totam, vti contigerat. O mulier deuota si tantam fidem habuisti de virtute & potentia Saluatoris, cur nunc tremis, & non potius confidis in eius bonitate, misericordia & benignitate? Neque enim hic Dominus minùs misericors est, quàm potes, nec minor est eius bonitas, quàm virtus. Si ergo credis eum posse tibi afferre salutem, credere quoque debes eum tibi libentissimè velle eam dare. Quare non debes timere, atq; si eum offendisses, sed potiùs gaudere, quod dederis ei occasionem hoc beneficium præstandi. Ideò enim de cœlo

in terram descendit, ideo carne nostra se vestiuit, vt nos opũ, beneficiorumq; suorum faceret participes. Quid ergo pergis cõtremiscere, cum ille, plusquam tu, desideret tuam salutem, & plus te lætetur de tua sanitate, Tu enim tantũ ex proprio amore, & tui cõmodi causa mota es ad eam expetendam, at ille ex immensa sua bonitate, & infinita caritate ac misericordia non solum tibi, sed etiam omibus cupit impertiri æternam salutem. Itaq; qui restituit corpori tuo sanitatem, is etiam menti tuæ infudit fidem, vt non solùm à corporis sed etiam ab animæ infirmitate liberare ris.

7. IESVS ergo circumspiciens, vt vidit illam dixit. *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Vide quam suaui oratione dominus hanc mulierem alloquatur, quomodo soletur, quam copiosè præteritos dolores & afflictiones compensat: satis illa gaudij ex recuperata sola sanitate acceperat, sed satis non fuit Christo. voluit nouam illam consolationem ei adiungere, vt ex appellatione filiæ intelligeret se non tantũ corporaliter sed etiam spiritaliter sanatã. Dixit ergo, vt confideret, non quod illi deesset fiducia, sine qua non imploras-

set

sed eius auxilium, sed voluit dominus, cum videret tanto timore & verecūdia perculsam, suauitate illa verborum animare illam, & addere vires, vt creſceret, & perſeueraret in priori confidentia. Deinde vocat filiam, quia fides viua, quæ erat in illa, iam ex ancilla & ſerua fecerat filiam. Quid verò aliud hac loquendi formula Dominus voluit, niſi exprimere, quanta benignitate peccatorem humilem & compunctum ad ſe refugientem, non vt iudex ſeuerus, ſed vt clementiſſimus Pater recipiat? Tam dulcis & tam amabilis ac miſericors eſt Dominus, vt continere ſe non poſſit, quin vbi aſpexerit animam aliquam timore Dei concuſſam, & cor contritum & humilitatum, ſtatim ei occurrat cum ſua conſolatione & auxilio. O filij hominum, quouſque pergitis diligere & ſectari mundum tam ſæuum tyrannum, à quo non habetis aliud expectare, quam ſeruitutem acerbam, & continuas vexationes, & cruces: quin potiùs exemplo huius mulieris ſequamini Chriſtum tam bonum & amabilem Dominum, qui ſuos non ſeruorum ſed dilectorum filiorum more tractat: cuius iugum ſuaue, & onus leue eſt, *Matt. 11.* qui

qui reficit omnes laborantes, & releuat omnes oneratos, & multitudine suauis consolationum exhilarat omnes mœrentes & afflictos.

8. O animæ infirmæ, quæ cupitis sanari à Christo; considerate, si ille non solùm manuum sacrarum, sed etiam vestis suæ tactu, dū adhuc in vita mortali esset, restituit omnibus corporis sanitatem, cum scriptum sit, omnes quot quot eum tetigissent, à quacunque infirmitate fuisse liberatos: multò magis nunc, cùm immortalis & glorioſus exiſtit in sanctis. Sacramento, restituet sanitatem animi ijs, qui cum deuotione se ei adiungunt, & viua fide eum in illo tangunt. Et si tunc curabat corpora infirmorum, nō solùm propter corpora, sed etiam propter animas, quanto potiùs curabit animas ipsas, quę auxilij & salutis causa ad illum recurrunt. Certum est, si dominus nobis reliquisset illam fimbriam, ab hac muliere cōtactam, totus mundus magna deuotione curreret ad eam tangendam. Iam cum in hoc diuino sacramento, non reliquerit nobis fimbriam vestis, nec sacri sui corporis partem, sed se totum hominem & Deum, cur non accurrimus, cur non abijcimus nos ad ipsius pedes?

Luc. 6.

pedes? Ecce Medicus noster præsens est, expectat nos & inuitat, vt ad se veniamus pro remedio, cuius virtus tãta est, vt possit præstare, quicquid velit, & simul bonitas tanta, vt nesciat cuiquam postulata negare, à nemine abhorret, neminem respuit, omnibus aperit & dilatat misericordiæ suæ sinum. Quare si cum vero dolore, & efficaci desiderio vitæ emendandæ nos illi adiunxerimus, & humili fiducia tetigerimus exibit procul dubiò ab eo virtus, qua ab omni infirmitate perfectè liberabimur.

## COLLOQVIVM.

ORABIS CHRISTVM Dominum, vt sicut mulierem illam à fluxu sanguinis sanauit, quia magna fide attigit fimbriam vestimenti eius, ita dignetur tibi largiri tantam fiduciã, vt abiectus ad pedes misericordiæ eius, diuinæ suæ gratiæ tactu ab omnium peccatorum sordibus libereris, nec velit intrare tecum in iudicium, & antiquarum iniquitatum recordari, sed potius antiquæ suæ misercordiæ memor, te velit benignis suis oculis respicere, & dicere, quod huic mulieri dixit. Fides tua te saluam fecit. Vade in pace. *Psal.* 142. *Psal.* 24.

DO-

DOCVMENTA.

MVLIER Hæmorrhoissa retrò accedit Christum & infimam vestis partem attigit, ac si digna non fuisset vllam aliam partem tangere, vt doceret peccatorem, quomodo adire debeat Christum ad obtinendam animæ suæ salutem. Primo cum verecundia, vt ob suam ditatem peccatorum non audeat se sistere præsentiæ Domini. Secundo cum humilitate, vt reputet se indignum gratia sua & amicitia, exemplo publicani, qui stans à longè, non audebat oculos suos attollere in cælum, sed percutiens pectus suum dicebat. Domine propitius sis mihi peccatori.

Luc.19. 2. Turbæ premebant Christum, mulier autem hæc tantum tangebat illum. Multi comprimunt & conculcant Christum, sed pauci tangunt. Comprimunt, qui exigua fiducia eum inuocãt, vel corde indeuoto, aut mente distracta preces suas recitant; & qui bona opera, nõ ex puro Dei amore, vel propter Dei gloriam, sed ob finem aliquem humanum faciunt.

3. DE hac muliere dicit Euangelium. Primò, quod cum fide accesserit Christum. Secundo, quod locuta sit intra se. Tertio, quod tetigerit, & tangendo sit sanata. Vt significaret in his tribus, nempe in verbis, fide, & operibus totam nostram salutem consistere, hoc est, in audiendo verbo Dei, in credendo, & bene operando.

4. Mulier

4. *Mulier hæc non quamlibet vestis partem attigit, sed tantum fimbriam, quæ est extrema eius pars. Vestis Christi significat sanctæ eius vitæ conuersationem, quæ etsi multum prodesse posſit omnibus, qui eam volunt imitari tamen extrema eius pars, quæ est sacra eius passio, longè efficacior est ad omnes infirmitates nostras spirituales sanandas, si eã cum humilitate & deuotione attigerimus, nempe meditando & imitando.*

5. *Hæc mulier primo cogitauit intra se & proposuit tangere vestem Christi, sed non recepit sanitatem, nisi quando reipsa tetigit: sic nobis ad consequendam salutem satis non est, habere bona desideria & proposita, nisi retrò adeamus Christum, & manum operi, imitando sanctam eius vitam, admoueamus.*

6. *Mulier tactu fimbriæ liberata fuit à sua infirmitate, non quod virtus illa fuisset in fimbria, sed quod exierit è corpore Christi. Quilibet fidelis est fimbria vestis Domini, quia est membrum vel pars Ecclesiæ suæ per vestem Christi significatæ. Quando ergo bono opere nostro præstamus beneficium alteri, non debemus nobis talem virtutem attribuere, sed Christo auctori; cuius vestis fimbria sumus.*

7. *CHRISTVS sanitatem restitutã mulieri non suæ virtuti, sed fidei mulieris attribuit, vt doceret nos non debere nos in bonis operi-*

*bus*

*bus nostris quærere vel prædicare laudes nostras, sed solam laudem & gloriam Dei.*

8. *Multi sequebantur Christum & tangebant, sed vna tantum mulier fuit sanata. Poterat Dominus sanare omnes, sed quia non se adiungebant illi ea fide & deuotione, qua oportebat, non consequebantur salutem. Nos ergò qui toties adimus altare Domini sancti, videamus qua deuotione & præparatione adeamus, & rogemus Deum, ne simus in numero eorum, qui tangunt quidem Christum, sed nullam ab eo recipiunt salutem.*

9. *Hæc mulier, cùm omnia media & remedia tentasset, suaque omnia in Medicos expendisset nec aliud ei refugium supereset à Christo sanata est. Hanc viam & rationem Deus tenere solet in curandis nostris necessitatibus, vt quando homo venit ad extrema, & omni destituitur auxilio humano, suppeditet diuinum: idque facit, & auxilium ab eo profectum non alij, quàm diuinæ eius potentiæ adscribamus, & illum solùm gratiæ auctorem recognoscamus.*

DE

# DE FILIA ARCHISYNAGOGI RESVSCITATA. ACHRISTO.

## MEDITATIO XXVI.

### EVANGELIVM.

CVM transcendisset IESVS in naui rursus trãs- *Matt.9. Mar.5. Luc.8.*
fretum, excepit illum turba. erant autem omnes expectantes eum, ipse autem erat circa mare, & ecce venit vir cui nomẽ Iairus, & ipse princeps Synagogæ erat. Et videns eum, procidit ad pedes eius rogans eum multum, & dicens. Filia mea in extremis est, veni, impone manum tuã super eam, vt salua sit, & viuat. Et surgens IESVS, sequebatur eum, & discipuli eius, & sequebatur eum turba multa. Et venerunt nuntij ad Archi-

Archisynagogum dicentes. Quia filia tua mortua est, quid vltra vexas magistrum? IESVS autem audito verbo hoc ait Archisynagogo. Noli timere, tantummodo crede, & salua erit. Et noluit quenquam sequi, nisi Petrum, Iacobum & Ioannem fratrem Iacobi. Et veniunt in domum Archisynagogi, & vidit tibicines & turbam tumultuantem, & flentes & eiulantes multum. Et ingressus ait illis. Quid turbamini & ploratis? Recedite, non enim est mortua puella sed dormit. Et ridebant eum, scientes quod mortua esset. Ipse verò eiectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & qui cum eo erant, & ingrediuntur; vbi puella erat iacens. Ipse autem tenens manum puellæ, dixit. Thalita cumi, quod est interpretatũ, Puella surge; & continuo surrexit puella, & ambulabat; erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno parentes eius. Et præcepit illis, ne alicui dicererent, quod factum erat, & iussit dari illi manduca-

uare. & exijt fama hæc in vniuer-
sam terram.

PROPHETIAE.

VOCABIS me & ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram. Iob. 14.

1. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini. Psal. 117.

CONSIDERATIONES.

TANTO desiderio tenetur Deus nobis benefaciendi, vt non solum paratum se offerat omnibus se quærentibus, sed etiam præueniat ad auxilium aliquod in necessitatibus præbendum. Punct. 1.

Vnde & ipse Deus per Prophetam cõparat se matri, quæ non potest obliuisci filij vteri sui. Esa. 49.

Imò amorem suum præfert amori materno, dicens. *Et si ipsa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Similiter Propheta Dauid consolans se memoria curæ & sollicitudinis quam DEVS haberet de se, dicebat, *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei.* Psa. 39.

Quod clarissimè apparet in hoc exemplo Christi: qui, cùm ab Archisynagogo merito quæri debuisset pro salute suæ filiæ, tamen ne quereretur relicta religione Genesareth

tra-

traijcit mare, vt liberaret labore quærentes se, & sigillatim vt hũc afflictum Archisynagogum solaretur: non secus quàm faceret misericors aliquis Medicus, qui cupidus exercendæ artis suæ ad commodum aliorum, conferret se in locum publicum, vbi facilè inueniri posset ab ijs qui eius auxilio indigerẽt. O caritas immensa, O misericordia infinita. Benè scripsit de eo Prophetа

*Ioel. 2.* Ioel. *Quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Vide quàm benignus & misericors fuerit Dominus, dum afflictiones aliorum reputans quasi suas, per varia loca discurrit, vt omnes iuuet & consoletur. Benedictus sis Deus meus, qui ne in te quærendo laboraremus, descendere de cælo voluisti, & laborare in nobis quærendis, nostraque infirma natura, quæ in hac puella fuit præfigurata, sanitati restituenda. Non opus est amplius ad te quærendum ambulare nocte per tenebras legis veteris, nec ad impetrandam opem tuam amplius necesse est in sacrificium offerre agnos & tauros. Postquam enim tu lux

*Luc. 1.* mundi ortus es velut lucidissimus sol

*Iob. 22.* ex alto, ex inuisibili factus es visibilis, & qui prius ambulabas supra cælos, nunc

nec visus es ambulare in terra, & cum hominibus conuersari : & postquam voluntariè teipsum obtulisti quasi agnum immaculatum, plusquam omnibus alijs sacrificijs abundanter nostris infirmitatibus & necessitatibus subuenisti. Itaque ô sponsa non opus est te amplius circuire vrbes & castellá clamando & petendo. *Nunquid quem diligit anima mea vidisti?* Nam hic sponsus amabilis, tantam tui commodi curam habuit, vt venerit *saliens in montibus, trānsiens colles*, quo citiùs tibi adesset; sed nec difficultas viarum, nec crucis asperas potuerunt vel minimum imflammatum eius desiderium retardare, vel ab hoc præclaro facinore reuocare. O anima mea, quoties hic ipse sponsus se tibi visendum in suis sanctis inspirationibus præbuit, vt illum inuocares ad sananda vulnera tuarum inordinatarum passionum? Quoties astat ianuæ cordis tui, vt aperias, eamque ingrediatur ad cœnandum & conuersandum tecum? Quoties comitatus est te vsque in Emaus, vt fecerat cum duobus illis discipulis, dissimulando, & accommodando se tuis imperfectionibus, & tu ingrata non dignata es ei dicere. *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit?*

*Baru. 3.*

*1. Pet. 1.*

*Cant. 2.*

*Ibid.*

*Luc. 24.*

*Ibid.*

Age ergo tam benigno Domino gratias, qui pro sua immensa erga te clementia, non passus est, vt huc vsq; *inclinata sit iam dies*, & extrema hora aduenerit. Compelle ergo eum, vt tecũ maneat antequam nox mortis aduenat; tunc enim non habebis eum affabilem peregrinum sed iudicem iustum, tuæ ingratitudinis vltorem.

2. CONSIDERA hic, quomodo dulcis Iesus, dũ expectat patiẽter Archisynagogũ, ceu ille, qui venerat ad illumi-
*Luc. 1.* nandos homines habitãtes in tenebris & ad dirigẽdos pedes eorũ in viã pacis, nõ passus sit, ignis diuini vim, quã è cælo detulit, interim occultã esse vel otiosã; hęret enim inter turbas, & intellectũ sancta sua doctrina illun inat, igneque diuini amoris, & salutis proprię desiderio voluntatẽ earũ accendit. Considera quoq; afflictũ Archisynagogum quomodo calamitate filiæ suæ impulsus, quã, quod vnica esset, & in ętatis flore, summoperè amabat, vt vidit eã nullis opibus, nulla arte Medicorũ & Medicinarũ, sed nec totius mũdi opera posse à morte eripi, cõstituerit tandẽ adire auctorẽ vitæ: & quãuis fortè ipse vnus esset ex Christi persecutoribus, tamen eõ-
*Luc. 9.* fidentia, quã habuit in bonitate & virtute

tuæ Christi, propriæ cõscientiæ timorẽ
ueit. Vade modo bone Archisynago-
ge ad Christũ: nõ enim ille in mundum
venit ad perdendas, sed ad quærendas &
saluandas animas perditorũ. non ad iu-
dicãdos vlciscendosq; suos persecuto-
res, sed ad cõdonandã illis & omnibus
morte sua vitã. Vade igitur securus, nõ
nouit indignari benignus IESVS, imò
magno amore expectat ad consolandũ
te: & quoniã non potuit te ad se trahere
per prædicationẽ, nũc trahit per neces-
sitatẽ & afflictionẽ. O fœlix necessitas,
quæ cogit hominẽ, vt adeat Christũ. O
benecta afflictio, q̃ aperit oculos, efficitq;
vt videamus & quæramus bonum no-
strũ, à quo antè tam longè distabamus.

3. OMNIVM hominum proprium est
optare vitam quietam & felicem; & id-
cò omnibus viribus huius vitæ mole-
stias, & corporis morbos non secus ac
pestem quandam fugiunt; cum tamen
nõ minùs animæ nostræ prosint, quam
medicinæ ægris corporibus. Multas e-
nim vtilitates afferunt nobis huius vi-
tæ tribulationes. Earũ prima est, quod
nos reddant humiles, sicut contra pro-
speritas facit homines superbos, vt di-
xit Propheta. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Psal. 72.

*Ideò tenuit eos superbia.* Exemplum habemus in hoc Archisynagogo, qui fortè antè hanc calamitatem fuit vnus ex detractoribus & persecutoribus Christi: Sed post mortē filiæ, vides quanta submissione se abijciat ad pedes Christi eumque adoret. Secunda est, quod hominis mentem attollant ad Deum, vt auxilium eius imploret, vt idem Propheta dixit, *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Cuius exemplū habemus in hoc eodē Principe, qui fortè nunquā imploraſſet auxilium Christi, si ægritudo filiæ eum ad id non induxisset. Tertia est, remissio peccatorum, nam malum, quod nimia indulgētia & amore carnis natum est, solet afflictione eiusdem carnis imminui & exstirpari: benignus enim & miserator est Dominus, qui tempore tribulationis remittit peccata nostra. Neque solùm per afflictiones condonantur nobis præterita debita, verumetiam augentur merita, & crescit gratia, vt testatur his verbis Apostolus. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Et alibi idem dicit. *Cum infirmor, tunc fortior sum.* Verùm supra omnes fructus afflictionum ille maximus

Psal. 82.

Ioel. 2.

Iob. 3.

1. Cor. 10.

2. Cor. 12.

omnium

omnium est, & optatissimus, quod si patienter tolerentur argumentum sunt probatæ & perfectæ virtutis, ac simul diuinæ prædestinationis. Et idcirco Apostolus sanctus tantoperè gloriabatur in tribulationibus quas patiebatur, sibique ducebat gloriæ, quod huius sæculi hominibus infœlicitatis & miseriæ locum obtinet; Vnde reddens huius rei causam dicebat. *Quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Rom. 5. Si ergo tales tantæq; sint vtilitates afflictionum & calamitatum huius vitæ, cur eas non cum gaudio tanquam singularia Dei dona amplectimur, & cur non præferri debent omnibus falsis bonis huius mundi?

4. CONSIDERA ergo quomodo Archisynagogus, vt cogitare possumus, flens & suspirans ex nimia doloris vehementia subito se ad pedes Christi abiecerit, magnoperè ab eo petens, vt habet Euangelium, vt filiæ suę in extremis existenti, sanitatem restitueret. Magna hæc submissio est Domine, quæ non potuit nō commouere misericordiæ tuæ viscera; quando neq; Regulus, Ioan. 4. neq; centurio tantum fecerunt, dū pro sanitate suorum infirmorum apud te Matt. 8.

interceſſerunt. Sunamitis quidem fletus
4. Reg. 4. abiecit ſed ad pedes Helizęi, ſed fuit mulier, nec id fecit palam in aliorũ præſentia. Quare hic Iairus ſacerdos & Synagogæ Princeps, homo tam honoratus, magno dolore & neceſſitate adigi debuit, vt in loco publico, & tot hominum conſpectu proſterneret ſe ad pedes pauperis & humilis IESV. Licet verò magna eius fuerit humilitas, non tamen minor, ſed maior potius fuit Saluatoris miſericordia & charitas. Quamuis enim potuerit illi etiam abſenti, vt fecerat Regulo, præſtare hanc gratiam, tamen pro maiori eius ſolatio, maluit ad primam petitionẽ eius, nullo prolato verbo ſurgere, & ſe, aliis relictis, cũ eo dare in viã. O clementia ſingularis, & miſericordia huius cæleſtis Magiſtri. O inaudita humilitas & pietas Saluatoris, qui ad ſubueniendũ homini afflicto, deſerit inchoatum ſermonem, tantamq; multitudinem, quæ circumſtabat, vt doceretur, & humiliter cum eo pergit, vt infirmitati filiæ medeatur. Non ibat Dominus cum illo Regulo, licet ab eo plurimum eſſet rogatus, imò ob modicam fidem eum reprehendit; dicens: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Voluit autem ire

cum

cum hoc Archisynagogo, licet minorē fidem demonstraret, quàm Regulus, dum putat non solūm necessariā Christi præsentiam, sed etiam tactum sacratum manuum ad liberandam filiam. Fuit nihilominus magnum discrimen inter hunc & illum. nam Regulus simplicibus verbis postulauit præsentiam Christi: hic verò Princeps verborū efficaciæ adiunxit corporis & cordis humilitatem, quæ quodammodo Dominum coegit. de quo scriptum est, quod respiciat in orationem humiliū, & nō spernat preces eorū. Imò ô dulcis Iesu, quia idem de te potest dici, quod scriptum est de patre tuo, te esse Patrē miseri cordiarum, & Deum totius consolationis, fideri nō potuit, quin conspectis lachrymis, & corde tam vehementer affli cto mœrentis Patris, cōmota sint quoque & liquefacta viscera tua: vnde non tam humilitate illius, quàm tua ipsius caritate incensus, sicut impulit te vt descenderes de cœlo in terrā ad dandā humanę naturę vitā, sic eadē te impulit ad restituendā huic filiæ, quæ nostræ naturæ erat typus, vitam & salutem. *Psal. 101.*

5. HIC Archisynagogus, quando primū se contulit ad Christū nonnihil, vt dictū est, erat in fide imbecillis: & ideò

Dominus, prius voluit eius fidē probare, permittēdo vt in itinere acerbus ille nuntius afferetur de filiæ morte, qui gratiā suam offerret. Quamuis apparet hic magna bonitas & suauitas domini, quod cognita ei⁹ fragilitate & infirmitate antequam ex doloris vehementia, & diffidentia remedij incideret in desperationis voraginē, præuenerit eum misericordię suæ abyssō, dicens, vt tantum crederet, nec de salute filiæ dubitaret. Postea verò cum Dominus peruenisset ad domum Archisynagogi, inuenit eam refertam lugentibus & deflentibus mortem filiæ, quos cum iussisset Dominus recedere, eo quod mortua non esset, sed dormiet, cœperunt illi eū deridere. O patientia mitis IESV, homines illudunt Deo, humana stultitia irridet diuinam & æternam sapientiā. Quid verò mirum in domo huius Principis Christum derideri ab ijs à quibus non cognoscebatur? Heu quot hodiè sunt in aulis Principum, qui licet profiteantur se Christianos, tamen deridēt Christum, dum pudet eos imitari vitam Christi, & derident etiam alios, qui nomini suo congruenter viuere piè & religiosè volunt. Quamuis autē benignissimus IESVS, sicut quoque

fecit

fecit in domo huius Archisynagogi, taceat & dissimulet, nec à præstandis continuo beneficijs absistat, tamen veniet aliquando tempus, cum istis faciet quod his turbis incredulis & ingratis fecit, nempè vt omnes è domo exturbet, & occlusa ante conspectum ianua, terribilia illa verba dicat. *Amen Amen dico vobis, nescio vos, discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Erat igitur hæc filia verè mortua, sed tantũ hominibus, qui eam resuscitare non poterant: dormiebat autem Christo, in cuius manibus anima illa viuebat, & corpus quiescebat ab ipso resuscitandum; deinde dormiebat Christo, quia tam facilè poterat eam excitare à morte, quam si excitaret à leuissimo somno. Eiecit ergo Dominus foras totam illam turbam incredulam, & ingressus est, vbi erat filia cum parentibus, cum solis tribus discipulis. Sed quid sibi vult ô bone IESV hæc eiectio? nonne tu venisti de cælo, vt operibus tuis admirandis cõmoueres hunc populũ ad credendũ te esse verũ Messiam in lege promissum? Quomodo autem vel credent in te, vel cõfitebuntur te esse Messiam isti, si eos non vis adesse tuis diuinis operibus, si abijcis à conspectu tuo? Quare verò tandẽ exclu-

*Matt. 25. Luc. 13.*

excludis & discipulos tuos? an non illi testimonium dare debent de omnibus
1 Ioan. 1. operibus tuis, & dicere: *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, &c. annunciamus vobis.* Cæterum totũ hoc Dominus fecit nõ sine grandi mysterio. Ardebat diuinum illud pectus ignita caritate & desiderio omnes iuuandi; itaq; id agebat in operibus suis, vt omnẽ occasionẽ adimeret peruersis hominibus, qui ex mera malitia ipsius bona opera calumniabantur, & damnũ magis quàm fructũ ex illis hauriebant, instar animaliũ venenatorum, quæ quicquid boni comedunt, conuertunt in venenum. Persequebantur Pharisæi mansuetum IESVM; quoq; plures habebat sectatores, & plura faciebat miracula, tanto amplius ira & odio in eum inflammabantur. Quare cælestis & sapientissimus hic Medicus sic medicinam temperauit, vt hinc frigus desperationis adimeret Iairo, eumq; miraculo resuscitatæ filiæ consolaretur, illinc verò caueret ne flamma inuidiæ in cordibus Pharisæorum succresceret, cum remota turba, secretò miraculum patrauit.

6. CONSIDERA, quod Christus ingressus in locũ vbi erat mortua filia, quia Pater eius rogarat, vt manum

ei im-

ei imponeret, benignè manu potentissima, qua omnia condiderat, cuiq; nihil erat impossibile, apprehendens filiæ manum, mandarit ei vt surgeret. O mirabilis diuinæ potentiæ virtus, Sola voce subito excitata filia aperuit oculos, & parētes præsentes incredibili stupore & lætitia compleuit. O quam bene poterat dicere cum Propheta. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.* Psal. 117. Hic potes perpendere quam ingens gaudium fuerit parentum huius filiæ, quando eam viderunt vno quasi momento beneficio Christi vitæ restitutam; atque imprimis quanto solatio affectus fuerit pater ille amantissimus, quem si prius doloris magnitudo impulit vt tanta humilitate se in terram abijceret ante Christū, multo magis iam magnitudo gaudij, & admiratio diuinæ potentiæ, vt verisimile est, impulerit, vt iterum se ad pedes Christi abiecerit, & plorans non iam lacrymis doloris, sed superabundantis lætitiæ immensas gratias pro tam singulari beneficio reddiderit, seque & omnia sua ad sanctum eius seruitium obtulerit. SED quid sibi vult, ô benedicte IESV, vt, cum verbo vno potueris

tueris hanc puellam vitæ restituere, tamen ei diuinam tuam manum porrigere volueris? Verè hoc exemplo manifestare voluisti clementiã singulare, quã quotidiè erga peccatores declaras: nam cum nos simus mortui peccato, & ideo inimici tui facti, tamen benignè nos ad veniã & amicitiam tuã inuitas. Tu primus es qui postulas pacẽ, manũque porrigis, atque si diceres. Da mihi manũ peccator, nec amplius me offende. Benedictus sis dulcis IESV, verè Deus noster, & bonus Pater; talis enim clementia nõ poterat conuenire nisi in Maiestatẽ, qualis tua est. O miser peccator, ne cõtemne tantũ bonũ, tantamq; tui Saluatoris bonitatẽ. Cogita quã graue peccatũ cõmittas, quãtæq; pœnæ te reũ facias, si tanto beneficio sis ingratus: O quoties benedictá manũ suã extendit ad erigendum te à tuo torpore & languore, atq; etiã ad sustentandũ, dum rectã mandatorũ eius viã inire deberes verũ tu ingratus ne aspicere quidẽ eũ, vel manũ tuam manui Christi coniungere voluisti, sed potius elegisti in veteri malæ consuetudinis lecto volutari. Quocirca quid aliud restat, quã vt mox in inferni sepulchrum, præcipitêre, vbi iustum de tua ingratitudine supplicium

sumatur? & sic adimpleatur in te, quod ipse Dominus in persona æternæ sapientiæ dixit. *Vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum: Ego quoque in interitu vestro ridebo, cùm irruerit super vos repentina calamitas.* Non sic anima mea, sed potius cùm hac fælice puella, auscultata & obedi voci Domini, quivocate à morte peccati ad vitam gratiæ, à multis tuis imperfectionibus & negligentijs, ad vitam & conuersationem magis perfectā, ex miserijs huius infelicis sæculi, ad cælestis regni gloriā, vt possis dicere cū Propheta. *Tenuisti manum dexteram meā, & in voluntate tua deduxisti me, & cū gloria suscepisti me.* Hæc manus est, quæ subleuat oēs labentes, sustentat erectos, & respicit lapsos, ne omninò pereant. O manus potētissima. Beati, ô mi bone IESV, quibus tuā benignam manum porrigis: nam hoc fulti præsidio & fauore, current, & non fatigabuntur, laborabunt & non deficient, ascendēt deniq; quasi per scalā de virtute in virtutē, donec eis tecū occurrat Deus deorū in sancto monte Sion.

*Prou. 1.*

*Psal. 72.*

*Psalm. 83.*

## COLLOQVIVM.

ORABIS Christum Dominum, vt sicut ingressus domum Archisynagogi

gogi excitauit defunctam eius filiam, sic, cùm ipse sit vera resurrectio & vita nostra, cui omnia viuunt, ingredi dignetur sancta gratia sua in cordis tui penetralia, & voluntatem tuam resuscitare, quæ intra domum iacet mortifero multarum prauarum cupiditatum, & propositorum aduersus tuam sanctissimam legem conceptorum, atq; etiam multorum peccatorum occultorũ quæ non cognoscit, somno oppressa, ac viuam Patri & suo Deo reddere: vt adoptãs te in suũ filium, velit etiã cùm Christo in cælesti regno facere cohæredem.

## DOCVMENTA.

1. *HIC Iairus etsi esset homo valde honoratus, & vnus è Synagogæ principibus, tamen ad impetrandam sanitatem filiæ, non dubitauit se humiliare & se ad pedes Christi, nulla habita dignitatis suæ ratione, abijcere idq; in loco publico, & tanti populi præsentia. Vnde discimus si velimus animæ nostræ salutem consequi, pedibus conculcare omnes respectus humanos, & non curare quid mundus dicturus sit, vel homines cogitaturi: sed verò tantum considerare, quid magis conueniat saluti animæ nostræ.*

3. *Tria fecit Archisynagogus, vt postulata à Christo impetraret. Primò procidit se ad eius pedes. Secundò impensè eum rogauit.*

Ter-

Tertiò magnam erga CHRISTVM fiduciam ostendit, vt quod tactu manuum suarum posset sanare filiam. Sic nos, si exaudiri volumus à Deo in nostris precibus. Primò, conuenit vt eum magna humilitate adeamus, secundū illud, Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Secundò, vt ne ex consuetudine oremus, vel tepidè, sed cum affectu & interno desiderio, sicut fecit bonus Moyses, quando Deum precatus est, vt aut ignosceret populo, aut se deleret è suo libro. Tertiò, vt oratio nostra fiat cum fiducia confitendo Dominum nihil negaturum nobis eorum omnium, quæ iustè ab eo postulamus, secundùm consilium S. Iacobi Apostoli. Postulet, inquit, in fide, nihil hæsitans. Eccl. 35. Exod. 6. Iacob. 1.

3. Christus rogatus ab Archisynagogo, nullo dato responso, cōfestim eum secutus est. Quo facto primū dedit subditis exemplū obediētiæ, quā promptè debeāt obedire suis Prælatis. Et si Dominus omnium tam promptus fuit ad obediendum vni homini, quanto promptius homines obsequi debent ijs qui loco Dei ipsis aliquid imperāt! Dedit quoq; exemplū Prælatis & Pastoribus, vt cum vigilātia & sollicitudine sua curent spiritualib. subditorum necessitatibus. Denique omnib. exemplū dedit, vt promptè operā & auxilium suum, cū exigitur, accōmodent proximo, sicut ille rogatus, vt operam præstaret sanādæ huius hominis filiæ, extemplo se in viam

viam dedit, secundum illud: Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.

4. CHRISTVS inuitatus ab Archisynagogo, vt sanam redderet filiam, desinit prædicare & docere turbas; vt significaret, si officium tam spirituale & necessarium deseri potuit, multo magis deserenda minorum momenti negotia, ad subueniendum necessitatibus proximi, etiam temporalibus. Martha enim & Magdalena non sunt inter se contrariæ, sed Sorores.

5. CHRISTVS vita restituturus filiam Archisynagogi, prius domo eiecit tibicines, reliquamq; turbam tumultuantem, vt intelligeremus, nihil æquè obesse nostræ spiritali resurrectioni, ac terrenarum cogitationum turbam, nimiamq; curam & affectionem erga nosipsos, & res huius vitæ; quæ impediunt, quo minus cognoscamus nosipsos, & locum Deo intercludũt, vt gratia sua nõ possit operari in nobis. Age ergo, vt hanc importunam cogitationum inanium & inordinatorum turbam è corde tuo exturbes, & solum IESVM Saluatorem in illud admittas, & mox videbis mirabilia, quæ ille in te, pro animæ tuæ salute, operabitur.

6. Christus excitaturus hanc puellam, primò extendit manum, eamque coniunxit cùm

manu

manu puellæ defunctæ, deinde verborum suorum virtute puellam suscitauit: hoc ritu significans, si velimus excitari à morte peccati, non satis esse, vt ille extendat manum suam, auxiliumque porrigat, sed vt nos quoque concurramus, coniungendo manum nostram ipsius manui, qua præuenienti Dei gratiæ cooperemur, deinde procuremus, vt nostræ manus porrectio ab efficaci voluntate surgendi è lecto peccati proficiscatur: si enim tantum id fiat ceremonia quadam & specie externa, potius erit hypocrisis nec manum, sed chyrothecam tantum porrigemus Christo.

7. CHRISTVS mandauit parentibus reuiscitatæ filiæ, vt nemini patefacerent hoc miraculum, cùm tamẽ multi viderint resuscitatam. At alibi ipse patefecit miraculum sanitatis restitutæ mulieri hæmorrhoissæ, quod tamẽ nemo aut viderat, aut cognouerat. Quare voluit nos docere, quid vnicuique nostrum magis cõueniret, & primò quidem vanitati deditis, vt occultè sua bona opera facãt, conuenienter dicto ipsius. Te faciente eleëmosynam nesciat sinistra tua: qui faciat dextera tua. Deinde magis perfectis, qui gloriam huius mundi pedibus calcarunt, vt potius sua bona opera ad exemplum, & auxiliũ aliorũ manifestent, sicut dixit suis Apostolis. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.

Matt. 9.

Matth. 6.

Matt. 5.

8. Eo-

8. *Eodem exemplo docet nos Dominus, bona opera nostra, donaque diuina à sua Maiestate communicata; aliquando esse manifestanda, quando vtilitas proximi, vel Dei gloria id postulat. Quod autem alibi voluit ea tegi silentio, id fecit caussa nostra, sciens quam simus propenes ex fragilitate ad vanam gloriam: intelligeremusq; eam fugiendam tanquam pestem, & amandam verò humilitatem, omnium virtutum fundamentum.*

# DE SANATIONE PARALYTICI IVXTA PISCINAM.

## MEDITATIO XXVII.

### EVANGELIVM.

Ioan. 5. POst hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autẽ Ierosolymis supra probatica, piscina quæ cognominatur Hebraicè

cè Bethsaida, quinq; porticus habēs. In his iacebat multitudo magna languentiū, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum. Angelus aūt Domini descendebat secūdùm tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque tenebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset, IESVS iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus, Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei IESVS, Surge, tolle, grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem Sabbathum in die illo. Dicebant ergo Iudæi, illi qui sanatus fuerat, Sabbathum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

Respon-

Respondit eis, Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuũ, & ambula. Interrogauerunt ergo eum, quis est ille homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. IESVS enim declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit IESVS in templo & dixit illi, Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia IESVS esset qui fecit eum sanum.

## PROPHETIAE.

Eccl. 51. 1. *RESpiciens eram ad adiutorium hominũ, & non erat.*

Ezec. 34. 2. *Ego pascam oues meas, dicit Dominus Deus, quod abiectum erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmũ fuerat, consolidabo.*

## CONSIDERATIONES.

Punct. 1. CONSIDERA immensam Dei bonitatem, qua ratione ita sancti sui nominis gloriam coniungere voluerit cum vtilitate nostra, vt quicquid esset ad

ad noſtram ſalutem vtilius, idem ad maiorem cederet Dei gloriam, vti claſſimè indicauit illis prophetæ verbis. *Dabo in Sion ſalutem, & in Hieruſalem gloriam meam.* Eſa. 46. At quæ fuit, quæſo infinitæ Maieſtatis Domine illa gloria, quã demonſtraſti in Hieruſalem, niſi forte illa opprobria, illa flagella, illa mors crucis ignominioſiſſima, quam in illa vrbe paſſus es? Verè hæc vna fuit gloria veſtra, pati & mori pro hominibus. Hoc quod nobis maiorem vtilitatem attulit, id tu loco maioris gloriæ & honoris habuiſti. Cùm ergo hæc fuerit gloria & excellentia Saluatoris, nunquam deſtitit laborare pro nobis, & nouis aſſiduè beneficijs nos efficere. Quare & hoc fine hodiè nominatim aſcendit in vrbem Hieroſolymã: cùm enim tota Iudæa, ex mandato legis ad celebranda feſta in vrbem conuenerit, maior quoque occaſio fuit ſaluatori exponendi populo ſalutis viam, doctrinaque & miraculis attrahendi ad notitiam veritatis. Voluit quoque IESVS omnium virtutũ ſpeculum, hoc die concedere Hieroſolymam, vt relinqueret nobis primò documentum humilitatis, dum ipſe autor legis, ſe obedientiæ ſuę legis ſubmittit. Deinde cha-

charitatis, nam post visitatum templū, & gloriam æterno Patri delatam, vadit ad piscinam, vt visitet infirmos & pauperes, qui ibi solent conuenire, vt suum quoque auxilium & consolationem illis suppeditaret.

2. ERAT Hierosolymis Piscina, id est, concursus aquarū è templo, in qua miraculosè sanabatur quicūque æger post motū aquæ ab Angelo certo tempore factum, ingrediebatur. Vbi considera quam præclarè iustitia Dei ineffabili eiusdem misericordię respōdeat. Nam initio mundi cū omnis caro corrupisset viam suam, Deus ad castigandum totum humanum genus, vsus est instrumento aquæ, ea totam terrā submergens: nunc verò diuina misericordia vsa est instrumento aquæ piscinæ ad sanandos omnes corporales hominum infirmitates, aquæ verò baptismi, cuius piscina erat typus, ad sanandas omnes spiritales animæ nostræ infirmitates. Cùm ergo IESVS ad hunc locum peruenisset, tantamque multitudinem ægrorum vidisset, cogita quam clementibus oculis eos respexerit ille, de quo scriptum est, quod oculi eius in pauperem respiciunt, & commiseratio illorū penetret cor ipsius. Sed quid sibi vult

ſult ſuauiſſime Domine, quod tu miſericordiarum Pater, qui circuibas per vrbes, villas, caſtella quærēs ægros, alioſque homines afflictos, ad impartiendā eis ſalutē, vt nūc è tanta hominū turba vnum tantū eligas, & vnum ſanes cum omnibus vno verbo reſtituere ſanitatem potueris? O diuinæ ſapientiæ altitudo, quā occultæ ſunt conſiliorū tuorum viæ: omnes reſpiciebat Dominus, omnium miſerebatur, ſed vni ſoli loquitur; vnū ſanat, quia ipſe ita voluit, ita ei placuit. Sicut quoque noſtræ vocationis & electionis gratia ita pendet à diuina miſericordia & bonitate, vt quiuis electorum dicere poſſit cum Propheta, *Saluum me fecit quoniam voluit me*. Quod facit Dominus, primò, vt melius conſeruemur in timore Dei, ſcientes vitam æquè ac mortem noſtram eſſe in eius manibus poſitam. Secundò, vt magis excitemur ad amandum illum, cuius gratia cognoſcimus nos eſſe miſericordiſſimè præuentos, & in ſortem æternæ beatitudinis deſtinatos. *Pſal. 17.*

3. ACCEDENS ergo IESVS ad hunc hominem, & cognoſcens illum multo iam tempore infirmum fuiſſe, ac ſatis pro peccatis incommodis morbi caſtigatum,

garum, ille ipse qui eum percusserat, permotus est, vt eum sanaret, secùndum
c. 3. illud. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis* Ait ergo illi, *vis sanus fieri?* Cur id quæris ô bone IESV, cùm scias illum totos triginta annos cum incredibili patientia iuxta piscinam non alia de causa expectasse, quàm quod summo desiderio teneretur sanitatis recuperandæ? an fortè cogitas, eum credere, te ideò illud à se quærere, quod possis & velis eum sanare? at quomodo poterat credere, aut petere illud à te, si nõprius efficias, vt sciat te esse Medicum, & Saluatorem suum? Verum non fuit otiosa ista Domini interrogatio. Non ignorabat, quid hic infirmus peteret, quærebat autem ab eo, num vellet esse sanus, quia multi infirmi non optant sanitatem, imò multi amant infirmitatem, acquiescendo misero statui animæ suæ, de quibus scriptum est; *lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Huiusmodi non sunt curati à IESV, quia non est Saluator eorum qui nolunt, sed qui volunt, & cooperantur suæ saluti. Nam, vt dicit Sanctus quidam Doctor. *Qui creauit nos sine nobis, non iustificabit nec saluabit nos sine nobis.* hoc est, sine voluntate nostra. Interro-

gauit

uit quoq; Christus, vt eum prouocaret, magisque accenderet ad desiderandam suam sanitatem, atq; ita etiam dignior redderetur sanitatis beneficio. Quibus verbis commotus paralyticus, vt verisimile est, videnscq; in eius vultu resplendere quandam admirabilem benignitatem & misericordiam, putauit Christum ad officium charitatis præstandum paratum, quod à nullo alio obtinere poterat; atque ideò modeste respõdens, modum ei insinuat quo iuuari possit, dicẽs. *Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*, quasi dicat, maximè desidero sanus fieri, sed deest auxilium ad eam consequendam. Si tu illud præstare velis, erit mihi gratissimum.

4 O bone paralytice, si scires donum Dei, & qui tè interrogat, num velis sanus fieri, fortè non dubitares illum suis humeris te in piscinam delaturum; Hic enim Dominus natus est ad deportandum onus & pondus totius humani generis, vti de ipso loquitur Propheta. *Deus posuit in eo iniquitates omnium nostrum*. Et in alio Propheta de se ipse dicit. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*. O quanta fabrica, quàm graue & molestum pondus erat illud, quod *Esa. 53.*

continuò premebat, & affligebat animam Saluatoris nostri. Vtinam licuisset alicui videre misericordissimum illud cor IESV, totum commiseratione & dolore peccatorum nostrum transfixum & vulneratum. Quis non commotus fuisset ad misericordiam, si vidisset eum suis lachrymis satisfacientem pro vanis nostris gaudijs, fame & siti expiantem nostram intemperātiam, labore & sudore compensantem nostra otia & delitias, humilitate extirpantem nostram superbiam ? Cur ergò dubites paralytice, quin ille te deportare velit vsque ad piscinam, cùm inde ex vtero matris non solùm te, sed etiam omnia peccata mūdi in suo corde portauerit: iamque paratus astet, ad aperiendum in corpore suo pro salute tua, non vanam modo, sed quinque piscinas, non aquæ, sed sanguinis, non iam taurorum vel arietum, sed sanguinis sui pretiosissimi, in quibus non solum ab infirmitatibus corporis, sed etiam à lethalibus vulneribus animæ tuæ in æternum sanari possis.

5. CONSIDERA quantus sit fructus flagellorum & castigationum Domini, quibus nos visitare solet ad nostram emendationē. Paralyticus enim hic,

it, licet diuturna ægritudine vexatus, magnam tamen manſuetudinem in reſponſis, & patientiam in verbis demonſtrat, non deplorat grauitatem morbi, non queritur de diuina prouidentia, qua hoc permiſſum eſt, nō ſugillat eos qui ante ipſum in piſcinam deſcenderunt, non diei natiuitatis ſuę, aut iniquæ ſorti maledicit, multo minus reprehendit duritiem vel exiguam caritatem eorum à quibus iuuari potuiſſet. Quare mirum non fuit, vt, non tam miſeriæ magnitudo, quàm humilis eius patientia, & ſubmiſſio, commoueritviſcera miſericordis IESV, ad exhibendam illi miſericordiam: & quoniam ad Angeli aduentum non poterat conſequi ſanitatem, ſaltem in aduentu Domini Angelorum conſequeretur, & denique quia non habebat hominem, qui ei præberet auxilium, haberet ipſum Deum, qui ideo factus erat homo, vt ipſi, alijſque omnibus ſalutis auxilium præſtaret.

6. DIXIT ergo IESVS paralytico. *Surge, tolle grabatum tuū, & ambula*. quaſi dicat. Ego ſum homo ille quē tu quæris, & deſideras, ego ſum cæleſtis Medicus, qui non corpora tantū, ſed & animas ſanat Surge ergo & ambula. Verba

verè Saluatoris, Dæmon enim nō hortatur homines ad surgendū, sed ad cadendū & præcipitandum se. Similiter, mundus nō hortatur suos amatores ad laborandum & ambulandum, sed ad otium & ignauiam, dicens. *Melius est pugillus cum requie, quàm plena vtraq; manu cū labore.* O quot languidi & paralytici hodie existunt in mundo, qui praua consuetudine oppressi, decumbunt quasi in lecto mortiferæ voluptatis & habitu peccati. Verùm quid aliud sunt tot scripturæ documenta, tot prædicatorum voces, tot internarum inspirationum admonitiones, quàm Saluatoris voces excitantis ad salutis nostrę desiderium, & inuitantis ad resurgendum à lapsu peccati, ad deserendas pestiferas voluptates, & periculosas peccatorum occasiones, quibus sumus impliciti? O quam magna & lethalis est nostra paralysis, cū voces omnes non sufficiant ad nos excitandos, & è misero lecto erigēdos, imò amamus & placemus nobis in nostra miseria: Volumus quidem à corporis languoribus, alijsq; malis & calamitatibus huius vitæ liberari, verum de languoribus animi, quando Dominus acclamat, *Surge*, nihil volumus intelligere. Heu infelicitatem nostram, Res

omnes

mnes volumus esse bonas, valetudinem, fortunas, vxorem, filios, famulos, equos, vestes vsq; ad calceos, solam animam volumus esse malam & miseram. O miser homo, obsecro te propter Deum, vt saltem pluris æstimare & curare velis animam tuam, quam tuos calceos.

## COLLOQVIVM.

PRecabere CHRISTVM Dominum, verum medicum nostrum, qui de cælo descendit ad curandos languores nostros, vt sicut hunc paralyticum ab omnibus desertum sanare dignatus est, ita velit quoque animam tuam iam multo tempore languidam & paralyticam, sanare; vt quæ neq; in seipsa vires vllas, neq; extra se vllum præsidium habeat, nisi in eo solo, in quo omnē spem suam collocauit. atque ideò dignetur tibi dare gratiam qua à peccatis primo possis resurgere, deinde sumpto in humeros onere pœnitentiæ in posterum possis de virtute in virtutem procedere, donec merearis ad perfectam & consummatam æternę beatitudinis sanitatem peruenire.

## DOCVMENTA.

1. EX omnibus infirmis qui erant iuxta piscinam probaticam, vnus tantum sanatus, ad significandum illos solos qui profitentur vnam fidem, & in vna sunt Ecclesia, quæ vnum Deum colit, iustificari & saluari. Væ ergo illis, qui ab hac vnitate se segregant, & schismata in Ecclesia Dei faciunt: nunquam enim consequentur salutem.

2. Hic homo licet totos triginta annos infirmus fuerit, non tamen desperauit, sed confisus est semper se tandem ab aliquo iuuandum: vt daret exemplum peccatoribus, constanter in oratione persistendi, nam si perseuerēt cum spe, consequentur tandem salutem ab eo, qui dixit.

Matt. 7. Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.

3. Magnam causam habemus erubescendi de peccato, sed maiorem de nostra segnitie, quando quidem hic miser paralyticus, licet totis triginta octo annis voto potiri non potuerit, tamen in eodem loco perstitit, & auxilium poposcit: Nos verò si vel paucis diebus perstiterimus in petenda aliqua gratia & non statim obtineamus, ab orādo cessamus, nec vllum amplius studium ad eam obtinendam adhibemus.

4. Dominus tunc dicit nimiæ laboranti morbo

peccati, Visne sana fieri? quando ratio diuini luminis sui præueniens illam inuitat ad suam gratiam & fauorem: & nos tunc dicimus, deesse nobis hominem, qui adiuuet, quando detestando malam vitam præteritam, incipimus desiderare salutem, & auxilium Domini imploramus. Ille quoque tunc respondet, Surge, quando infundens gratiam suam, animæ restituit perfectam sanitatem: & tunc surgentes tollimus gradatum nostrum in humeros, cùm incipiunt nobis displicere, quæ prius delectabant; & denique tunc ambulemus, quando acceptæ gratiæ cooperamur, exercendo nos in bonis & sanctis operibus.

5. Varietas infirmorum iuxta piscinam existentium, designat diuersitatem peccatorum: nam aliqui peccant ex negligentia & torpore, & hi significantur per languidos. Alij peccant ex ignorantia, qui significantur per cæcos. Alij ex humana fragilitate, qui per claudos, & ad bene agẽdum impotentes. Alij peccant ex malitia, qui designantur per aridos, destituti omni humore bonæ voluntatis. Alij denique peccant ex consuetudine, qui designantur per hunc infirmum triginta octo annis paralysi afflictatum.

6. Iudæi arguebant paralyticum, quod lectum suum deferret die Sabbati, notãdo, quod illis videbatur reprehensibile, & non quod

erat laudabile, nempè miraculum sanitati receptæ. Sic homines peruersi & inuidi frequenter notant & obseruant in alijs, quæ possint reprehendere & calumniari, & non quæ laudare ad aliorum ædificationem: tacent bonum quod in illis conspiciunt, & publicant malum, si quod inueniant: vel certè conuertunt bonum in malum calumniando finem & intentionem, qua fuit factum.

7. Paralyticus, dum erat infirmus, decumbebat in suo grabato; sed postquam sanatus est, humeris suis deportauit grabatum. Grabatum non aliud est, quàm honores, dignitates, & cetera huius vitæ bona, in quibus velut in lecto homines mundani quiescunt: vnde quando quis in eiusmodi rebus inuenit pacem & consolationem, signum est, quod decumbat æger, & male habeat. Verum quando hæc reputat pro onere, & sunt illi molesta & fastidiosa, signum est eum sanum esse, & ambulare.

8. CHRISTVS secessit à turba, quæ in illo loco erat, præbens nobis exemplum non quærendi in operibus nostris bonis laudem & hominum applausum; atque etiam, quod aliquando debeamus secedere ab illis, qui ad calumniandum sunt procliues & prompti, effugereq; oculos inuidorum, ne eis detur occasio maioris inuidiæ & peccati.

9. CHRI-

CHRISTVS *postea inuenit paralyticum in templo. Sic nos, postquam gratia aliqua à Domino ornati fuerimus, primò id agere debemus, vt referamus ei gratias non linguatantum, sed etiam religiosa conuersatione, frequentando Ecclesias, & vitam nostram in meliorem commutando.*

# DE SERMONE CHRISTI AD APOSTOLOS HABITO IN MONTE.

## MEDITATIO XXVIII.

### EVANGELIVM.

VIDENS IESVS turbas ascendit in montem, & cùm sedisset accesserunt ad eum discipuli eius. Et ipse eleuatis oculis in eos aperiens os suum docebat eos dicens. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Matt. 5. Luc. 6.

est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde quoniã ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cũ vos oderint homines, & exprobrauerint vobis, & eiecerint nomen vestrum tãquam malum, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me. Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cælis. Sic enim patres eorum persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. veruntamen væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram, Væ vobis qui saturati estis; quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. væ

cum

cùm vobis benedixerint omnes homines. Secundum hæc enim faciebãt Pseudoprohetis Patres eorum.

## PROPHETIAE.

1. *SVper montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.* Esa. 40.

2. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis, neq; ad dexteram, neq; ad sinistram.* Esa. 30.

3. *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.* Psal. 24.

## CONSIDERATIONES.

IAM tempus erat, vt magnus DEVS qui olim à primis mundi initijs locutus erat per tot Prophetarum ora, nunc in nouissimis diebus loqueretur per os Vnigeniti filij sui, quem constituit hæredem vniuersorum, & per quem creauit omnia. Iam tempus erat, vt è cælo veniret Doctor iustitiæ à DEO promissus & mundo nouam afferret legem: vetus enim illa, Patribus data fuit per mediatores angelos: at Punct. 1. Heb. 2. Ioel. 2. Exod 19. 20. Gal 3. Act. 7.

1. Cor. 1. at hæc noua & cælestis lex, non per angelos, sed tantum à Deo ipso de cælo delapso doceri debuit: tam enim sublimis est & excellens, vt omnem humanam & angelicam intelligentiam excedat, & contra, tam humilis est & abiecta, vt à mundo loco stultitiæ habeatur. Veteres Philosophi disputantes de hominis fælicitate, alij eam locarunt in sapientia, alij in imperio, alij in voluptatibus & illecebris huius vitæ, alij in alijs rebus. At quis intelligentia & ratione consequi potuisset, felicitatem veram non consistere in vllo dictorum bonorum, sed tantum in paupertate, luctu, sui contemptu, malorum perpessione? Verè nunquam id homo credere potuisset, si tu Deus & Saluator noster tuo id ore non docuisses, & exemplo vitæ tuę hominib. non persuasisses.

2. ASCENDIT itaque IESVS *in montem, & accesserunt ad eum discipuli eius*. Considera, quam congruens fuerit locus ab hoc cælesti Doctore ad trãdendam suam doctrinam electus, & quam conuenientes & idonei auditores, qui eum audire debebant. Legis enim Euangelicæ consilia tã alta & sublimia sunt, vt nullo alio loco opportuni? quã in vertice montiũ, doceri potuerint:

rint: nec ab alijs cõprehendi, quam qui desiderio perfectionis maioris desertis vitæ secularis vallibus, sectantur Christum per iuga virtutum. Arduus & difficilis videbatur huius montis ascensus. diuiti illi adolescẽti, cui, cum diceret Christus, *si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* illc abiens tristis, remansit in huius mundi vallibus. Non valent hunc montem ascendere, qui onerati sunt amore diuitiarum, parentum, & carnalium cupiditatum: minùs autem sunt huius doctrinæ capaces homines tumidi & superbi, quique in semetipsis sunt prudentes, sed humiles & simplices, de quibus scriptum est. *Et cum simplicibus sermocinatio eius.* Vnde bene subiunxit Euangelista, Christum eleuatis olulis allocutum discipulos: ille enim erat, qui per Prophetam dixerat. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

*Matt. 19.*

*Prou. 3.*

*Esa. vlt.*

3. CONSIDERA, quod tuus IESVS in monte illo sederit humi: Sedebat humiliter in terra ille Deus, cuius sedes cælum est, & terra scabellum pedum eius, ille qui sedet supra Cherubin: Deus ille, qui priscis temporibus

*Ibid.*

*Exod. 19. & 20.*

Heb. 12. apparens in forma terribili in monte illo antiquo & horrifico tonabat & fulminabat, ad quem nullus accedere audebat, nullus vocem audire sustinebat, nunc similis factus nobis totus humanus & affabilis sedet in hoc monte tractabili, vt omnes securè se illi adiungere, eumque tangere, verba audire, & vitam imitari possent. Vide ex alia parte, quomodo circumstent eum simplices discipuli, omnes attenti & ineffabili consolatione pleni, oculis in amabilem eius vultum coniectis, audientes verba gratiæ plena ex diuino illo ore fluentia. Accesserunt ergo discipuli Christum, non vt ab eo obtinerent diuitias & bona temporalia, quæ mentem excęcant, sed vt haurirent doctrinam, quæ animam illuminat, scientes scriptum esse, *Accedite ad eum, & illuminamini.* Vide denique, quomodo IESVS sederit in medio suorum discipulorum, non secus, quàm si vnus ex illis fuisset, quam benignè eos aspexerit, quanto affectu allocutus sit. O anima mea, quandoquidem peronus peccatorum, quo pressa es, digna non es, insistere vestigijs apostolicis, saltem conare qualicunque desiderio te applicare ad hunc montem, si fortè

Psal. 33.

Do-

Dominus, dum misericordes oculos suos eleuat, te quoque respiciat & ad se vocet. O quã facilè tunc perfectionis Christianæ montem conscenderes, & contemptis omnibus his rebus vilibus & terrenis, vna cum pauperibus his discipulis te pauperi & humili IESV adiungeres: qui tibi quoque doctrinam suam diuinam traderet, & manna absconditum degustandum, quod neque capere neque gustare huius mundi homines possunt, vltro porrigeret. Apo. 3

## *BEATI pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

4. ARCHITECTI cum magnam aliquam fabricam excitare volunt, primum solent iacere fundamentum, quoque altius fabrica educenda est, hoc profundius collocant fundamentum: sic Saluator noster sapientissimi Architecti instar, facturus initium operis nostræ Redemptionis, primò exinaniuit seipsum, formam serui accipiens, & humilians se vsque ad mortem crucis. Similiter fundaturus Ecclesiam, loco primorum lapi- *Phil. 2.*

dum.

Matt. 9. Ioan. 2.

dum posuit Petrum & Andream, pauperes & humiles piscatores. Eodẽmodo hodie pro fundamento sublimis ædificij perfectionis Christianæ, primũ quasi lapidem ponit, paupertatem Spiritus. O mirabile principium, & tanto Doctore dignum. Quid enim aliud expectari debuit ex ore Magistri omnis paupertatis, quam doctrina de paupertate, & quod remedium conuenientius esse potest refrœnandæ nostræ cupiditati & superbiæ, nisi hæc medicina paupertatis? In hac enim virtute duę continentur virtutes præcipuę. Prima consistit in contemptu diuitiarum, & omnium voluptatũ ac illecebrarum corporalium; Secunda in contemptu sui, & omni propria excellentia ac honore, sic vt paupertas spiritus vtramq; virtutem complectatur, nempe veram humilitatem, & voluntariam paupertatẽ, & secundum vtramque hæc beatitudo obtinet primum locum. Nam bonorum temporaliũ inopia, prima est eorum perfectio, qui volunt in via perfectionis Christum sectari: neque enim qui rebus terrenis & temporalibus onustus est, potest expeditè sequi illud speculum omnis paupertatis. Similiter humilitas est fundamentum totius ædificij

ficij spiritualis, velut è contrario superbia est principium & fons omnium vitiorum & peccatorum. *Qui enim cæteras virtutes*, ait bene quidam Doctor, *sine humilitate congregat, quasi puluerem in ventum spargit.* Vnde merito huic virtuti datur præmium, non futurum, sed præsens, Regnum cælorum: nam cæteris virtutibus tantum promissum est præmium, sed huius potius datum est, quam promissum. Non enim dixit Dominus pauperibus spiritu, quod possidebunt, sed quod ipsorum sit regnum cælorum. Magna certè ala est paupertas, quæ facit, vt homo tam citò volet ad cælum: simulatque enim homo propter Christū bonis terrenis se exuit, & ab opibus, voluptatibus, honoribus, aliisque mundi bonis affectum suum abstrahit, iam experitur in se regnum cælorum, iam incipit possessor esse cœlestium opum & delitiarum, diuinisq; consolationibus repleri, ac deniq; fieri particeps ineffabilis gaudij, quod à nemine tolli possit. O stulti filij hominū, qui tanta sollicitudine inhiatis opibus & honoribus, falsa opinione imbuti, quasi in hac vita pariter & futura possitis esse beati, & nō animaduertitis Dominum, cùm diceret, *Beati pauperes spiritu,* *Psal. 4.*

ritu, non in diuitijs, & dignitatibus huius mundi, sed in paupertate & humilitate beatitudinem collocasse.

*Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

5. RECTE paupertati subijcitur mansuetudo : proprium enim pauperum est, pati persecutiones & iniurias, & ideò valdè illis necessaria est mansuetudo, qua virtute Christianus se cõtra omnia opprobria & contumelias munit, non turbatur, non se vlciscitur, non resistit malo, sed vincit in bono malum. Mansuetus quoq; patiens est, humilis & modestus, cedit omnibus, & omnia sustinet. Virtus verè diuina, quia illius solius Saluator noster esse magister voluit, cum dixit. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Sicut & de eo dixit S. Petrus Apostolus, quod *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur.* O beata virtus, quæ facit homines similes Deo, & sui ipsius Dominos, quę res est magis sublimis, quàm esse omnium rerum, quæ extra nos sunt, posse florem. Quare & valdè conueniens fuit præmium illi promissum, de possessione terræ, quæ enim terra illa est, nisi, de qua dixit Pro-

Matt. 5.

Rom. 12.

Matt. 11.

1. Pet. 2.

Propheta. *Portio mea Domine sit in terra viuentium!* Etenim hęc nostra terra quę hominum pedibus calcatur & bestiarum, quæ post primi parentis peccatū à Domino maledicta est, est terra morientium: at cælestis illa, ad quam continuis gemitibus suspirant animæ iustorum, est verè terra viuentinm, de qua scriptum est in prouerbijs. *Qui recti sunt, habitabunt in terra.* Sicut contra scriptum est, impios exterminandos è terra. Erant nunc homines iracundi & superbi, & contendant, belligerentque alter in alterum pro vno palmo terræ mortalis, quæ tanto timore possidetur, & tam facilè perditur. Beati verò mites, qui cum patientia sua in hac vita possidebunt terram animę suę, quæ plus valet, quam totus mundus; in altera quoque hæreditabunt, & pacificè possidebunt terram æternæ fœlicitatis.

*Psal.* 141. *Gen.* 3. *Prou.* 2. *Psal.* 36.

## *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

6. CONSIDERA, post has duas beatitudines iam expensas, rectè sequi hanc tertiam, nam homo iustus post mundum paupertate spiritus contemptum, & post factam sui ipsius permansuetudinem, abnegationem, dum

dum imperfecta mentis suæ quiete præsentis vitæ statum expendit, non inuenit, nec in se, nec in alijs materiam doloris & planctus. At bone DEVS, quan tam consolationem afferunt hæc verba Domini? si enim dixisset; Beati diuites; beati potentes, & qui habent cõsolationem suam in hoc mundo, maior hominum pars potuisses dolere, & de beatitudine consequenda desperare; verum eum dixerit; Beati pauperes, Beati qui patienter ferunt iniurias. Beati qui lugent, nullus habet mærendi causam, quia mundus his beatitudinibus abundat, quas quilibet, modo velit, potest obtinere. Neque tamen ideirco omnes lugentes sunt beati: nam qui lugent ob factam temporalium rerum iacturam, potius infœlices vocandi sunt, quàm beati. Quinque igitur de causis homo rectè potest lugere. Primo, pro peccatis suis & miserijs, quibus sic oppressi iacemus. Secundò pro peccatis & miserijs proximorum. Tertio, propter longum huius vitæ miseræ exilium. Quarto ob periculum & incertitudinem nostræ salutis. Quinto ob dilationem gloriæ, & cælestis patriæ desiderium. Beati igitur illi, qui in præsenti vita his de causis lugent, quia in altera perfectè con-

cõsolabuntur. Et verè beati, quia Deus ipse erit eorum cõsolator, de quo scriptum est. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Apo. 21. Esa. 26. Felices lachrymæ quæ merebuntur manu clementissimi Dei abstergi. Verè, si aliud non esset, deberet homo solùm ob tam insignẽ cõsolationem à manu Dei expectatam, toto vitæ suæ tempore lugere. Sed vides, quàm bonus sit Dominus: neque enim satis est illi, vt consolatione summa fruantur in altero sæculo, qui lugent, sed etiam voluit in hac lachrymarum valle remanere, vt noster consolator esset, sicut dixit ad suos Apostolos. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, qui manebit vobiscum in æternum.* Ioan. 14. O quanta consolatione perfunditur anima, quando vel peccatorum suorum dolore, vel sancto zelo, aut cælesti desiderio post luctum, & multas lachrymas, commota, sentit se à diuino illo consolatore intus totam tranquillari, & liquescere, quod non est aliud quam initium & præludium præmij à Domino in altera vita nubis præparati. Quare vanissimè nunc homines mundani gaudent & exultant; quia lætitiam hanc in inferno luent sempiterno luctu & planctu. Beati verò serui Dei,

Dei, qui nunc lugent, quia æterna consolatione & gaudio perfruetur in cęlo.

*Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

7. CONSIDERA, quam conuenienter luctũ sequatur iustitiæ fames; peccator enim diuinæ gratiæ lumine, præuentus, post agnitam peccati fœditatem, statusque sui, in quo versatur, miseriam, post elutas luctu & dolore animæ maculas, continò incipit laborare fame iustitię, & aspirat ad studium virtutum, ac diuinorum præceptorum obseruationem, sicut dicebat sanctus ille Rex, *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Neque solùm pœnitens incipit habere sitim iustitiæ propriæ, sed etiam alienæ, desiderans, vt omnes homines ab hoc iustitiæ sole illustrati, quæstum faciant diuinæ gratiæ, sicut fecit idem Propheta quando post deploratum suum peccatum, sitiens alienæ quoque salutis dicebat *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Præter hanc est alia quoque fames & sitis, quæ non parum iustorum mentes excruciat, & est iustitię illius sempiternæ & consummatæ de

*Psal. 118.*

*Psal. 50.*

ſuperna patria, quando vt loquitur
opheta, liberati timore omnium i-
micorum noſtrorum in perfecta ſan-
itate & iuſtitia coram ipſo ſeruiemus
li, eumque benedicemus omnibus
iebus noſtris & in æternum. Quando,
n quoque ſanctus ille rex deſiderabat,
ic cæleſti iuſtitia veſtiti in conſpectu
Dei noſtri, in reuelatione gloriæ ſuæ
erfectè & ſuprabundāter ſatiabimur.
O quoties homines ſancti, quamdiu in
oc exilio, & miſera ſeruitute, ſedentes
upra flumina Babylonis, recordantur
& deplorant ſe ſuis peccatis ſancta Sy-
on, & cæleſti patria exturbatos, ſentiūt
in animis ſuis excitari ſitim, ingenſq;
deſideriū, ex hoc corporis ergaſtulo e-
mergēdi, & degendi cum Chriſto, eua-
dendi è tantis calamitatibus & huius
mortalis vitæ periculis, ac perueniendi
tandem ad veram libertatem filiorum
Dei, dicendo cum Propheta, *Sitiuit ani-*
*ma mea ad Deum, fortē, viuū, quando veniā*
*& apparebo ante faciē Deī?* Gaudete, quot-
quot talē famē & ſitim habetis: nam ab
illo, de quo ſcriptū eſt, quod eſurientes
impleat omnibus bonis, nō ſolū in hac
vita donorū ſuorū & chariſmatū copia
perfectè ſatiabimini, verū etiam in alte-
ra, ſicut ipſe dominus dixit. *Menſurā bo-*

*nam,*

*Luc. 1.*

*Pſal. 136.*

*Pſa. 41.*

*Pſa. 102.*

*Luc. 6.*

*nam, confertam, coagitatam, superafluentem dabunt in sinum vestrum.* Sinus nimirum, desideriorum vestrorum vberrimè redundabunt omni gratia, iustitia, & pace: imò ipse DEVS omnium bonorũ fons, faciens se præmium nostrum, in gloria sua omnem famem & sitim nostram æterna satietate explebit.

## *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

8. MISERICORDIA rectissimè adiũgitur iustitiæ, nam peccator mox post adeptam iustificationis gratiam, incipit se excercere in bonis operibus, maximè misericordiæ; incipit peccata sua eleëmosynis redimere, eamque caritatem exhibet alijs, quã cupit à Deo animæ suæ exhiberi. Debemus igitur esse misericordes; primò erga nos ipsos miserendo malis & mĩserijs animæ nostræ, secundum illud Ecclesiastici. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Secundo, miserendo proximis, eorumque calamitatibus, & quoad possumus subueniendo. Vbi considera quantam misericordiam Deus demonstret erga nos, dum spondet se facturum nobis, quicquid nos fecerimus proximo: sic, vt si velimus ab eo condonari peccata nostra

Eccl. 30.

ra, condonemus quoque iniurias nobis à proximis illatas: & si volumus, vt à suo tremendo iudicio sit nobis misericors, simus quoque nos alijs misericordes. Et si tenemur desiderio opum æternarum, quæ nunquam imminuuntur, erogemus & nos partem bonorum in proximos nostros. Qua in re primo demonstrauit Deus mirabilem suam sapientiam, quod intelligens cordis nostri angustias hac ratione voluerit nos allicere, vt liberaliores erga alios existeremus, sicut ipse Dominus alio in loco nos hortatur dicens. *Dimittite & dimittemini, date & dabitur vobis*; &, *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Deinde declarauit magnam suam bonitatem & misericordiam, quod vt peccator agnita sua, tum magna obligatione erga diuinam maiestatem, tum infirmitate qua nullo modo potest satisfacere, non incideret in desperationē, Deus voluerit in eius manu & potestate propriorum peccatorum condonationem ponere, quo facilius, misericordia declarata alijs, ipse quoq; diuina misericordia dignus efficeretur. Cæterum hęc misericordia, quæ consistit in commiseratione erga proximos, sæpè etiam inuenitur inter infideles,

*Luc. 6.* *Matt. 7.*

qui Deum non cognoscunt, sed perfecta misericordia conuenienter doctrinæ Christi, est misereri & benefacere non amicis modo, sed etiam inimicis, orare pro persecutoribus, ignoscere illis, qui iniuria afficiunt, benefacere ijs qui oderunt nos. Hæc est misericordia Christiana, hæc hominem facit similem Deo, de quo scriptum est. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos.* Ite nunc diuites auari, congregate thesauros in terra, vbi suo tempore consumentur, vt pro mercede referatis æternam maledictionem. Beati misericordes, quia merebuntur audire ex ipso ore Domini. *Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere, nudus eram, & operuistis me.*

Matt. 5.

Ibid.

Luc 5.

Matt. 25.

## *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

9. CONSIDERA, quam benè Dominus coniungat munditiam cordis cum misericordia: si enim qui misericordiæ opus exhibet, id non facit pura intentione, vel anima sua existente in sordibus peccatorum, amittit

t misericordiæ meritum, sicut indi-
it Apostolus his verbis, *Si distribuero* 1. Cor. 13.
*ribos pauperum omnes facultates meas,*
*& si tradidero corpus meum, ita vt ardeam,*
*caritatem autem non habuero, nihil mihi pro-*
*dest.* Vt homo beatus sit, non satis est, vt
mundus sit exterius, faciendo opera bo
na, sed opus est, vt sit quoque mundus
interius, cauendo à peccatis, & gratiam
Dei conseruando: Hæc munditia cor-
dis autem, quàm à nobis postulat Do-
minus est duplex. Altera generalis eo-
rum, qui declinando à malo & bonum
faciendo intentionem rectam, & ani-
mam ab omni contagione peccati im-
munem habent, ad quam hortatur De-
us populum per Prophetam, *Lauamini,* Esa. 1.
*mundi estote, auferte malum cogitationum*
*vestrarum.* Altera est particularis homi-
num castorum & continentium, qui,
vt cor suum ab omni affectione inor-
dinata liberum custodiunt, ita conan-
tur corporis æquè ac mentis puritate,
angelicam imitari puritatem: Et licet
vtrisque promissa sit beatitudo, tamen
his secundis pericula riter promittit Do
minus præmium diuinæ visionis: sicut
qui in terra vitam agunt angelicam,
digni facti sunt, vt in cælo recipiant

angelorum præmium, de quibus Euangelium dicit, quod semper videant faciem patris cælestis. Dominus aliis virtutibus, alia promittit præmia: at puritati cordis promittit præmium sui ipsius: nec enim aliud est videre Deum, quam frui illo, & possidere illum. Nec mirum cum enim ipse sit ipsissima puritas, libenter quoque se communicat mentibus puris. Vnde scriptum est. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem.* O beata mundities cordis, ô virtus verè angelica, imò diuina, quia non solùm ex hominibus facit angelos, sed amicos & possessores ipsius Dei. Infelices ergo illi, qui cor habent terrenis & carnalibus cupiditatibus inquinatũ. nam eiusmodi, teste Apostolo, qui viuunt secundum carnem, morientur: & velut immundi, veste nuptiali destituti, in tenebras exteriores eijcientur, vbi in æternum nullum conspicient lumen. Beati mundo corde, beatę mentes puræ, qui quia spiritu mortificant opera carnis, viuent in æternum, & instar angelorum in illa luce inaccessibili, in splendoribus Sanctorum à facie ad faciem suum amabilissimum creatorem contemplabuntur.

Matth. 18.

Prou. 22.

Rom. 8.

Matt. 22.

Psal. 48.

1. Tim. 6.

Beati

*Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

10. CONSIDERA, puritati cordis rectissimè subiungi pacem, nam quando anima expurgata est à sordibus peccati, mox experitur in se pacem, quæ secundum Apostolum, *exuperat omnem sensum*, hoc est, summam mentis tranquillitatem affert, quæ magnum signum est præsentis, & in ea habitantis diuinæ gratiæ. Beati ergo pacifici, qui primum id agunt, vt habeant pacē in seipsis, hoc est, vt pars inferior obsequatur superiori, sensus rationi, caro spiritui, & totus homo Deo. Deinde vt habeant pacem cum alijs, neminem offendendo, iniurias ab alijs factas facilè condonando, omneque studium adhibendo in reconciliandis & pacificandis discordibus, ac denique efficiendo, vt omnes ad sanctam quandam cōcordiam & fraternam caritatem adducantur, qualis erat in primitiua Ecclesia, cum tota credentium multitudo esset cor vnum & anima vna. Et hæc est pax quæ manat à caritate, conseruatur autem à iustitia, sicut dicit Propheta. *Pax multa diligentibus legem tuam*. Hæc est illa pax, quam Dominus commen-

*Phil. 4.*

*Act. 4.*

*Psal. 118.*

dauit Apostolis dicens. *Patrem meum do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* nam, vt scriptum est, homines impij longe absunt ab hac pace. Hanc autem Deus largitur hominibus bonæ voluntatis, qui rationis imperio domantes cupidates carnis, & omnes incompositos animi motus refrenantes, de se tranquillam & pacificam habitationem parãt Christo Domino nostro, in quo tanquam proprio regno optat regnare: nam vt dicit Apostolus, *Regnũ Dei non est aliud, quam iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto*. O anima verè beata hominis pacifici, quam Deus in suum regium thronum elegit, imò in suam filiam adoptauit; ipsa enim veritas dicit. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Filij primo secundum similitudinem, Dominus enim vocatus est Deus pacis, imò ipse non est aliud, quã summa & tranquillissima pax. deinde secundum imitationem, quia dum procurant vt peccatores pacem ineant cũ Deo ipsius Dei officio funguntur, de quo dixit Apostolus. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Denique vocati sunt filij, quia dum pacem & concordiam conflant inter discordes, illud ipsum opus præstant, ad quod præstandum

Ioan. 14.

Luc. 2.

Rom. 14.

2. Cor. vlt.

2. Cor. 5.

dum vnigenitus Dei filius in terram descendit, de quo scriptum est. *Ipse est* Eph. 2.
*pax nostra, qui fecit vtraq; vnum*, hoc est, vnuit hominem cũ Deo. Verùm, quot inueniũtur homines, qui verbis, & specie externa quidẽ se demõstrant pacificos; sed interius nec pacẽ habẽt cũ Deo, neq; cũ proximo, vtpote odio pleni, & qui nolũt perfectè recõciliari ijs, à quib. aliquãdo sũt offensi. Hi enim nõ amatores, sed contemptores sũt pacis, inimici Christi, & dęmonis infernalis filij.

## *Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

11. MERITO post omnes superiores beatitudines Dominus subiecit hanc de toleranda persecutione, quæ est summa omnis perfectionis, & corona omnium reliquarum corõnarum: nam paupertas spiritus, mansuetudo, misericordia, & puritas cordis, cum cæteris sunt quidem magnæ virtutes, & dona Domini Dei: sed pati pro Christo est donũ supra omnẽ donũ, quod DEVS non omnibus, sed tantũ carissimis suis amicis cõcedit. illis, inquam, qui postquã studiosè exercitati fuerint in alijs virtutib⁹, merẽtur ad hũc sublimẽ gradum

dum ascendere, vt fiant socij passionis & configurentur morti Christi Domini sui, de quo priuilegio scribens Apo-
Phil. 1. stolus ad Philippenses dixit: *Quia vobis donatum est pro Christo non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Nùc gloriantur homines huius mundi in multa sua sapientia, opibus, regnis, imperijs, & nominis apud homines celebritate & fama; cum tamen vera hominis Christiani gloria non in alio consistat, quam in perferendis persecutionibus, maledictis, iniurijs, verberibus, morte ipsa, non quidem sua culpa, sed Christi iustitiæ, veritatis, & pietatis Christianæ tuendæ & seruandę caussa. Quare nec homo spiritalis, & verus Dei seruus, debet gloriari aut de consolationum, visionumque & reuelationum abundantia, aut de miraculorum virtute, quæ possunt eum facilè inflare & extollere, sed quod ab hominibus huius sæculi habeatur stultus, & rideatur ab omnibus, glorietur de multis suis infirmitatibus cum Paulo, & tentationibus. quæ possunt illum humiliare. Hanc veritatem egregiè perspectam habuerunt sancti Apostoli, qui,
Act. 5. vt scriptum est, *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine*

*nomine Iesu contumeliam pati.* Eandem quoque cognouit sanctissimus Apostolus Paulus, cum dixit. *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri* IESV CHRISTI. Et alibi. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Sed quid mirum, Sanctos tantopere in hac virtute gloriari: Si enim aulici huius sæculi tanti faciunt suorum Principum insignia, vt ea in suis armis & vestimentis deferant, quanto magis gloriari debet Christianus, si eisdem insignibus ornatus sit, quibus Christus causa salutis nostræ ornari voluit. Quare beati, & valdè beati sunt, non solum qui habent cæteras virtutes, sed qui inter afflictioues & tribulationes huius vitæ per patientiam possunt eas sartas tectas conseruare. Nam reliquæ virtutes faciunt hominem perfectum tantũ, at patientia probat, claramque & manifestam reddit earum perfectionem. *Patientia enim* inquit B. Iacobus, *opus perfectum habet.* Verùm si tanta merces promissa est à Domino cæteris virtutibus, quanta, quæso, parata erit in cælo ijs, qui in terra fuerint consortes suæ passionis? Cuius cæterarum virtutum particulare assignauit præmium, verum huic, non satis ei fuit promittere regnũ

*Gal. 6.*

*2. Cor. 12.*

*Iac. 1.*

cælorum, sed adiunxit, eius mercedem fore copiosam in cælis: atq; si diceret, tam magnam fore, vt comprehendi nō possit, tam copiosam, vt numerari nequeat, tam pretiosam & nobilem, vt nec æstimari, tam diuturnam, vt nunquam terminari possit. Tunc poterunt dicere cum Propheta. *Secundum multitudinem dolorum nostrorum in corde nostro, consolationes tuæ lætificauerunt animas nostras.* Immò, secundum Apostolum, *Nō sunt condignæ passiones huius tēporis ad futurā gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Nūc ergo anima mea, quoniā Christus spōsus tuus, ex his virtutibus tibi texuit quasi catenā aureā multis annulis indissolubiliter inter se colligatam, in cuius fine pendet, instar pretiosissimæ gēmæ, crux pulcherrima, qua exprimitur hæc vltima beatitudo dē patiēdo, à qua omnes aliæ suā accipiūt perfectionem & ornamentum, hoc inquā, torque pretioso, si velis eius fidelis spōsa esse, ornabis collū tuum, atq; ita, si humilis fueris, mitis, dolens de peccatis, sitiēs iustitię, misericors, mundo corde, pacifica, mereberis quoq; fieri digna, vt pati pro Christo, & pro eiusdē nomine cōtemni & rideri possis: ac proinde etiā perfectā beatitudinē, & remunerationē in cœlo copiosam obtinere.

*Psal. 93.*

*Rom. 8.*

COL-

## COLLOQVIVM.

ORABIS CHRISTVM Dominum, vt, sicut ille volens perducere suos discipulos ad maiorem perfectionem ascendens cum illis montem, docuit illos sublimes illas beatitudines, adiuncta cuiq; sui præmij promissione, ita tibi largiatur gratiam, vt, abiecto omni affectu erga res has viles & terrenas, & mente in cœlum erecta, sic merearis audire & amplecti eius cælestem doctrinam, vt harum virtutum exercitatione in hac vita beatitudinem gratiæ & meritum, in altera verò beatitudinē æternæ gloriæ & copiosam illam mercedem consequi possis.

## DOCVMENTA.

1. *CHRISTVS mundo traditurus doctrinam de Euangelicis consilijs, relictis turbis in valle, ascendit cum discipulis in montem: vt significaret, eum, cui incumbit munus alios docendi iustitiam & vitæ perfectionem, debere ascendisse virtutum culmen, & verba sua probare exemplo: sic vt plus operibus doceat quam verbis: qui enim ambulat per valles vitæ terrenæ, & loquitur de rebus cælestibus, non tam alios instruit, quam seipse arguit. Nam vt de montibus rectè loqui non potest, qui habitat in vallibus, sic de-*

*de rebus cæli non rectè loqui potest, qui mente defixus est in terra.*

2. *Si regnum cælorum est paupertatis voluntariæ præmium, quia merito cælestia debentur illis, qui contempserunt terrena; qua ratione cogitant se ad cælum peruenturos, quorum studium & cura omnis posita est in accumulandis & possidentis bonis terrenis?*

3. *Si pauperibus spiritu, hoc est, humilibus promissum est mercedis loco cælum, & mitibus possessio terræ, superbis & iracundis quid aliud supereſt, nisi infernus?*

4. *Si qui in hoc mundo lugent, consolabuntur in altero, quê exitum sperare possunt, qui risu & recreationibus per omnem vitam dediti sunt, nisi æternum luctum & planctum, secundum illud dictum sapientis,*

Prou. 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.

5. *Beati, inquit Dominus, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, vt indicet, non satis esse si velimus iustitiam, sed opus esse vt magno & acri desiderio in illam feramur; nec vnquam putemus nos satis esse iustos: sed crebris, precibus continuoque bonorum operum exercitio omninò in iustitia progressum faciamus secundum scripturæ consilium,* Qui

Apoc. vlt. iustus est, iustificetur adhuc.

6. Do-

6. *Dominus misericordiarum, dum beatos praedicat misericordes, facilè indicat, neminem obtenturum misericordiam, si ipse erga alios non fuerit quoque misericors. Quare si proximis fuerimus crudeles, non remittendo illis iniurias, nec in necessitatibus subueniendo, planum est, nullam quoque nobis misericordiam demonstrandam esse ab alijs.*

7. *Beati mundo corde Vt beati simus non sufficit, vt simus mundi in verbis & operibus, sed opus est, vt cor quoque sit mundum, id est, intentio sit recta, & conscientia pura sine remorsu peccati: nam sicut peccatum esse non potest, si cor immundum non sit, sic opus bonum esse nequit, si cor mundum non fuerit.*

8. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Officium filij Dei fuit, non solum esse pacificum in se, sed etiam in alijs, pacificando videlicet homines cùm Deo: sic nos verè erimus pacifici, & digni nomine filiorum Dei, quando non solum in nobis habebimus pacem, sed efficiemus quoque, vt proximi nostri reconcilientur cum Deo.*

9. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Reiecit Dominus hanc virtutem in vltimum locum, quia est perfectio omnium reliquarum: nam qui ad hanc paratus est, omnes alias iam habet: contra, qui non est ad hanc paratus, nullam reliquarum habet. Frustra igitur persuademus nobis & glo-*

*riamur nos esse humiles, mites, misericordes & pacificos, si quando vel verbulum aliquod nobis sine causa objicitur, vel minima contumelios a afficimur, mox conuolamus ad arma, & nulla ratione eã volumus inultam relinquere.*

# DE ORATIONE DOMINICA.

## MEDITATIO XXIX.

### EVANGELIVM.

*Luc.11. Matt.6.* CVm esset IESVS in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum. Domine doce nos orare, sicut docuit & Ioãnes discipulos suos. Et ait illis. Orantes nolite multum loqui sicut Ethnici faciunt, putant enim, quod in multiloquio exaudiãtur. Nolite ergo assimilari

bri eis. Scit enim pater vester, quid opus sit vobis antequã petatis eum. Sic ergo vos orabitis. Pater noster qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuũ. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tẽtationem. Sed libera nos à malo. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

## FIGVRA.

MOYSES *iussu Dei docuit filios Israel canticum, in quo summa legis continebatur, vt facilius eam memoria retinerent.* Deut. 31.

## PROPHETIAE.

1. AMODO *voca me, Pater meus.* Hier. 3.
2. *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Ibid.

CON-

CONSIDERATIONES.

Punct. 1.

CONSIDERA, quàm excellens sit oratio Dominica, quotq; nominibus superet & excedat alias omnes; ac primò quidem ratione auctoritatis Magistri, qui eam docuit. Secundò ratione breuitatis. Tertiò ob perfectionem & sufficientiam eorum quæ in illa postulantur. Quartò ob mirabilem ordinem. Quintò, ob singularem eius efficaciam. Sextò, ratione necessitatis. Postremò ob copiam & magnitudinem mysteriorum, quę in illa continentur. Quantum ad auctorem attinet, considera, quomodo non sit composita aut dictata ab homine, nec ab Angelo, sed à cælesti Magistro Christo Domino nostro, æterni Patris Verbo, sapientia increata, & infallibili veritate; qui causa nostra factus homo, dum suum Euangelium prædicaret, & hominibus arcana Patris sui cælestis patefaceret, dignatus est nobis hanc quoq; mysterijs plenissimā orationem tradere, vt per illam beatitudinem consequi possemus, si modo nō oris tantum officio, sed etiam vitæ sanctæ conuersatione præstemus, quæ sacris his verbis continentur.

2. VO

t. VOLVIT Dominus eam esse verbis breuem, sed multis & magnis mysterijs redundãtem, vt facilè à quoquis addisceretur, & melius memoria retineretur, atq; etiam vt frequenter sine fastidio à fidelibus recitaretur, & denique vt intelligeremus, vim orationis non consistere in multis verbis, & longo cùm Deo colloquio: sed in magna mentis deuotione, in singulari spiritus feruore, & multo cordis desiderio & affectu.

3. Si consideres huius orationis perfectionem, videbis quanta sapientia sit instituta, quodque eiusmodi doctrina non potuerit nisi ex ore altissimi prosilire: eò quod contineat, quicquid homo potest & debet à Deo petere ad gloriam ipsius, & ad commoditatem nostram. Vnde hæc admirabilis oratio non solum est quasi omnium aliarum breuiarium, nam in ea, quicquid per alias postulari vel desiderari potest, breuiter comprehenditur, sed etiam est totius Euangelij compendium: nam ex ijs quæ in hac oratione postulantur, doceri quoq; potest Christianus, quid credere, sperare, & amare, ac denique quicquid facere & fugere ad consequẽdam æternam salutẽ debeat: imò com-

ple-

mysterium Sanctiss. Sacramenti altaris, nempe panis ille supersubstãtialis, quem Dominus in hac oratione vultrà vobis quotidiè ad conuersandam vitam gratiæ postulari. Quintum mysterium est passionis & mortis Christi redemptoris nostri, cuius virtute & merito, vti in hac oratione petitur, remissa sunt peccata, & perfectè liberati sumus ab omnibus huius & alterius vitæ malis. Postremò continet mysterium futuræ beatitudinis, quam speramus nos consecuturos, quando (sicut in hac oratione petitur) aduenier regnum Dei, hoc est, quando Dominus regnabit in nobis, & nos cum illo in cælo regnabimus in æternum.

## PATER NOSTER.

VERBVM verè suaue, & inestimabili consolatione & deuotione refertum. O Deus meus, quis ausus fuisset te vocare Patrem, nisi vnigenitus filius tuus fecisset nobis potestatem? O quàm singulare priuilegium, quàm magnæ fiduciæ argumentum est, quod homo miser & mortalis audeat suum creatorem & DEVM appellare Patrem. Nusquam legimus DEVM

id

id mandasse filijs Israhel, vt se vocarent Patrem, sed bene mandauit, vt vocarent Dominum exercituum. Nec sanè alium se erga illos ostendebat, quam Dominum seuerum, tanquam seruos eos gubernando legibus duris & in virga ferrea. Sed postquam sanguine IESV CHRISTI facti sumus *Rom. 8.* cius filij, *misit Deus Spiritum filij sui in cor-* *Gal. 4.* *da nostra clamantem Abba pater.* Quo verbo Patris, in corde vtriusque patris accenditur ingens amoris & charitatis flamma. Quæ enim res gratior vel amabilior potest esse filijs, quàm memoria Patris, & quid suauius esse potest, quid emollire magis potest paterna viscera DEI nostri, quam quando à suis dilectis filijs audit se vocari Patrem? Patres carnales summo amore solent prosequi suos filios: quanto ergo amore cælestis Pater, qui nos creauit, qui sanguine vnigeniti filij sui redemit, qui eodem pretioso sanguine & diuinissima carne quasi proprio lacte, instar amantissimæ matris nos quotidie pascit & nutrit, suos filios prosequeretur? Magna profectò inter homines est vis paterni amoris, sed nullo modo exprimi potest vis diuinæ paternitatis, nam DEVS

non

à Deo obtinentur gratiæ illæ, quæ in nomine filij petuntur, vt ipse asserit, *Quicquid*, inquiens, *petieritis patrem in nomine meo dabit vobis*, quomodo non erit efficacior illa oratio, qua non solum in nomine filij aliquid precamur, sed etiam ipsis filij verbis? imò quibus ipse frater noster factus, orat patrem, & simul petit nobiscum.

Ioan. 15.

6. QVOD ad necessitatem attinet, tam homini necessaria oratio est, quâ necessaria sunt omnia petientia ad eius salutem: hæc enim Deus nemini impartiri voluit, nisi per orationem, Et certè quomodo homo miser in hoc exilio degens, inter tot hostium tentationes, intra tanta salutis pericula, inter tot peccādi occasiones se tueri posset sine armis orationis? Quare & Saluator noster, qui nos condidit, & nostras necessitates optimè exploratas habet, toties ad eam nos hortatur dicens. *Oportet semper orare, & nunquam deficere*. Et alibi. *Vigilate omni tempore orantes*. Et vt ad orandum induceret, confirmat nos certo accepturos quicquid petiuerimus dicens. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis*. Itaque si recipere non possumus dona, gratias, aliaque auxilia ad salu-

Luc. 18.
Luc. 21.
Matt. 7.

tem

tem necessaria nisi quæramus, & per orationem petamus, sequitur hanc orationem, quæ continet omnium aliarū petitiones, quamq; ipse DEVS nos docuit, vt à se peteremus omnia nobis necessaria, omnibus alijs esse quoad necessitatem, anteferendam.

7. DENIQVE in hac sacra oratione, continentur omnia præcipua fidei nostræ mysteria & sacramenta. Nam primò in verbo PATER, comprehenditur profundissimū mysterium S. Trinitatis: nam cùm Pater esse nō possit absque filio, confitemur Deum esse Patrem per naturam sui vnigeniti filij, qui ex eius substantia ab æterno genitus est, & quoniam idem Pater Filium vnicum infinitè amauit, produxit cum eo Spiritum sanctum. Secunda, eodem verbo profitemur creationem, ratione cuius, non solum quia nobis communicauit esse & vitam, sed etiam imaginem & similitudinem suam, dignatus est fieri & appellari Pater noster. Tertiò vocando eundem Patrem nostrum, confitemur vnigeniti filij sui incarnationem, per quam assumptâ carne nostra singulari beneficio omnes facti sumus filij adoptiui æterni sui Patris. Quartò, in hac oratione continetur my-

plectitur in se totam perfectionem & plenitudinem legis, quæ, vt docet Saluator, consistit in duobus caritatis præceptis, de diligendo Deo scilicet, & proximo. Quorum primum adimplemus in prima parte orationis, cum Deum vocamus Patrem nostrum, & sanctificationem nominis & gloriam regni sui, & vt ab omnibus eius voluntas perficiatur, exoptamus. Deinde caritas erga proximum demonstratur in secunda parte, in qua nō modo protestamur nōs cōdonare debitoribus nostris, sed etiam ęquè pro nobis, ac pro omnibus proximis nostris petimus bona spiritualia & corporalia, ac liberationē ab omnibus malis. O quantum discrimen est inter hanc orationē, & canticū Moysis filijs Israel mandato Dei præscriptū. vtrumq; quidem est legis compendium, sed ratione dissimili. vt enim lex Moysis erat timoris & imperfecta, sic canticum illud non aliud cōtinebat, quā minas, & promissiones terrenas: sed hæc nostra oratio, conueniēter legi nouæ à Christo de cælo allatæ, plena est amoris & promissionum cælestium.

*Deu.31.*

*Rom.8.*

4. EXCELLENTIAM huius orationis quoque declarat, mirabilis eius ordo & dispositio, à sapientissimo illo

Filio Magistro inuenta. Primò enim loco præmittit proœmium, tũ partes suo ordine reliquas. In proœmio vel exordio, verbis suauissimis beneuolentiam Dei consiliandam docet, vt facilius ab eo postulata impetremus: vocamus eum eum Patrem nostrum, & sancto eius nomini benedicimus. Deindè in alia parte indicat, à Deo primum petendas esse res spectantes ad eius gloriam, secundum doctrinam alibi ab eo traditam. *Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius.* Matt. 6. Secundò verò, quæ pertinent ad nostrum commodum, & inter eas prius æternas, posterius temporales, prius donationem bonorum, posterius depulsionem malorum, eaq; tam animæ quam corporis, tam huius, quam alterius vitæ.

CONSIDERA magnam huius orationis efficaciam, quæ enim res plus permouere possunt cor cælestis Patris, quam verba vnigeniti Filij sui? Et quis melius potuit cognoscere naturam Patris, aut quæ oratio maiorem vim haberet ad prouocandam eius erga nos misericordiã, quã illius, qui ab ipso Patre constitutus fuit mediator noster & aduocatus? Et si ita efficaciter 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2.

à Deo

non tantum vehementer amat tanquã Pater, sed etiam tenerè, tanquam mater: imò plus quàm mater; sicut ipse DEVS significauit his verbis. *Nunquid*

Esa. 49. *potest mulier obliuisci infantem suũ, vt non misereatur filio vteri sui: & si illa obliuisa fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Præterea his verbis in nobis excitatur magna confidentia impetrandi à Deo, quicquid petiuerimus. Quid enim nũc non dabit hic bonus Pater, qui dedit, vt essemus ipsius filij? imò, si vt essemus filij, magnum illud donum nobis dedit, nempè, æternum & vnicum suum filium, certè obligauit se etiam ad dandum simul omnia, quæ ab eo petemus,

1. Cor. 4. & nobis fuerint necessaria. Quid verò non nobis dedit? & quid habes ô homo, vel vnquum habuisti, donorum, gratiarũ beneficiorumque, quod manu huius dulcissimi & amantissimi Patris non accepisti? Est ergo Deus verè Pater, & non solùm Pater nomine, sed etiam re & factis. Vnde non modo voluit à nobis appellari Pater, sed perfectè omnia officia optimi & amabilissimi patris erga nos compleuit. Denique non solum vocula Patris docuit nos, quid sperare ab eo debeamus, & expectare, sed quid vicissim nos ipsi præstare re-

teneamur. Si enim ille noster Pater
t, non verbis solùm, sed etiam factis,
quitur, quod nos non nomine tan-
um, sed etiam opere demonstrare de-
amus nos esse eius filios. Debeamus
go amare & venerari illum tanquam
atrem, habere zelum, eoque eius ho-
orem tueri tanquam Patris, debemus
uire illi, vt Patri, pura intentione, nō
timore, sed amore, vt boni filij Patri
let, debemus obedire vt Patri, prom-
e exequendo, quicquid mandauerit;
bemus in eum, tanquam in verum
misericordem Patrem omnem spem
ostram conijcere, & ad eum in omni-
us necessitatibus confugere: denique
tos nos paternis eius manibus com-
ittere, æquo animo & libenti susci-
iendo omnes afflictiones, tentationes
cruces, quas nobis ad sui nominis
gloriam, nostramq; salutem immittit
el permittit.

NOSTER.

CONSIDERA anima mea, *qua-* 1. Ioan. 3.
*lem caritatem dedit nobis Pater, vt*
*filij Dei nominemur, & simus.* Non sa-
tis est Deo, vt eum appellemus Patrem
sed vult vt etiam appellemus Patrē no-
strum. Quæ verò maior gloria, maior

honor & misericordia excellentiorē-
se potest, quam hæc? Desiderasti dulcis-
sime Domine, ex nimio amore, quo
ex sola bonitate tua erga homines fla-
grasti, nos exaltare, tibique vnire, quan-
tum fieri potuit; sed quia fieri non po-
tuit, vt per naturam plures vno filios
haberes, nos secundo loco collocasti,
& fecisti filios per gratiam, angelorum
*Rom. 8.* fratres, & Vnigeniti filij tui cohære-
des; sic vt in posterum, non solùm in
persona nostra, angelorumque, sed et-
iam in persona æterni tui filij, & ma-
ioris fratris nostri possimus fidenter
*Ibid.* te compellare Patrem Nostrum, imò
vt preces nostræ facilius exaudirentur,
voluisti & tuum Sanctum spiritum in-
spirantem cordibus nostris dulcissi-
mum nomen Patris, simul precari no-
biscum, & per nos gemitibus inenar-
rabilibus. O admiranda Dei bonitas, ô
diuinæ caritatis largitas, quomodo
compensabimus Domine tanta bene-
ficia? quibus verbis extollemus hanc
tuam misericordiam? Quid tu Domi-
ne poteras amplius facere? vel quid
amplius nos poteramus desiderare?
quàm te habere in Patrem, filium
tuum in fratrem, & Spiritum sanctum
in aduocatum? Confide nunc pecca-
tor,

tor, qui de peccatis dolens, desideras apud iudicem locum inuenire misericordiæ; ne despera, etiamsi iniquitates tuæ excederẽt numerum arenarũ maris; nam omne iudicium de te, tantũ inter Patrem, fratrem, & aduocatum tuũ clementissimum instituetur. QVOD si ergò DEVS est pater noster, hoc est, omnium fidelium, consequitur quoque, vt omnes inter nos simus fratres; & sicut ratione primæ vocis PATER, tenemur amare & reuereri DEVM, sicut boni filij Patrem; sic ratione secundæ, NOSTER, tenemur amare omnes alios tanquam fratres, ac proinde & honorare illos, ac optare & procurare omnia bona, quæ nobis optaremus esse procurata. Non voluisti, Domine dulcissime amorẽ nostrum esse solitarũ & singularẽ, & idcircò non docuisti nos dicere Pater mi, sed Pater noster. Voluisti nos caritate amplecti omnes & precari pro omnibus, bonis & malis, amicis & inimicis, vt essemus veri filij & imitatores patris cælestis, qui facit oriri Solem super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: mandauit quoq; Dominus, ne vllum vocaremus Patrem aut Magistrum in terra, *Matt. 5.*

ne cor nostrũ defigeremus in vlla creatura, quia ipse solus volebat esse Pater noster, Magister, & omnia. Et certè, quémadmodum in alium finem creati non sumus, nec sumus verè nostri, aut alterius, sed tantum Dei, sic nulla res alia verè dici potest nostra, nisi solus Deus. Nam vitam, diuitias, honores, parentes, omniaque huius mundi bona, etsi nolimus, perdere tamen possumus, & debemus: at Deum nostrum perdere nõ possumus, nisi velimus, sed nec ille deseret nos, nisi eum abigamus. O magna fœlicitas, ô diuitiæ inæstimabiles hominis Christiani; ô filij hominum, vt quid tanta anxietate accumulatis terrenas opes, quãdo tantum thesaurum habetis in cælo, Deum scilicet ipsum, qui se voluit facere vestrum, dare se vobis Patrem, & simul vos scribere omnium bonorum, & delitiarum paradisi hæredes?

## QVI ES IN COELIS.

TRIA verba sunt in huius orationis exordio: Primò, verbo, Pater, confortatur cor nostrum in amore Dei considerando quomodo ille sit Pater; Secundò, verbo, Noster, confortatur

in

in caritate erga proximum, considerando nos omnes esse fratres, & habere vnum communem Patrem. Tertiò verò, repletur cor cælestibus desiderijs, considerando, ibi in cælo esse Patrem nostrum, quem precamur, ibi quoque esse vera bona, & hęreditatem nostram quam expectamus. Vbi considera, Deum non tantum esse in cælis, de eo enim scriptum est, *quod impleat cælum & terram*, & quod *cæli cælorum eum capere non possunt*. Dicitur autem esse in cælis, primo, quia in eorum magnitudine & firmitate, sicut & in admirabili ordine, motu & influxu cælestium corporum relucet & apparet, imprimis diuina potentia, sapientia, & bonitas infinita. Secundò est in cælis; quia in illa mundi regione singulariter spiritibus beatorum communicat seipsum, suamq; fœlicitatem, & omnes gloriæ diuinæ thesauros. Habet quoq; Pater alios cælos magis spiritales, in quibus magna voluptate habitat, vt sunt purissimi illi Spiritus angelorum, animæ beatorum, atque etiam mentes hominum iustorum in hac vita, in quibus, tanquā in sacro templo habitat per gratiam, vti ipse dicit his verbis. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eũ faciemus.*

*Hiere. 23.*
*3. Reg. 8.*
*Ioan. 14.*

*mus*. Anima enim iusti, vt scriptum est
*Sap.7.* sedes est sapientiæ, & templum viuum
*1.Cor.36.* Dei. Iusti quoque assimilantur cœlo, quia tantum distant à peccatoribus, quantum cælum à terra: & sicut cœli sunt corpora sublimia & luminosa, sic iusti sunt longè remoti à rebus terrenis, & vicini cælestibus, suisque bonis operibus, & virtutum exemplis, resplêdent, vt loquitur Apostolus, tanquam
*Ctl.2.* cælestia luminaria in mundo. IAM quæ dignitas maior, quæ gloria præstantior potest esse nobis, quàm pro Patre habere Dominum cæli & regem paradisi? O quanta consolatione perfunditur anima, quantum robur sentit, dum considerat se habere Patrem in cælo. O quoties inter medios tentationum & tribulationum huius periculosi sæculi conflictus, sublatis, vnà cum sancto Propheta, oculis ad eum qui habitat in cælis. Ecce, ait, sicut oculus ancillæ in manibus Dominæ suæ,
*Psal.122.* ita oculi mei ad te cælestem Patrem, donec mihi indigno filio tuo facias misericordiã. *Quando conscindes saccum,*
*Psal.29.* *meum, & circundabis me lætitia? Quan-*
*Psal.41.* *do veniam & apparebo ante facie Dei?* Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, imò aquilæ, vt deserta humilitate

ter-

terræ huius aduolem ad te pater in cæ-
li sublimia?

*Sanctificetur nomen tuum.*

QVONIAM Dominus tanto beneficio nos affecit, vt adoptarit in suos filios, valdè conueniens est, vt veluti filij in tam benevolum patrem, gra
ti, ante omnia optemus & procuremus, quicquid in honorem & gloriam eius cedit, & sanctæ eius voluntati est consentaneum. Vbi considera, quomodo nomen Dei in se semper fuerit sanctum, laudabile & gloriolum in sæcula: quare & in cælis ab angelis, beatorumque reliquorum spiritibus continenter sanctificatur, & glorificatur: in terra quoque omnes creaturæ operatione sua non aliud agunt quàm Deum laudare, & eius prouidentiam prædicare, potentiam & bonitatem: nec in terra solùm, verum etiam in inferni partibus sanctum & tremendum est nomen Domini: aliud enim non prædicant dæmones, & animæ damnatorum suis quæ perferunt supplicijs, quàm laudes diuinę iustitiæ: Quamuis ex omnibus iam dictis creaturis homo imprimis obligatus est ad cælebrandū

& sanctificandum tuum sanctum nomen : cùm enim in se solo à te receperit omnium rerum creatarum perfectiones, qua de causa & dicitur μικρὸς κόσμος paruus mundus, & quælibet earum obligata sit ad te sanctificandum pro sua portione, quam à tua bonitate accepit, quantum obligatus erit homo qui non vnam aliquam partem perfectionis, sed omnes accepit, & cuius causa omnia condidisti, quæ in toto hoc vniuerso reperiuntur?

PRIMA igitur petitio nostra est, vt sancto nomine tuo, & vnigeniti filij tui IESV CHRISTI, sicut in se sanctum est, ita eodem nos creaturas tuas velis sanctificare, vt simus sancti & iusti in conspectu tuo, vt nos hortatus es per Prophetam. *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum.* Secundò, vt nomen tuum sanctè in nobis conseruetur, & simus veri & perfecti Christiani hoc sancto nomine digni. Tertiò, vt nomen tuum sanctè à nobis inuocetur, vt mereamur in nostris necessitatibus à te exaudiri, & ipso sancto nomine saluari. Quartò, vt nomen tuum à nobis perpetuis laudibus sanctificetur, quærendo in omnibus & supra omnia tuam gloriam, tibique soli pro om-

*Leu. 19.*

omnibus bonis in anima & corpore: receptis debitas gratias agendo. Quintò, vt tuum sanctum nomen à nobis semper, omni deuotione & reuerentia nominetur. Et deniq; sicut in cælis à beatis illis spiritibus perfectè sanctificatur, sic etiam in terra ab omnibus hominibus ore, & opere semper collaudetur, colatur & glorificetur. Sed heu anima mea, cùm tantopere obstricta sis ad honorandum, colendum & amandum Deum, tu tamen hucusque in eum extitisti ingrata operam quidem dedisti vt tuum nomen cognosceretur & celebraretur apud homines in terra; sed honoris tui Creatoris nullam rationem habuisti, à quo tantis beneficijs ornata fuisti. Ille ornauit te, & honorauit suo sancto nomine, effecitque, vt vocareris Christiana, & fide, & bonis operibus, secundum eius diuinam legem viuens collaudares & sanctificares eius nomẽ: Verum tu velut ingrata & tanto nomine indigna, potius illud maledixisti, & dehonestasti, instituendo vitam cum lege & Euangelio Christi repugnantem.

*Adueniat regnum tuum.*

MAGNA profectò res regnũ Dei, magnum bonum, magnus thesaurus, magna fœlicitas: vnde Christus Saluator noster, qui tam tenerè nos amat, & bonum nostrum tantoperè desiderat, toties per seruos suos, & denique etiam per se ipse offerre voluit, & ad hoc beatum regnum inuitare. Vnde mox atq; fuit natus, à Magis voluit vocari Rex: voluit hinc præcursorem suũ prædicationem inchoare, sicut & ipse inde inchoauit, dicens. *Pœnitentiã agite, appropinquauit enim regnum cælorũ.* Idem voluit prædicari à discipulis: imò professus est, se ad id solum missum, vt annunciaret omibus regnum Dei. Quare bone Iesu, quandoquidem tanto boni nostri desiderio ardes, & ob immensum amorem quo nos prosequeris, non scis, nec vis regnare sine nobis, adueniat tuum cæleste regnum, adueniat beatus omnis spei & expectationis nostræ exitus, & omnium desiderioru nostrorum communis portus, vbi te Regem coram in suo decore contemplari possimus, & cõspectu tuo in æternum perfrui & gaudere.

*Matt. 2.*

*Matt. 3. 4. & 10.*

*Luc. 10.*

*Luc. 4.*

CON-

CONSIDERA, regnum Dei in Sacra Scriptura varijs modis accipi Primò generatim, pro dominio, quod Deus habet in res omnes, & de hoc pro priè non agit hæc petitio: Deus enim semper fuit Rex, & semper regnauit, & in æternum toto orbe regnabit secundum illud Prophetæ *Dominere-gnum tuum regnũ omnium seculorum.* *Isa.33.* *Psal.144.* Secundò, speciatim accipitur, nunc pro Ecclesia Dei, nunc pro gratia eius vel gloria; & hoc est, quod desideramus & petimus à Domino in hac petitione. Primo, vt adueniat regnum Ecclesiæ suæ, hoc est, vt fides eius toto orbe propagetur: & discussis ignorantiæ infidelitatis tenebris, omnes gentes verum lumen notitiæ sui & Dei recipiant, eiusque Ecclesiæ augescat, & celebretur toto mundo. Secundò petimus, vt per suæ gratiæ, donorumque cælestium infusionem Dominus quoque incipiat dominari animæ nostræ. Sic vt in nobis non amplius regnet, neque dæmon, neque mundus, nec cupiditas carnis, nec denique peccatum vllum: Deus autem solus sit noster rex, & Dominus, noscq; eius regnum & possessio. Tertio petimus, vt adueniat regnum suæ gloriæ,

ab initio mundi fidelibus promissum, qui in diuinorum eius mandatorum obedientia vsque ad finem perseuerarint. Atque hoc est felix illud regnum, quod omnes desideramus: & hoc magis particularim à Domino postulamus; vt in fine vitæ nostræ ita parati inueniamur, vt promereamur fieri regni cælestis hæredes, & reipsa illud obtinere. At, heu, DEVS meus, quot reges, imò quod tyranni animæ meæ dominium vsurparunt? dæmon cum suis impostoris, mundus cum suis vanitatibus, caro cum fallacibus, illecebris & delitijs, & denique propria voluntas cum suis desiderijs, qui omnes continenter conantur me iurisdictioni tuæ & regno subducere, inuitando me, vt eorum voto faciam satis, & secundum eorum leges viuam: Succurre igitur tu mihi Dominus meus, & Rex meus de cælo cum gratia tua, dissipentur omnes inimici mei, & fugiant à facia tua omnes qui oderunt te: tu solus regna in me, tu solus guberna me, solus animam meam inhabita, vt deinceps neque cogitem, neque desiderem, nec quęram aliud quam tuum regnũ, ô Hierusalẽ mater nostra, quando aderit dies, vt videam pretiosos muros

*Matt. 25.*

*Psal. 67.*

tuos,

tuos, quando intrabo per nobiles illas portas ex pretiosis margaritis elaboratis, quando conspiciam splendida palatia, quando versabor in cælestium ciuium comitatu, ambulaboque per vias auro stratas, & hortos amœnissimos, semper virescentes, floribus æternis refertos, aquisque viuis semper irriguos. O quam amabilia, & desiderabilia sunt domine Deus tabernacula tua virtutum, concupiscit & deficit anima mea in contemplatione istorum cælestium atq; iorum. *Apoc. 2.* *Psal. 83.*

## *Fiat voluntas tua.*

NIHIL iustius à nobis potest desiderari, nihil etiã melius fieri, quã efficere, vt voluntas Dei in nobis, tam in anima quam in corpore perficiatur, Similiter nec meliorem, nec conueniẽtiorem orationem pro proximis instituere possumus, quam eam, in qua petimus, vt Dei voluntatem faciant. Verùm considera, nos in hac petitione nõ præcisè postulare, vt Deus faciat suam voluntatem: quis enim impedire Deũ poterit, vt non præstet quicquid voluerit? *Voluntati tuæ*, inquit Apostol⁹, *quis resistit?* Et in Psalmis scriptũ est. *Omnia quæcũq; voluit Domin⁹, fecit in cælo, &* *Rom. 9.* *Psal. 34.*

*in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Nec iniuria. Si enim Rex est & Dominus, conuenit, vt possit, quicquid velit. Itaque non petimus tantum voluntatem Dei fieri, sed fieri in nobis, & non solũ in nobis, sed eo modo, vt nos illi consentiamus, ac velimus idem quod DEVS vult: prorsus, vt sicut vita nostra non est aliud quàm participatio vitę Dei; sic nostra voluntas non sit alia quã ipsius Dei; Ex hac autẽ vnione voluntatis nostræ cum Deo, oritur iustitia nostra, & omne bonum nostrum. Nam sicut initium omnium infirmitatum nostrarum fuit voluntas propria, quæ fuit causa peccati, mortis & inferni, sic sanitatis nostræ principium aliud esse non potest, nisi voluntatis nostræ abnegatio & destructio. Moriatur ergo in me, bone IESV, voluntas carnis, atque etiam mei spiritus, vt non sciam aliud velle, quàm quod tu volueris, vel mihi inspiraris, & mandaris, vt faciam. Etenim quid beatius esse potest, quàm vt voluntas tua sit mea, & mea fiat tua, id est, vna voluntas sancta, recta, & diuina, & hac ratione simus, vt loquitur Apostolus, *consortes diuinæ naturæ*, & participes æternæ gloriæ? VERVM si volumus spe-

2. Pet. 2.

speciatim scire, quæ sit ista voluntas Dei, quam cupimus in nobis perfici, & à nobis: alia certè non est, præter eam, vt dicit quidam sanctus Doctor, quam Christus perfecit & docuit: vt demonstrare in nostra conuersatione humilitatem, in fide constantiam, in verbis verecundiam, iustitiam in actionibus, in operibus misericordiam, in moribus honestatem, non inferre iniuriam alijs, ab alijs illatas moderatè ferre, pacem cum fratribus tueri, toto corde Deum diligere tanquam Patrem, & timere tanquam iudicem, nihil Christo anteponere, sicut ille nihil nostræ saluti antepositit, inseperabiliter coniunctum esse charitati Dei, & magna fortitudine animi & fiducia cruci eius assistere. Hoc est, velle esse cohæredem Christi, hoc est, diuinis mandatis obsequi, hoc est, voluntatē æterni Patris adimplere.

## *Sicut in cælo, & in terra.*

VERE audax hæc petitio est, quæ res terrenas videtur æquare cælestibus, homines angelis: sed nihil est, quod amor non audeat, vel non petat ad gloriam Dei. Petit ergo, vt quemadmodum in cælo apud Angelos, beatosque

que ſpiritus eſt perfecta obedientia erga diuinam voluntatem, in quam ſolã omnes reſpiciũt, à qua pendẽt omnes, cui parati aſſiſtunt ad omnem creatoris nutũ, ad omnia promptiſſimè exequenda, ita etiam ſit inter homines: vt volũtatem, quam Deus nobis liberam dedit, perfectè cum diuina conformemus, mandata eius præſtando: tunc enim verè libera erit, quando vnita fuerit cum volũtate Dei, tunc ſecurius poterit dici noſtra, quando non erit noſtra, ſed Dei: quam diu enim noſtra eſt, inclinat in malum, eamq; perdemus: ſi verò fuerit Dei, non poterit flecti niſi in bonũ, & ſecurius eam poſſidebimus. Petimus quoq;, vt ſicut homines iuſti, qui viram angelicam agunt in terra, cognoſcunt, reuerentur & obſeruant diuinam voluntatem; ita eandem quoq; cognoſcãt, reuereantur & perfectè adimpleant homines peccatores & terreni. Denique, velut conſtamus corpore & ſpiritu, corpus autem habemus à terra & ſpiritũ è cælo, ſic vt poſſimus vocari cælum & terra, petimus in vtroque corpore videlicet & ſpiritu diuinã voluntatem perfici: Inter carnem enim & ſpiritum continuum bellum eſt, & perpetua diſcordia, ſic, vt dũ ſpiritus quærit &

rit & desiderat cælestia, caro verò terrena, impediamur, nec facere possimus, quę volumus, & facienda esse agnoscimus. Quare petimus à Domino vt diuinæ suæ gratiæ auxilio hanc concordiam conflet, vt sicut spiritu mētis nostræ desideramus obedire & Deo seruire, sic caro quoq; nostra non repugnet, sed obsequatur & subiecta sit spiritui, & vtroqui ea omnia fugiamus, quę Dominus noster odit, & vicissim quæcunque ille amat & vult, ea nos quoque amemus & velimus, ac quicquid nobis mandat, perfectè exequamur.

*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

ECCE velut bonus filius honoris paterni tuendi studiosus, postquā in prima orationis parte egit de rebus ad gloriam Patris, prosperitatem regni, obedientiamque & perfectionem suæ voluntatis, spectantibus; nunc in secunda parte nomine panis, petit sibi dari ea omnia, quæ ad vitam suam sustentandam sunt necessaria, modo sint superioribus petitionibus consentanea, hoc est, vt per ea sanctificetur Patris nomen, gloria regni dilatetur, & sua sancta voluntas perficiatur. Vbi consi-

dera,

dera, eum non velle, vt petamus cibos vel alimenta alia superuacanea, sed solùm quod naturæ nostræ simpliciter

*Eccl.39.* est necessarium, secundum illud Ecclesiastici *Initiũ vitæ hominis aqua & panis*. Nam panis est maximè necessarius & conueniens hominis cibus, gula verò, ambitio & sensuũ voluptas alia condimenta & delitias in mundum inuexerunt, quæ licet à Domino creata sint ad vtilitatem & cõsolationem nostrã, homines tamen carnales plerunque illis abuti solent ad animos relaxandos,

*Gen.3.* ad inflammandas libidines, & cupiditates indomitas sectandas. Vnde initio conditi orbis dæmon persuasit Euæ, vt præter cibum necessarium concupisceret, quod pulchrum erat oculis, & gustu delectabile. Sic hoc tempore homines non solùm quærunt cibos ad naturam sustentandam, sed in ijs vanitatem, pompam, varietatem ad pascendum oculos, & recreandum palatum. Itaque quod à Patre postulamus tantum est panis, nempe cibus necessarius, non superfluus: & si aliud petimus, poterit dicere; Nescitis quid petatis. Rectè autẽ addit. NOSTRVM, qua

*Matth.20.* voce comprehendit & proximos, ne quis ita sibi vsurpet bona temporalia, atque

atque si non tenetur, saltem de superfluis, subuenire aliorum inopiæ: cum DEVS quicquid nobis bonorum temporalium suppeditat, velit id quoque per manus nostras communicari alijs, qui nihil habent: alioqui non poterimus vocare panem nostrum, quem Deus nobis suppeditat. Dicitur quoq; Noster, ne cum furto, cum pauperum iniuria, cum otio, sed industria nostra & labore iusto acquiramus. Dicitur deinde QVOTIDIANVS, nempe non in vnum, vel plures annos, sed in præsentem tantum diem procuratus; vt hoc verbo nos commonefaciat, de abijcienda nimia sollicitudine rerum temporalium, & seruanda honesta paupertate, sicut Dominus quoque hortabatur suos Apostolos, cum dixit. *Nolite esse solliciti in crastinum.* Et paulo ante. *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Vult bonus Pater noster, vt filij sui quotidiè esuriant, vt quotidiè ad se recurrant, & cibum è manibus suis recipiant, vnde & bene subiungit. DA NOBIS: tanta enim est inopia nostra, vt nihil habeamus, nec quicquam habere possi-

*Luc. 12.*
*Matt. 6.*

Psal.103. possimus, nisi datum sit ab illo, de quo scriptum est. *Omnia à te expectant, vt des illis escã in tẽpore. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.* Infœlix homo, qui seruis mũdo: seruis enim Domino à quo nihil potes sperare, quia ille nihil potest tibi dare. Mentitur & fallit dæmon, quando tibi offert res non suas, id est, huius vitæ bona, dicens, vt dixit ad Christum, se posse ea dare, quibus voluerit, cũ tamẽ scriptum sit. *Domini esse terram & plenitudinem eius.* Denique dicimus HODIE, nam sicut vita nostra ita incerta est, vt non possimus nobis eam promittere in sequentem diem, ita non debemus esse solliciti in accumulandis bonis superfluis per longum tempus, sed tantum debemus petere à Patre nostro illa, quæ in dies sunt necessaria. Vbi perpende admirandam Domini prouidentiam, docentis nos, vt tantũ petamus panem, & quantum in diem necessarium est, vt sic nostram cupiditatem & auaritiam coërceret & refrenaret.

Luc.1.

VERVM quia homo animo & corpore constat, & ideo non solum eget cibo corporali ad sustentandum corpus, sed etiam spirituali ad seruandam

dam vitam animæ, in hac petitione etiam expetimus cibum spiritualē, nempè verbum Dei, ex quo velut semine generata est Ecclesia, eodemq; tanquã pane nutritur & fouetur. De quo pane locutus est Propheta, quando dixit, nõ in solo pane hominem viuere, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei; sicut benè dixit ipse quoque Saluator. *Verba mea spiritus & vita sunt.* Hũc ergo diuini verbi panem petimus nobis dari, vt videlicet, è mentibus hominum omnes tollantur errores, vt malæ doctrinæ zizania eradicentur, vt dẽtur Doctores qui quotidiè nos pascant vera & Catholica doctrina. Atque hic est panis, quo Deus pascit animas suorum electorum, sicut scriptum est *Cibauit eũ Dominꝰ pane vitæ et intellectus & aqua sapiẽtiæ salutaris potauit eũ.* Hoc priscis sęculis vehemẽter à Sanctis illis Patribus petitum est, qui instar puerorum agentium sub lege pædagogi, expetebant hunc doctrinæ Euangelicæ panem, & non erat qui illis frangeret. Verum Saluator noster nouissimis his temporibus adueniens eum attulit nobis, sic vt magna fiducia possimus eum postulare à Patre, & dicere, Panẽ quotidianum da nobis hodie. PRÆTER hunc

*Deut. 8.* *Matth. 4.* *Ioan. 6.* *Eccl. 15.* *Gal. 3.* *Tren. 4.*

hunc est & alius panis spiritualis animæ nostræ, panis nobilissimus & supersubstantialis, vt eum appellat Euāgelista Lucas, quia superat omnem creaturam, & substantiam, qui dat animę veram vitam, non terrenam & temporalem, sed diuinam & immortalem, & mirabiliter eam recreat & corroborat.

*Luc.11.*

Atque hoc est venerabile sacramentum Eucharistiæ, verus scilicet & viuus panis de cælo delapsus, vt det vitam mundo, & verus panis quotidianus: sicut enim ille quotidiè pro nobis offertur, sic petimus à Domino, vt digni simus quotidiè esse participes sacræ mensæ, vt quemadmodum in dies peccando in vita spirituali deficimus, sic in dies quoque reficiamur hoc diuinissimo cibo, pane verè filiorū, quo amantissimus Pater noster, quasi lacte de sua substantia deprompta nos pascit & nutrit. Si tanta fuit bonitas sancti Iob, vt serui & familiares eius, ob summum amorem quo eum prosequebantur, dicebāt. *Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* quasi cuperent eum sibi prorsus inhærere & incorporari; quanto maior amor & bonitas est nostri Dei, qui vt incorporaretur nobis, & nos in se transformaret realiter dedit d iui-

*Ioan.6.*

*Iob.31.*

diuinissimā carnem suam nobis in cibum, dicēs *Accipite & comedite, hoc est corpus meū.* Matt. 26. O anima mea, quando quidem habes Patrem in cælo, & digna facta es, non solùm viuere Deo, seruire illi, & amare illum, sed etiam alere te ex ipso Deo, ne sit amplius conuersatio tua in terra, ne amplius cogitationes tuas defige in his rebus vilibus & caducis, sed in cælo; sint in posterum desideria tua cælestia, verba sancta, & opera diuina.

*Et dimitte nobis debita nostra.*

CONSIDERA ex vna parte, quo modo dominus optimi Patris instar, inuitet nos filios ad postulandum hunc panē cælestē, & super substantialem; famesque & inopia nostra cogat nos ad illum optandum & postulandum: ex alia verò parte ob multitudinem peccatorum nostrorum nos terreat, & quasi indignos à sacra mensa remoueat; verùm ô suauis Domine, cum mihi potestatem feceris, vt te appellem Patrem, mihi quoq; audaciā indidisti, vt corde filiali venirem ad te, & humiliter à te poscerē delictorum meorū veniā, dicens. *Dimitte nobis debita nostra,* quibus verbis docere nos voluit Saluator,

tor, esse admodum conueniens, vt quoniam ipse pascit nos & sustentat, nos quoq; conuenienter suæ voluntati, nō tātum de temporali, sed etiam de æterna vita, qua excidimus per peccata, solliciti simus. Hæc igitur petitio, inducit hominem primò in notitiā sui status, nempe quod secundum naturæ nostrę corruptæ conditionem simus peccatores: Nam, vt dicit Apostolus. *Si dixerimus, quoniā peccatū nō habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nō est.* Secūdo efficit, vt agnita magnitudine debiti, quo obstrictus est Deo, cuius infinitam bonitatem toties læsit, ex animo indoleat & pœnitentiam agat. Deniq; dum homo perpendit suam magnam inopiam, quomodo nullo modo ipse per se satisfacere possit, & debitum tantum dissoluere, dum hoc modo, inter peccati dolorem & pœnæ timorē constringitur & coarctatur, interueniente interim diuinæ misericordiæ manu, & merito Christi Saluatori; nostri infinito, magna fiducia hac spe nixus contendit ad cælestem Patrem dicens. *Dimitte nobis debita nostra*; Verba profundæ humilitatis, quibus homo se agnoscit & confitetur peccatorem, ac diuina gratia indigere: quam quo facilius impe-

1. *Ioan.* 1.

impetret, non dicit, Dimitte mihi, sed, dimitte nobis, quod est verbū caritatis, quo homo desiderat & postulat pro proximis æquè ac pro se remissionem peccatorū. Vnde quo caritas orationis nostræ lōgiùs se porrigit, tanto magis impetratoria ac etiam meritoria apud Dominū redditur. VERVM heu Domine quot & quāta sunt debita, quibus tuæ Maiestati sum obstrictus; & quidē primò, quia tu es meus Creator, & ego tua creatura, quantus quantus sum, & quicquid à te habeo, tibi prorsus debeo, quoniā omnia à te sum cōsecutus: & idcirco obligatus sum tibi seruire, & te amare toto corde, tota anima, totis q; viribꝰ meis. Adhæc quia tu Deus meus vitam tuā dedisti pro me, meaq; salute, vicissim tibi debeo vitā meā, & meipsū totū. Quāquam & debeo tibi vitā meā, quia non nisi beneficio tuo eam possideo, & possessam tanto amore, tot modis & rationibus gubernas & pascis. Cęterum quia hoc gratitudinis & seruitutis erga Maiestatem tuā vinculo solui nec possum, nec volo, nō peto, vt mihi remittantur hæc debita, sed potiùs, vt mihi accrescat gratia, qua possim illis perfectiùs satisfacere. Etenim cū omni ratione & lege pugnat, non amare il-

lum, à quo tam impensè sis amatus, nō seruire illi, à quo tot beneficijs sis cumulatus. Sed heu quia in compensandis istis obligationibus quotidiè infinitos errores & lapsus committimus, reddendo ingratitudinem pro gratitudine, odium pro amore, offensam pro seruitio, quod tibi domine Deus debemus: pro his, inquam, debitis humiliter imploramus tuam Maiestatem, vt pro infinita sua misericordia ea dimittere velit, & simul pœnam omnē quā diuinæ iustitiæ meritò debemus condonare, idque per meritum Iesu Christi filij tui, quod longè omnia nostra debita excedit.

*Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

VIDE ad quem gradum fiduciæ hominem promoueat oratio, vt videlicet, audeat à Deo postulare, vt sibi similis reddatur. Multis in locis scriptum est, hominem debere imitari DEVM, & ita disertè mandat Apostolus his verbis. *Estote imitatores Dei, sicut filij carissimi.* & ipse Dominus. *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Et rationi ipsi cōgruit, vt quod minus perfectum est velit assimilari magis per-

*Eph. 5.*

*Matt. 5.*

perfecto. Quare valdè admirabile videtur, si Deus debeat imitari hominem; & tamē, in hac petitione dicimus Deo, vt nobis æquè remittat debita nostra, ac nos alijs remittim⁹, ac si diceremus: Domine rogamus te, vt quod nos facimus, tu quoq; facias; nos condonamus noxam omnē ijs qui nos offenderunt, tu vicissim imitare nostram caritatem, & condona quoq; nobis peccata nostra. Vide quam bonus & liberalis sit DEVS in homines, qui, cùm tam grauibus debitis ei essemus obstricti, in manu & arbitrio nostro relinquere voluit nostrorum debitorum remissionē: sic prorsus, vt ille nō teneatur aliud facere nobis, quā nos fecerimus nostris proximis: itaq; si nos illis remittamus debita minora, remittet ille nobis quoque nostra multo maiora. Et hæc quidem conditio condonandi proximorum iniurias tam necessaria est, vt homini neque spes vlla, neque alia via supersit impetrandæ à Deo remissionis peccatorum. Det & eroget in pauperes quantum velit, faciat quicquid velit, etiamsi sanguinem pro Christo profundat, nihil apud Deum efficit, si non priùs condonet iniurias, si fratri suo debita

non remittat. O beata offensa, ô debitū fœlix, quod condonatū meretur allegari in iudicio diuino pro nostra condonatione obtinenda. Quamobrē non debemus tristari, quando homines nos offendunt, persequuntur, omnibusque malis afficiūt: sed potiùs lætari, gratiasque agere, imò eiusmodi exoptare, quia condonando huiusmodi iniurias, facilius impetrabimus à Deo indulgentiā nostrorū peccatorum. VERVM tu homo immitis, & duro corde, qui non vis abire inultam illatam tibi iniuriā, non vis dimittere debitum fratris, in iusto Dei iudicio eris inexcusabilis: imò ex ore tuo condemnaberis: nam ea conditione à Deo postulasti peccatorū tuorum veniam, vt alijs etiam iniurias tibi factas condonares.

*Et ne nos inducas in tentationem.*

MAGNA consolatio esset homini inter multas & varias suas ærumnas, si post impetratam suorū peccatorum remissionem, ita securus esset de perseuerantia, vt semel iustificatus à recepta gratia excidere amplius non posset. Sed heu nulla in hac vita est securitas, nulla perfecta pax. Totus mundus, vt dicit quidam Sanctus, est refertus

tus spinis. In aëre sunt spinæ, terra tota abundat spinis: anima caroq; nostra nō aliud proferunt, quā spinas. Quare stare & ambulare inter tot spinas, nec pūgi aut vulnerari ab illis, non virtus humana, sed potentia & gratia diuina est. Potest homo per libertatem quam habet in peccatum labi, per infirmitatem quoq; naturæ suę in malū procliuis est, fert in sinu suo cōtinenter concupiscētiæ flammas quibus ardeat, stimulos sentit carnis incitantes assiduos, præter prauos peccatorum commissorum habitus, quibus magna facilitate, atq; etiā voluptate in malū inclinatur & inducitur. Deinde foris sunt res huius mūdi visibiles, commoda & incommoda, prosperitas, honor, fauor, pulchritudo, voluptates, & mille alia blandimenta, quæ continuè oblectant sensus, & commouent affectus. Adhæc sunt res inuisibiles, hoc est, aduersarius noster, qui vt leo rugiens semper circuit quærens quem deuoret, & nunc impostoris & fraudibus, nunc vi homines conatur pertrahere in damnationem. Quare miser homo cernēs se tot septum scopulis, & à tot visibilibus & inuisibilibus hostibus oppugnari, cogitur exclamare & dicere cum Apostolo. *Infelix ego.* 1. Pet. 5. Rom. 7.

*ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Domine mi, quid agam, si mihi non subuenias? quid faciat vna ouicula inter tot lupos, vna creatura tam imbecillis inter tot fortissimorum hostiũ agmina? Quid ergo possum, aut debeo facere, nisi quod facit puerulus, qui metu aliquo perculsus confugit in sinum Matris? Ad te ergo Pater noster qui es in cælis, attollo oculos meos, & in manus tuas commendo animam meam dicens: Ne nos inducas in tentationem. *Miserere mei, quoniã multi bellantes aduersum me.* CIRCA Tentationem animaduertendum est, dominũ Deum nostrũ, vt scriptum est, tẽtare neminẽ, nec quenquã inducere in tentationẽ, sed tantum eam permittere, quatenus iudicat ad gloriam suã, & nostram salutẽ id magis expedire. Quare duobus modis possumus intelligere hanc petitionem. Primò, vt Deus non velit vlla ratione nos tentari, licet enim tentationes aliquando prodesse possint, non sunt tamen omnis periculi expertes. Vnde melius est cognita virium nostrarum imbecillitate, humiliter à Deo petere, ne permittat nos tentari, quàm optare cum aliqua præsumptione per tentationem probari. Secundò

Psal. 55.

Iac. 1.

possu-

possumus intelligere, vt hac petitione non petamus esse à tentatione immunes: si enim immunes simus carebimus virtutis merito, quæ, vt dixit Dominus Paulo, in infirmitate vel tentatione perficitur. Quare non solùm nō est malum fuisse tentatum, sed est valdè bonum, nam vt dicit Scriptura, *Qui non est tentatus, quid scit?* Vnde Prophetа orabat dicens. *Proba me Domine, & tenta me. Beatus enim vir*, inquit B. Iacobus, *qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*. Est ergo vtilis & quasi necessaria tentatio. Primò, vt semper vigilemus & simus occupati; Secundò, vt nos ipsos viresque nostras cognoscamus. Tertiò, vt humilitatem custodiamus. Quartò, vt sæpè ad auxilium Dei recurramus & in eo spem nostram collocemus. Quintò, ad exercitium, & multarum virtutum consecutionem; Sextò, ad augmentum gratiæ & meriti, & denique ad obtinendam maiorem coronam in cælo. Non igitur tàm petimus non tentari, quàm non tentari supra nostras vires, ne fortè à tentatione vincamur & expugnemur. Petimus, vt DOMINVS

2. Cor. 12. Eccl. 34. Psal. 25. Iacob. 1.

sua gratia nos custodiat, ne cor nostrũ seducatur, ne caro opprimat spiritum, ne capiamur & decipiamur à vanitatibus & figmentis huius sęculi, ne extollamur rebus prosperis, nec deijciamur aduersis, ne patiatur infernalem serpẽtem cum omni aërea potestate, & rectoribus tenebrarum harũ, contra quos cõtinua nobis est colluctatio, suo astu & insidijs nos in fraudem inducere, & contra nos prævalere, sed potiùs vt pudefacti, & repulsam passi subijciantur pedibus nostris; vt denique det lumen ad cognoscendum, virtutem ad resistẽdum, & robur ad depugnandum viriliter, & facultatem ad fructum iuuante sua gratia ex omnibus tentationibus colligendum, vt mereamur peruenire ad coronam vitæ, quam Dominus promisit, qui probationem fortiter sustinuerint, & in suo seruitio fideliter vsq; ad mortem perseuerarint.

*Eph. 6.*

*Sed libera nos à malo.*

CONSIDERA quàm congruenter CHRISTVS Saluator noster hanc petitionẽ vltimo loco posuerit, nempe, quia est quoddã quasi omniũ aliarũ compendiũ. Vt enim bonũ est, sanctificari nomen Domini, aduenire regnũ gloriæ eius, & vt voluntas eius fiat ab omni-

omnibus,&c. Sic contrà malũ est,si nihil horũ fiat. Quare dum hac petitione postulamus liberari ab omnibus malis; nõ aliud postulamus,quam vt nobis omnia illa bona cõtingant,quę superionibus petitionib⁹ sũt à nobis postulata. Vbi obseruandũ est ex omnib.hui⁹ vitæ malis alia esse culpę; alia pœnę. Mala culpę sunt peccata à nobis cõmissa,à quibus iam quinta petitione liberari cupiuimus. Mala autem pœnæ,sunt omnes ærumnæ & cruces animi & corporis,quibus tota hæc vita abundat,iuxta illud quod scriptum est, *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs*. Mala autem hæc dicuntur pœnæ, quia in pœnam peccati nostrorũ primorum parentum homines in illa incurrerunt. Ab his ergo singillatim postulamus à Domino liberari, sed quatenus salutem nostrã impediũt. Multa siquidem sunt, quæ hominibus huius sæculi videntur mala, vt paupertas,morbi,& aliæ huius vitę aduersitates,quæ tamen non semper sunt mala, sed tantum, quando officiunt nostræ saluti:sicut contrà,multa videntur bona,& optabilia,vt opes,honores, sanitas,aliæq; huius vitæ prosperitates,quę tamen non semper sunt bona, sed tantum. Iob.14.

tum, quando iuuant ad salutem, nam si non iuuent, potiùs fugienda & odio habenda sunt. Petimus ergo à Domino liberari à malo, hoc est, omnibus rebus animæ nostræ noxijs, quæ nempe occasionem nobis præbent delinquendi, & salutem nostram impediunt, siue hæc in se sint mala, siue opinione hominum videantur bona. Præter hæc sunt & alia mala pœnæ, quæ debentur peccatis nostris in altera vita, eæque vel temporales, vt sunt pœnæ Purgatorij, vel æternæ, vt sunt pœnæ Inferni, à quibus quoque omnibus à Patre nostro per infinitam misericordiam suam hic petimus liberari. Denique nomine huius mali, à quo petimus liberari, etiam intelligitur dæmon, qui ita obstinatus est in malo, vt nullo modo possit esse bonus, quia semper cogitat malum, semper facit malum, & semper suader malum. Ab hoc ergo maligno & pessimo inimico speciatim optamus liberari, vti à fonte & seminario omnium malorum, vt liberi ab illo summa pace possimus diuinæ voluntati obsecundare, & diuinã eius caritatem in cordibus nostris semper fixam & radicatam conseruare.

CONSIDERA nunc anima mea admi

admirandam sapientiam, & amorem infinitum, quem Deus tibi demõstrauit, nõ enim solùm in huius orationis petitionibus incredibili breuitate cõplexus est, quicquid à te postulari potest, verumetiam seipsum tibi voluit dare, omnibus modis quibus poteras illũ desiderare. Nam in prima petitione, vbi te docet, vt se appelles Patrem, non aliud voluit tibi indicare, quàm se factum tuum Patrem adoptando te in suam filiam, & hæredem cæli faciẽdo. In secunda verò, quando petis aduenire eius regnum, voluit tibi indicare se esse tuum Regem, sub cuius gubernatione & protectione nihil tibi deesse possit, nec reformidare vllas omnium inimicorum tuorum vires. In tertia deinde, cum petis, voluntatem eius à te & alijs omnibus præstari, voluit significare se esse tuum sponsum: valdè enim conueniens est, sponsam eiusdem mentis & voluntatis esse cum sponso, à quo scit se tam tenerè amari: Quando verò in quarta petitione poscis panem quotidianum, voluit indicare se esse tuum pastorem, qui ab ineunte ætate te pauit, quique nõ solùm nunc abundanter te pascit, sed etiam de seipso te pascit. Adhæc in quinta, dum

petis tibi remitti debita, voluit significare se esse tuum creditorem, non iam inhumanum & seuerum, qui te velit suffocare, aut in carcerē mittere, donec æs alienum dissoluas, sed humanum & liberalem, qui tibi omne debitum condonare velit. Præterea in sexta, quando petis eximi tentationum periculis, voluit indicare se esse tuum Medicum, qui sui pretiosi sanguinis antidoto à venenato infernalis serpētis morsu & æternæ mortis discrimine te præseruet. Denique in extrema petitione, dū petis liberari ab omnibus malis, vult tibi insinuare se esse tuum iudicem, nō iam crudelem & sęuum, sed benignum & clementem, qui, si ad eum cum humilitate & vero dolore confugeris, te liberaliter absoluet ab ęternis pœnis & cruciatibus, quibus per peccata & scelera tua te obnoxium reddidisti.

*Matt. 18.*

DE

# DE MVNDATIONE LEPROSI.

## MEDITATIO XXX.

### EVANGELIVM.

CVM IESVS descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, & ecce venit ad eum vir plenus lepra, & videns IESVM genu flexo procidens in faciem suã adorabat eum, & rogabat dicens. Domine si vis, potes me mundare. IESVS autem misertus eius, extendit manum suam, & tangens eum, ait illi: Volo, mundare. Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Et comminatus est ei, statimque eiecit illum, & præcepit, vt nemini diceret. Et ait illi. Vide nemini dixeris, sed vade ostende

*Matt. 8. Marc. 1. Luc. 5.*

ostende te Sacerdoti & offer protestimonio emundationis tuæ munus, quod præcepit Moyses. Et egressus cepit prædicare, & diffamare sermonem. Perambulabat autem magis sermo de illo, ita vt iam non posset manifestè introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esse. Et conueniebant ad eum vndique turbæ multæ vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

FIGVRA.

4. Reg. 5. *NAAMAN Syrus existens leprosus abijt quæsitum Helisæũ Prophetam, per quem à lepra mundatus est.*

CONSIDERATIONES.

Punct. 1. CONSIDERA, quomodo descendente IESV de monte, sequutę sint eum multæ turbæ. Multo tempore manserat IESVS in vertice illius montis, vbi cælestis Magistri instar lõgum illum sermonem omni laude digniũ ad suos discipulos habuit; in quo summa omnis Philosophię Euãgelicæ con-

continceretur, in illo enim docuit & informauit eos de modo orandi, proximos amandi & iniurias illis cõdonandi, viamque salutis hominibus tradendi: Hunc montem non ascendit turba, quia tam sublimis doctrinę capax non erat, sed pauci numero discipuli, quia pauci sunt qui Christũ per viam angustam & arduã perfectionis sequantur; infinitus verò numerus stultorum qui per humiles & lutulentas huius mundi vias errant & vagantur. Quid verò aliud hoc facto Dominus indicare voluit, nisi, dum ille in monte sublimi suæ diuinitatis egit, dum in forma Dei lucem illam inaccessibilem inhabitauit, paucos fuisse qui illum imitarentur, paucos amicos in mundo habuisse qui eum amarent, colerent, venerarentur, quemadmodũ oportebat: at postquam seipsum exinaniuit, & inclinatis cęlis ex sublimi Maiestatis suæ solio descẽdit ad humilitatem nostræ humanitatis; postquam verbum diuinum factum est caro, & virtus omnipotens se nostra infirmitate vestiuit, secutæ sunt eum turbæ multæ. Tunc mundus, qui id temporis adhuc graui somno erat oppressus, cœpit oculos aperire, & in cælum tollere, & infinita boni-

*Eccl. 8*

*Phil 2.*

*Psalm. 19.*

bonitate, caritate & misericordia Dei erga se obstupefactus, toto corde cæpit eum amare, reuereri, totumque se in suum seruitium offerre. Fuit ergo necessarium Deum ad nos descendere, vt homo vicissim posset ad eum ascendere. Valdè autem conueniens fuit sapientiæ & benignitati diuinæ, Deum specie humana ad docendos & instruendos homines venire, vt non solùm iustitiæ suæ documentis, verum etiã illustribus vitæ suæ sanctiss. exemplis & factis eos ad imitationem sui prouocaret.

2. *ECCE venit ad eum homo leprosus.* Dum CHRISTVS perstitit in monte, nullus æger ad eum conscendit, sed mox atque in vallem descendit, aduenit leprosus. Benè apparet bone IESV te venisse ad saluandum peccatores, & ideò nomen quoque Saluatoris assumpsisti, venisti vt medicus ad nostras infirmitates curãdas, ad sanandam spiritalem nostram lepram, imò ad eam rectiùs sanandam, eam in te suscepisti, factus velut leprosus, vt iam olim prædixerat Propheta. *Et reputauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo, & humiliatum.* Esa. 53. Quid igitur mirum, si hic leprosus veniat ad te? si æger adiungat se medico,

homo,

homo peccator illi, à quo solo potest expectare salutē? Adiungit se non tam corpore, quàm viua cordis fide, & hinc pudefactus sua fęditate, proijcit faciem suam in terram, illinc vt humilis suam ægritudinem confitetur, & remedium exposcit. Quare merito à Domino exauditus, à lepra mundatus est.

3. VERVM cur dicimus hunc leprosum adisse Christum, & nō potiùs, attractum fuisse à Christo? Certè nec Magdalena pœnitens, adducta fuisset ad quærēdum in domo Phariſęi Christum, nec Cananæa ad petendam sanitatem filiæ, nec Centurio ad sanitatem sui famuli, sed nec Hæmorrhoissa ad Christum tangendum, si nō hi omnes prius à Christo attracti fuissent. Huius rei argumentum est humilitas, deuotio, fides, qua isti omnes se adiunxêre Christo, quæ virtutes non aliud erant, quàm dona & beneficia gratuita ipsius CHRISTI. ô si quis oculis cernere potuisset, qua ratione Dominus occultè in eorum mentibus vim suam exeruerit, quanta suauitate eas dispoſuerit, quanta dulcedine eas ad se pertraxerit. Considera quanta sit diuini amoris potentia. Si enim potuit DEVM è cælo detrahere in terram, quid mirum, si homi-

hominum corda possit attrahere ad cœlum? Tractus ergo fuit à CHRISTO & hic leprosus, quia priùs ab eo in anima, quã in corpore sanatus est: & ideò tanta humilitate, tanta reuerentia & fide ad Christum accessit, adorauit, & ab eo, diuinam confessus potentiam, remedium postulauit dicens. *Domine si vis, potes me mundare.*

4. CONSIDERA, paucis his verbis perfectam orandi formam contineri, quam plenè nobis tradidit leprosus. Si enim nõ tenuisset rectum orandi modum, tam citò à Domino exauditus non fuisset. Primò igitur adhibuit orationi suæ profundam cordis submissionem, flexis genibus & facie in terram demissa CHRISTVM adorando; scriptum enim est, Dominum *Psal. 101.* respicere in orationem humilium, nec spernere preces eorum. Leo animal alioquin elatum & generosum, non solet nocere ijs hominibus (vt fertur) qui se demittunt in terram coram ipso. Quid ergo faciat infinita & summa generositas Dei, quando homo supplex se abijcit ad eius pedes? Secundò humilitati adiunxit viuam fidem, quæ quantũ valeat ad impetrãdum expressit ipse Dominus his verbis. *Omnia*

*quæ-*

*quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis* Hanc aũt fidem demonstrauit leprosus, quia non dixit, vt alius quidam; *Si quid potes, adiuua nos* sed agnita eius potentia, dixit, *si vis, potes me mũdare* Non dixit cùm Centurione, vt verbo mandaret, nec cũ Principe illo rogante, pro filiæ suæ salute, vt imponeret manum, sed vt vellet tantum; ita sanum fore: atque si diceret, De potentia tua non dubito, sed tantum de voluntate, nec etiam de voluntate, nam noui quàm sis benignus & misericors, sed tantum de sapientiæ tuæ iudicio. Licet enim summè sis bonus, & velis quicquid bonũ est, tamen ignoro, num quod peto sit bonum mihi: Sensui quidem & carni bonum videtur, an verò æquè spiritui, dubito: quare tantum meum desiderium propono, sed tuæ voluntati submitto. Quibus in verbis considera tertiam conditionem, nempe, obedientiã, quę debet perfectę orationis comes esse indiuidua, nunquã præscribendo in petitionib. nostris Deo aut certũ tempus, aut locũ, aut modũ, sed semper plenè se eius volũtati, paternæq; prouidẽtię subijciendo, maximè in rebus tẽporalibus, cũ nobis nõ constet, quid nobis ma-

Marc. 11.

Matt. 9.

Matt. 8.

Ioan. 4.

magis conueniat, vel vtilius sit ad salutem nostram.

5. CONSIDERA hoc leprosi facto non solùm instrui nos quanta humilitate, fide, & resignatione conferre nos debeamus ad orationem, & nostras petitiones offerre Deo, sed etiam quàm salutares hominibus sint infirmitates; nam fortè leprosus, antequam in hùc morbum incideret, Christum non agnoscebat, & parui illũ faciebat, at postquam percussus est lepra, vides quanta sollicitudine CHRISTVM quæsiuerit, quanta patientia, antequam è monte descenderet, eum expectârit, quanta humilitate adorârit, & Deum ac Saluatorem suum confessus fuerit. Vnde bene dixit Propheta: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Et alibi. *Imple facies eorũ ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Probè id nouit benignissimus noster Pater. Vnde hominibus obduratis, vel amore rerũ terrenarum huius mundi inuolutis, immittere solet aliquãdo afflictiones, vt quod facere respuebant dum essent sani & incolumes, flagellis & calamitatibus impulsi facere cogantur, per pœnitentiam ad DEVM redeundo, & diuinis eius manibus se resignando.

*Psal.* 15.

*Psal.* 82.

6. EX-

6. EXTENDENS IESVS *manum tetigit eum*. Considera mirabilem hinc sapientiam, inde bonitatem Domini: nam rogatus alibi à Principe illo, vt imponeret filiæ defunctæ manum, nō tactu, sed solo verbo eam resuscitauit: hunc verò leprosum, qui petit, nō tangi, sed solo voluntatis imperio sanari, voluit tangere. Quod procul dubio Dominus fecit, vt Princeps ille confirmaretur in fide diuinitatis, quia putabat ad excitandam filiam, necessariam esse præsentiā Christi corporalem: huic verò leproso, quoniam videbat eum in fide ardentem, plus præstare voluit, quàm postulabat, tangendo, scilicet, cum suis manibus: quod Christus fecit in signum beneuolentiæ, vt ostenderet quàm grata sibi fuisset eius confessio: vnde & verbis benignissimis respondit, *Volo, mundare*. quasi diceret. Quia confiteris me posse; & mundandum te credis, si ego velim, idcirco tibi denuncio, me velle, & ideo sis mundatus. tu non hæres anceps in credendo, & ego non hæreo tardus in sanando. tu non distulisti confessionem, nec ego differo tuā mundationem. Et quā aliam, dulcis IESV, poterat hic æger ex ore tuo benedicto expectare responsionem, *Ioan 4. Matt. 9.*

nem, nisi diceres, Volo? Nam cùm sis totus bonus, non potes velle nisi bonum, & ideo ex ore tuo nulla verba audiùtur nisi de pace, salute, & vita. Imò verisimile est, Saluatorem, quoniam illo temporis puncto in persona leprosi considerabat nostram infirmam naturam, ob cuius salutem in mundum venerat, viscеribus eius misericordia commotis vix expectare potuisse, donec leprosus petitionem suam proponeret, sed statim magna promptitudine respondisse, *Volo* quasi diceret. Ob quam aliam causam ego de cælo descendi? quid aliud volo aut quæro ego, nisi salutem tuam, quam iam à me postulas? itaque si non dubitas de mea potestate, non debes quoque dubitare de voluntate. VBI & illud considera, voluisse Dominum diuinæ manus suę tactu sanare leprosum, ad exprimendum sublime suæ incarnationis mysterium: cùm enim humana natura specie leprosi in hac valle lachrymarum iaceret, nec ab vlla creatura, vllo antidoto erigi posset & iuuari, misertus eius Creator in terram descendit, & sacratissima humanitate sua in suam diuinam personam assumpta, quasi manu attingens, hominem mundauit

& à peccati lepra liberauit. Sed heu, benedicte IESV, sanitas quidem huius leprosi vno verbo, & contactu leui effecta est, at sanitas animæ nostræ non potuit effici nisi profusione sanguinis & vitæ, extremisque tui sacrati corporis cruciatibus.

7. VERVM, bone IESV, cur eum tetigisti, cùm tactus leprosorum diuina lege sit vetitus? Verè lex mandabat, ne homo mundus tangeret immundum, ne ab eo inquinaretur: sed tu Medicus cælestis, qui potestatem habebas sanandorum non solùm corporum, sed etiam animorum, tangendo homines immundos, minimè violabas legem, sed potiùs præstabas. Finis enim legis alius non erat, quàm hominum mundities & sanitas: verùm tu non solùm eras immunis ab omni contaminatione, sed etiam tactu alios mundabas, nec solùm à corporali, verumetiam spirituali lepra, totum enim hominem perfectè sanabas. Quare manus CHRISTI tactu non inquinabatur, sed purgabat, non fiebat infirma, sed curabat aliorum infirmitates. Deinde tangendo leprosum Dominus non violauit legem *Leu. 14.*

legem, quia non tetigit leprosum: nam d.n benignam suam manum extendere cœpit, ita fugit lepra, vt prius leprosus mundaretur, quàm attingeretur. O salutaris manus, manus vere Saluatoris, quam fugiunt omnia mala, & à qua prodeunt omnia bona; Manus, quam si semel à nobis retraxeris omnes in nihilū recidimus, si porrexexis, omnia benedictione complentur.

*Psal. 103.* O bone IESV si tuam diuinam manū extenderes supra me, quātis gratijs impleres animam meam, & quot infirmitatibus & malis quibus continenter affligitur & opprimitur eam liberares?

8. MINATVS est IESVS leproso, præcepitque ne cuiquam diceret se sanatum. Cur verò, bone IESV, tam arctum silentium huic homini imperas? an fortè non attinebat ad tuæ Maiestatis gloriam, vt magnifica opera tua omnibus manifestarentur? vel timebas fortè periculum aliquod vanæ gloriæ, cui merit ò debetur omnis honor & gloria? Non timuisti profectò pro te, sed pro nobis duntaxat, qui sumus leuiores festuca, & folio à ventis agitato instabiliores: quare dulcissime Domine totum illud silentium imperasti ad

nostram vtilitatem: nam licet non ignorares illum hominem rem non cælaturum, sed vbique tantum beneficium prædicaturum, tamen ad nos informandos, quantum ad te spectabat, voluisti effugere omnem ostentationem. Non volebat humilis IESVS prædicari & laudari, sed totam laudem & gloriam Patri suo cælesti attribui. Dici quoque potest Dominum non absolutè id vetuisse leproso, sed tantum quousque se præsentasset Sacerdotibus, & ab illis declaratus mundus, ad remouendā ab illis omnem scandali occasionem. Vbi perpende profundam Saluatoris humilitatem, quod, quamuis ipse haberet potestatem mundandi leprosos, & omnis generis morbos curandi, nihilominus vbi iudicium sacerdotum requirebatur, nolebat eos sine eorum calculo censeri mundos. Misit quoque leprosos ad Sacerdotes, vt intelligerent ipsum esse supra legem & Sacerdotes: Lex enim tantum tradebat modum cognoscendi lepram, vim autem curandi nō dabat. Similiter Sacerdotes tantum poterant, iudicare, num leprosus esset mundatus, nec ne, mundare tamen nō poterant vnde & misit Dominus leprosum ad Sacerdotes, vt cognita ex

hoc miraculo diuina Saluatoris virtute, permouerentur ad credendum illi, & si nollent credere, redderentur inexcusabiles.

9. CONSIDERA denique quomodo Dominus ei præceperit, vt in testimonium gratitudinis offerret munus suum in templo: ex omnibus enim oblationibus quas diuinæ Maiestati facere possumus, hæc vna est de gratissimis: Homo enim miser & mendicus, non aliud habet offerre Deo in beneficiorum ab eo receptorum remunerationem, nisi laudes, benedictionem, & gratiarum actionem. Beata anima, quæ pro quoque beneficio oculos suos attollit in cælum, & quotidiè rependit gratias suo creatori: vt enim Deus pluit in nos continuis donis & beneficijs, sic nos continuò ei reddere gratias & benedictiones debemus; atque hoc est animam habere oculos Columbarum, quæ sæpius solent oculos attollere in cælum. Hoc facit anima formosa & speciosa in diuino conspectu. Et hæ sunt voces, de quibus dicit Propheta. *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum*, qui nunquam laudandi Dei finem faciunt, & primo quidem vocibus exultationis, nam

*Cant. 1.*

*Psal. 117.*

um ex gratitudine ergà Deum in iustis
anta oritur lætitia, vt faciat eos quasi
ultare, & signis externis consolatio-
em internam, quam in cordibus sen-
iunt declarare. Deinde vocibus salu-
as, nam gratitudo erga Deum efficit nõ
solùm vt anima perseueret in gratia
Dei, sed etiã vt disponatur ad alia mul-
ta beneficia spiritalia à Domino recipi-
enda. Tu ergo anima mea, quia citra o-
mne tuum meritum, imò non obstãti-
bus infinitis tuis demeritis, Deus tam
bonus erga te fuit, si aliud non habes,
accipotes, ad minimum pro tot pecca-
tis tibi condonatis, pro tot malis, à qui-
bus te liberauit, ac denique pro tot be-
neficijs gratuitis, qui tibi præstitit con-
tinuas ei laudes reddas & gratias, dicẽs
cum Propheta, *Benedicam Dominum in o-
mni tempore, semper laus eius in ore meo.*

## COLLOQVIVM.

ORabis CHRISTVM Dominum
quoniam ipse de paterni throni
monte descendere voluit in vterum
Beatus Virginis, vt generis humani le-
pram sanaret, dignetur gratiæ suæ ma-
num extendere, & animam tuam va-
rijs peccati maculis leprosam tangere,

solus enim ille, si velit, eam mundare & sanare potest; cumque ille dixerit se nolle mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, animæ tuæ quoque hoc beneficium præstare velit, vt non moriatur, sed conuertatur & viuat secum in æternum.

Ezech. 18. 33.

## DOCVMENTA.

1. *CHRISTVS post traditam doctrinam descendit ad turbas & miraculorum operationem: vnde hauriuntur duo documenta. Alterum pro hominibus spiritualibus, qui tendunt ad vitæ perfectionem, vt dum necessitas proximi ita postulat, supersedere debeant exercitijs internis, alijsque sanctis occupationibus, & demittere se ad iuuandas animas proximorum. Alterum est pro Prælatis & Euangelij prædicatoribus, qui ad imitationem CHRISTI opere debent præstare, quod verbis alios docuerunt.*

2. *LEPROSVS non petijt absolutè à Christo, vt se mundaret, sed dixit, Si vis, potes me mundare. vnde discimus, quãdo aliqua ægritudine corporali grauati sumus, non debere nos à Deo absolute petere sanitatem; sed committere ipsius beneplacito, vt faciat quod magis conueniat nostræ saluti.*

3. *CHRISTVS non refugit tantopere lepro-*

*sum,*

hom, quem Scribæ & Phariſæi vix dignabantur aſpicere: vt daret nobis exemplũ benignitatis, & commiſerationis, ne facilè ab infirmitatibus aliorum quantumuis horrendis & abominandis abhorreamus.

4. CHRISTVS ſanans leproſum attigit eum manu; vt indicaret quàm magna infirmitas ſit peccati, quod per illam lepram fuit ſignificatum: Nam velut lepra ex omnibus morbis, maximè eſt abominabilis, & curatu difficilis: Sic quando peccatum illabitur in animam, ita eam contaminat, & dæmonis poteſtati ſubijcit, vt opus ſit manu Dei, & auxilio ſpeciali, vt homo ab eo liberari poſſit.

5. Lepra corporalis, ſecundum Scripturam, quinque modis fuit curata. Primò lauando ſe aqua, vti fecit Naaman Syrus. 4. Reg. 5. Secundò, oſtendendo ſe ſacerdotibus, vt fecerunt decem leproſi. Leu. 14. Tertiò ſeparando ſe ab alijs, vt Maria ſoror Moyſis. Luc. 17. Quartò, abſcondendo ſe, vt manus Moyſis, quam abſcondit in ſinu. Num. 12. Quintò, tactu manus Domini, vt hic leproſus. Exod. 4. Sic nos quinq; modis mũdamur à lepra peccati: Primò lachrymis contritionis, quæ lauant animam. Secundò, oſtendẽdo ſe Sacerdoti per Confeßionem. Tertiò, ſi pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis ſeparemur à conſortio fidelium. Quartò, ingreſſu & clauſura religionis. Quintò, quando Dominus nos aut internis inſpirationibus, aut flagellis tribulationum tangit.

6. CHRISTVS mandauit leproso, ne manifestaret hoc miraculum, ad nos commonefaciendos, ne prædicandis, diuulgandisq; nostris bonis operibus ostentationem & gloriam aucupemur, sed desideremus potiùs ea hominib. esse abscondita, soli autem Deo patere secundùm illud consilium Euangelicum, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Matt. 6.

7. Nos quando infirmi sumus, recordamur Dei, eumq; inuocamus cum magno emendandæ vitæ desiderio; at post recuperatam valetudinem obliuiscimur omnium: & ideo CHRISTVS, vt doceret nos, æquè tempore sanitatis ac ægritudinis Dei meminisse, eiq; gratias agere mandauit leproso, vt offerret Deo aliquod munus, gratiasq; pro beneficio sanitatis accepto ageret.

8. CHRISTVS ideo mittebat leprosos ad Sacerdotes & mandabat vt offerrent sacrificium, vt intelligeret peccator, etiamsi quando à Domino per contritionem tactus est, expurgetur à peccati lepra, se nihilominus obligatũ esse vt se offerat Sacerdoti per Confessionem, vt expleat satisfactionem, quæ ab illo ei imposita fuerit.

9. CHRISTVS in ciuitate & locis publicis prædicabat, & infirmos sanabat, sed postea in desertum, vel montem se recipiebat ad orandum, vt daret nobis exemplum vtriusque vitæ, actiuæ, & contemplatiuæ, atq; intelli-ge-

*ligeremus, non debere nos ita deditos iuuãdis proximis, vt negligamus studium orationis ad iuuandos nos ipsos: & contrà, ne ita dediti simus orationi, vt proximos negligamus. Itaq; ita partiri debemus occupationes, vt amor Dei non impediat amorẽ proximi, nec amor proximi imminuat, vel etiam impediat amorẽ Dei.*

# DE SANATO SERVO CENTVRIONIS.

## MEDITATIO XXXI.

### EVANGELIVM.

CVM autem introisset Iesus Capharnaum Cẽturionis cuiusdam seruus malè habens erat moriturus. Et cùm audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum rogans vt veniret, & sanaret seruum eius, dicens. Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & *Matt. 8. Luc. 7.*

& malè torquetur. Illi ergò cùm venissent ad Iesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei, quia dignus est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentẽ nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis. Et ait illis Iesus. Ego veniã, & curabo eum, & ibat cum illis. Et cùm iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens. Domine noli vexari; non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres; propter quod & meipsum non sum dignũ arbitratus, vt venirem ad te, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nã & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade & vadit; & alij, veni, & venit, & seruo meo, fac hoc & facit. Quo audito, Iesus miratus est, & conuersus sequentibus se turbis dixit. Amen dico vobis, nõ inueni tantam fidem in Israhel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recũbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores,

vbi

vbi erit fletus & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni. Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.

## PROPHETIAE.

1. *ET erit fides in temporibus tuis diuitiæ ſalutis, ſapientiæ, & ſcientiæ.* Eſai. 35.

2. *Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te.* Eſa. 43.

3. *Ecce iſti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & iſti de terra Auſtrali.* Eſa. 49.

## CONSIDERATIONES.

POSTQVAM Dominus docuit in monte, & leproſum ſanauit, venit Capharnaum, vbi habitabant multi gentiles, & ibi ſanauit Centurionis cuiuſdam ſeruum non ſine magno myſterio; vt intelligerent Saluatorem poſt mundatum populum Iudaicum in leproſo præfiguratum, mundare quoque & ſanare voluiſſe gentilem, cuius primus fructus fuit hic Centurio: cuius fides tanta fuit, vt fides Iudæorum reſpectu huius reputata fuerit infidelitas. Nam homo hic cùm doctrinam Chriſti non audiſſet, nec miracula eius vi- Punct. 1.

disset, tantum autem rumore & fama aliquid cognouisset, multo plus credidit, quam audierat. Magna verè fuit fides leprosi confitentis potentiam Saluatoris, sed multo maior huius Centurionis, quia non solùm potentiam sed etiam diuinitatem Christi confessus est. Verùm vnde homini huic gentili tantum lumen, tanta illustratio mentis obtigit? certè non aliunde, quàm à Sole iustitiæ, qui simulatque apparuit in mundo cepit illuminare mentis tenebras, & frigidorum hominum pectora calefacere. Ille enim est, qui misericordia sua nos præuenit, excitat desidera, accendit voluntatem, vt cognito misero & periculoso statu, in quo versamur, incipiamus expetere remedium, atq; ita quæramus Saluatorem, qui afferat nobis salutem. Quare bene dixit Euangelista, quod cùm introisset Iesus Capharnaum accesserit ad eum Centurio. imò dicere poterat, quod Christus cum communicato lumine interno, & notitia sui attraxerit & adduxerit ad se. Accessit ergo Centurio ad Christum, non corporis, sed fidei passibus, passibus desiderij & deuotionis. Nam, vt dicit Euangelista, non accessit ipse in propria persona, sed nomine suo, misit alios,

non

non reputans se dignum præsentia CHRISTI, & multo minùs vt beneficium aliquod ab eo postularet. Sed ô diuina iudicia, quàm longè abestis à iudicijs hominum. Iuerũt quidem seniores Iudæorum ad rogandum CHRISTVM pro Centurione, sed verè ipse Centurio multo illis propiùs CHRISTVM accessit: quo enim per humilitatem longiùs erat remotus exterius, tanto interiùs propius erat conunctus. Genere quidem erat externus CHRISTO, sed corde erat totus CHRISTO familiaris. Natione alienigena, sed fide popularis & propinquus; præfectus erat militum, sed socius angelorum.

2. *DOMINE, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Considera Centurionis charitatem, quantam sollicitudinem, & amorem declaret erga hunc seruum, & quomodo verbis comm seratione plenis conetur pia Saluatoris viscera commouere ad restituendam ei sanitatem. orat pro seruo, non tãquam seruo, sed filio carissimo. Nam non spectabat in eo formam serui, qua erat illo inferior & subiectus, sed formam hominis, qua erat similis Deo, & sibi in natura æqualis. Sed vide

quam cito, & quã benè hic homo gentilis modum orandi didicerit; etsi minũ non sit; nam spiritus qui tantam caritatem cordi illi infuderat, etiam docuerat illum modum orandi Dominum, ad obtinendum quod ab eo postularet. Non igitur petit à Christo, vt sanet suum seruum, sed paucis tantum verbis exponit eius ægritudinẽ, rationem remedij diuinæ eius misericordiæ relinquit, atq; si cognouisset, se loqui cũ eo, qui erat ipsa bonitas, quiq; non solum omnia sciebat & poterat, sed sciebat etiam quid seruo magis expediret. Quare nec putauit sibi multis verbis agendũ. Ex alia parte, licet videatur pauca dixisse, nihilque postulasse, multa tamen postulauit, multaque paucis illis verbis dixit: nam potentissima quædam petitio in auribus misericordis IESV erat, audire afflictum statum illius infirmi serui, ab omnibus derelicti, & omnibus membris soluti & excruciati; videre etiam tantam caritatem, & misericordiam eius Domini, sollicitudinem quoque & dolorem quem ex serui ægritudine hauserat; quæ omnia valebant nõ ad mouendum modo, sed etiam ad cogendum Dominum vt misereretur & subueniret huic paralitico: neque enim

enim conueniebat vt caritas Centurionis vinceret caritatem Christi, vel vt infirmus hic minorem apud Deum, quàm apud vnum hominem caritatem inueniret.

3. RESPONDIT ergo Dominus, *Ego veniam, & curabo eum.* Sed quare promittis bone IESV, te venturum in domũ huius Centurionis, cum ille nõ quęrat, nec petat, sed nec gratum illi sit vt domum suum ingrediare. Vide admirabilem Saluatoris prouidentiam. Sciebat ille quidem Centurionem non permissurum, vt Christus domum suam ingrederetur, sed tamen id fecit ad eum tentandum, vt sigillatim populo illi incredulo patefieret, quantus fidei & humilitatus thesaurus in hoc homine gentili lateret. Sic tentauit DEVS Abraham, non vt cognosceret, quã prius norat, eius obedientiam & fidem, sed vt mundo eam manifestaret. Sic tentauit Iob, vt omnibus hominibus esset speculum & exemplum patientiæ. Eadem ergo de causa respondit Centurioni. Ego veniam & curabo eum; vt ille velut perterrefactus & pudore suffusus ob tam benignã, liberalemque promissionem diceret. *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Deinde ex hu-

*Gen. 22.*

*Iob. 1. 2.*

militate Dominus se obtulit ad hanc profectionem, ne videretur dedignari ire ad inuisendum tam vili conditione seruum : vnde alibi rogatus a quodam Regulo, vt veniret ad sanandum suum filium, non dixit, Ego veniam, ego curabo eum, sed dixit, Vade, filius tuus viuit. itaque tunc rogatus ire noluit, ne nobilitate personæ videretur inductus. At nunc, ne rogatus quidem promittit se iturum, ne videretur huius serui vilitatem contempsisse. Quanquam proprium semper fuit domini declarare se promptiorem ad iuuãdos homines pauperes & simplices, quam diuites & potentes, quia scriptum

Psal. 137. est. *Alta à longe cognoscit, & humilia respicit in cœlo & in terra.* Vide anima mea, quam bonus & benignus sit tuus DEVS, qui neminem aspernatur, quantumuis abiectum & indignum, sed complectitur omnes, & magna caritate offert se omnibus. Vide, quomodo non Angelum, nec hominem adhuc iam peccatis perditam redimendam miserit, sed voluerit ipsum Dominum Angelorum in propria persona ad curandas tuas infirmitates venire, imò seipsum obtulit in medicinam & sacrificium ad expianda omnia peccata nostra.

4. DO-

4. *DOMINE non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Quasi voluisset dicere Centurio. Domine pro beneficio & misericordia mihi à te præstita, honorem non iniuriam teneor rependere: satis beneficij à te accepero, si seruo reddideris sanitatem: cur ergo rependam ego tibi hanc iniuriam, vt patiar te ingredi in domum tam immundam & indignam, idque tantum ad curandum vnum vilem famulum? sufficit tibi, cui omnia obedunt, vnum protulisse verbum, & resurget seruus meus. O sancta humilitas, quantoperè places diuinis oculis, quàm copiosè ab eo remunerata es. Nam Centurio, dum dicit se indignum ad recipiendum Christum, hoc ipso dignus factus est, vt Christus intraret non domum, sed cor eius. Ille non reputabat se dignum, vt Christus intraret domum suam, & Christus fecit eum dignum vt intraret suum cæleste regnū. Vide, quot virtutes in his paucis verbis contineantur, & tales quidē, vt vix perspici possit, quæ sit magis admiratione digna, humilitas ne, an fides sapientia, vel prudentia, Humilitatem magnam declarauit, quod se censuerit indignū Christi præsentia & cōspectu; indi-

indigniſſimum autem, vt ille ædes ſuas ingrederetur. Fidem magnam demonſtrauit, quod firmiter crediderit Chriſtum etiam abſentem vno verbo poſſe ſuo ſeruo reddere ſanitatem. Sapientiã quoque, quod à nemine doctus, reconditum diuinitatis Chriſti theſaurũ cognouerit. Denique & prudentiam magnam verbis illis quæ ſubiunxit. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites*, mando illis & obtemperant. O prudentia ſingularis, ô mens animi mundi & puri, quàm citò cognouiſti & declaraſti profunda noui Teſtamenti myſteria, quàm benè in te imaginem futuræ Eccleſiæ, & primitiarum gentilitatis in Chriſtum crediturę expreſſiſti; non ſecùs, ac ſi dicere voluiſſet Centurio. Si ego tam exiguæ dignitatis & auctoritatis homo, ſum enim ſublimiori Magiſtratui ſubiectus, per miniſtros efficere poſsũ quicquid volo, eò quod ad minimum nutũ mihi obſequantur, quanto magis tu, qui es DEVS omnibus rebus præſens, tu potẽtiſſimus totius vniuerſitatis Dominus, cui Angeli, omneſq; creaturæ ſeruiũt & obediunt, vno verbo, ſine vlla corporali præſentia, poteris curare meum ſeruum? O fides mirabilis hominis

minis non iam gentilis, sed perfecti Christiani. ô pietas militis, non iam mundi, sed Christi. Quomodo quæso in gentilitatis tenebris tam diuinum potuit splendere lumen, & ex ore stultorum idolis seruientium tam limpida & pura veritas prodire?

5. CONSIDERA, quanta prouidentia Deus voluerit, tam excellentem hominis Ethnici fidem & humilitatem manifestari. Noluit hanc lucernam accensam latitare sub modio, sed supra candelabrum poni. vt in conspectu totius illius populi splenderet; quod fecit. Primò, ad pudefaciendam Iudæorũ cæcitatem, qui tot scripturis instituti, & vaticinijs, quæ non alium quã Christum prædicabant, post conspecta tot miracula, & auditam toties eius doctrinam tamẽ cũ respuerunt, & vix in Prophetam eum recipere voluerunt: at hic homo idololatra, qui nunquam eum cognorat, nunquam audierat, nec opera eius admiranda viderat, cõfessus est, & recipit eum in DEVM. Secũdo fecit, ad prouocandũ Iudæos ad fidem, partim Centurionis exemplo, partim communicando illis diuinæ suæ potentiæ notitiam, nam secundùm Centurionis fidem poterat vno verbo sanare infir-

firmos. Tertiò, vt illis insinuaret, si in sua incredulitate persisterent, notitiam Dei, prædicationemque Euangelicam demigraturam ad gentes, illis permanentibus in sua obstinatione excæcatis,

6. IESVS auditis Centurionis verbis, quasi admirans dixit circumstantibus. *Non inueni tantam fidem in Israhel.* O sapientia æterna, quæ causa admirandi tibi fuit, quæ omnia nosti, nec quicquam absconditum est coram oculis tuis: satis explorata tibi erat Centurionis illius fides, imò fides illa non aliud fuit quàm donum tuum. itaque te admirari illam, aliud non fuit, quàm te honorare & laudare in tuis creaturis voluisse tua dona & charismata; tanta est bonitas tua, & caritas qua ergo nos flagras. Miratus est quoque non sua, sed Iudæorum, qui aderant, causa, vt ipsi conspecta tanta fide & humilitate in homine gentili, mirarentur, & videntes in se tantas virtutes non esse, erubescerent, & cõfunderentur. Quare benedictus IESVS fecit instar sapientissimi Magistri, qui quamuis optimè norit quid legere debeat, tamen legendo indicat se mirari res de quibus loquitur, nõ quod ipse ante ignorarit, sed vt plu-

ris

ris æstimentur, fitmiusq; mentibus auditorū imprimantur. Sic Dominus desiderans has eximias Centurionis virtutes fixas hærere in pectoribus suorū affectarum, declarauit se tantoperè eas admirari. VERVM ego domine mi nō miror de ista tua admiratione, sed plurimum miror te conspecta tanta fide in homine externo, & gentili, & simul tāta tui populi incredulitate; puncto illo temporis vel in planctū vel in clamorem nō erupisse, & exclamasse cū Propheta. *Audite cæli, & auribus percipe terra; filios enutriui & exultaui, ipsi autem spreuerunt me, cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israhel autem me nō cognouit.* Esa. 1. Et certè res digna erat planctu & lachrymis, gentes barbaras, ex vltimis mundi finibus, quæ instar animaliū brutorum expertes erant Dei & legis, ignorantiæ tenebris immersæ, ad primos huius solis iustitiæ radios, tam promptè lucem veritatis amplecti, non secùs quàm si plenè de ea fuissent instructæ; adhæc tanta constantia eam profiteri, & defendere, vt non reformidarint pro ea etiam vitam exponere. Contra verò populus ille qui à prima origine mundi erat ex omnibus populis à Deo electus, cui legem, sa

ecr-

cerdotium, Prophetas regnum dederat, cuius per tot annorum myriades Deus singularem curam habuit, instituendo illum, defendendo, & instar filij admodum dilecti cælesti manna, lacte & melle sustentando, & denique eius causa de cælo in terram descendendo, totque signis & prodijs se Messiam esse patefaciendo, non solùm non eum recepit, sed contempsit, persecutus est, & tandem impiè trucidauit. Quare meritò benedictus IESVS respiciens in fidem futuræ Ecclesiæ suæ, cuius typum præferebat Centurio, admirantis specie dixit se tantam fidem non inuenisse in populo Israhel.

7. DIXIT ergo IESVS Centurioni. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Considera quàm promptus sit Christus ad præstandum beneficium, quomodo nesciat rem negare, quæ cum fide & humilitate, ab eo postulatur: demonstrans hac re, quantum nos diligat, & quàm impensè omni iusto nostro desiderio facere satis cupiat. Nam cùm diceret illi Centurio. Domine *tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*, ille vno tantum verbo prolato puerum sanauit: nec mirũ, quia Christo Domino nostro idem erat dicere, & facere: & ideò de eo scri-

ptum

ptum est. *Dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* Psal. 148. Ex alia parte considera quàm ægrè & difficulter dominus adducatur ad pœnas peccatoribus infligendas: nam promittens Centurioni ob meritum fidei sanitatem serui, non paulatim, sed extemplo eũ sanauit; at cum paulò post Iudæis in pœnam incredulitatis eorum minaretur se eos in tenebras exteriores proiecturum, non mox proiecit, sed tempus dedit resipiscendi & pœnitentiam agẽdi. O quàm bonus & suauis est noster DEVS, non scit malè agere, etiamsi minetur; tenet quidem manibus iustitiæ gladium, nobisque ostendit, sed ad terrendum tantum, non adferiendum. At nos sumus qui crudeles in nos ipsos, peccando gladium è manu Dei rapimus, & in nosipsos conuertimus, in nostram perditionem. Ne imitemur ego malitiam & incredulitatem Iudæorum, nisi velimus incurrere, quas Dominus minatur pœnas: sed huius boni Centurionis fidem sectemur, vt sicut ille omnia obtinuit, secundum quod credidit, ita nos credendo firmiter, Christum posse & velle nobis peccata remittere, & ex parte nostra nullum diuinæ gratiæ obstaculum ponendo, mereamur vnà cum Centurione

rione ex eius ore dulce hoc verbum audire. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.*

## COLLOQVIVM.

ORABIS CHRISTVM Dominum, quoniam non dedignatus est ingredi domum hominis gentilis, ad sanandum seruum paralyticum, dignetur quoque gratia sua visitare animam tuam, in domicilio huius corporis decumbentem, & à suis prauis concupiscentijs & affectionibus malè tractatam. Et quia ipse tam potens est, vt vnico verbo reddere potuerit illi seruo valetudinem, dignetur & tibi vnum misericordiæ verbulum dicere, ad sanandā animam tuam: simulque largiri gratiā, vt tantū imperiū obtineas in vires & sensus animi, vt possis perturbationes, & inordinatos effectus cordis in eum modum coercere, vt caro perfectè sit spiritui subiecta, & spiritus solum seruiat Domino & Deo tuo.

## DOCVMENTA.

1. *CENTVRIO reputans se indignum qui Christum adiret, misit populi seniores, qui implorent eius opem pro seruo: sic nos, quā do obnoxij sumus peccatis, & existimamus nostras preces indignas præsētia Domini, confugere*

gere debemus ad auxilium Sanctorum, vt eo rum meritis & intercessione facilius aditum habemus ad diuinam misericordiam, & gratias eas impetremus, quibus alioquin nos per demerita indignos censebamus.

2. Ex hoc facto Centurionis tam solliciti pro curanda valetudine sui serui, discere & nos debemus, vt misericordiam erga seruos & omnes subditos exerceamus, maximè quãdo in aliqua sunt necessitate: & non facere more quorundam hominum inhumanorum, qui seruos dum infirmantur, aut negligunt, aut domo exturbant.

3. Centurio dixit Christo, Puer meus iacet in domo paralyticus. Magna verè infirmitas est animæ, quando iacet in domo, hoc est, quando interiùs per prauas cogitationes vel desideria delinquit: sed multo grauior & lethalior redditur, quando extra domum delinquit exemplo malorum operum vel verborum proximos scandalizando.

4. Seniores rogabant CHRISTVM, vt gratiam illam faceret Centurioni, quod amaret ipsorum gentem, & ædificasset ipsis synagogam. Illi merentur tempore aduersitatis in suis precibus exaudiri à Deo, qui tempore prosperitatis Dei memores fuerunt, & in operibus pietatis, caritatisque Christianæ se exercuerunt.

5. Ces-

5. *Centurio sanitatem seruo suo restitui petijt à Christo. Primò cum humilitate, nam dixit, Non sum dignus, Secundò cum resignatione; nec enim absolutè illam restitui petijt, sed tantum certiorem eam reddidit de serui infirmitate. Tertiò cum fide: credebat enim eum vno verbo posse à Christo sanari: Vnde discimus quo modo dona temporalia à Deo sint postulanda. Primò cum humilitate, agnoscendo nos ad ea obtinenda indignos. Secundò cum resignatione, committendo nos iudicio & beneplacito Dei, qui nouit optimè quid nobis magis conueniat, Tertiò, cum fide, firmiter credendo, quod facere possit, & facturus sit quod vtiliùs erit animæ nostræ.*

6 *CHRISTVS respondit Centurioni.* Ego veniam, & curabo eum. *Hic discimus à Redemptore nostro, non parui facere pauperes, & infimæ conditionis homines, sed potiùs erga illos maiorem declarare charitatem, magis benignos & humanos illis se ostendere. Hoc enim maius erit nostrum meritum, quo maior eorum fuerit necessitas: illi enim cùm non habeant quod rependere valeant, Deus se eorum loco faciet nostrum debitorē: vti ipsi monet nos in Euangelio.*

7. *Dixit Centurio.* Habeo sub me milites, & dico huic, Vade & vadit, & alijs Veni & venit. *Talis & tu esse debes erga tuos Superiores, nempe promptè obsequendo*

illis

illis in omnibus, quæ imperarint : & multo etiam magis erga Deum Dominum nostrum. Eandem quoque subiectionem procurare debes in teipso, vt videlicet, animæ tuæ potentiæ & affectus ita sint ordinati & compositi, vt sine dificultate obsequantur rationi.

8. De hoc infirmo primo Euangelium commemorat fuisse puerum, vel quod idem est, seruum. Secundo iacuisse. Tertio fuisse paralyticum, id est, non potuisse vllum corporis membrum commouere. Quarto, malè fuisse illo morbo tractatum. Sic miser peccator, per hunc infirmum significatus, Primo est seruus peccati, imò tot Dominorum seruus est, quot vitia & passiones in eo dominantur. Secundo iacet, quia non stat erectus instar iustorum: sed procumbit humi totus corde & affectu immersus rebus huius mundi. Tertio est paralyticus, id est, ad omnia bona opera impotens; nullum enim eius opus potest esse meritorum. Quarto malè torquetur, & affligitur continuo conscientiæ stimulo, passionibus & desiderijs, multoq; timore, & anxietate ad acquirenda & conseruanda bona temporalia.

# DE RESVSCITATO FILIO VIDVAE.

## MEDITATIO XXXII.

### EVANGELIVM.

ET factum est, deinceps ibat IESVS in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibāt cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ: & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi, Noli flere. Et accessit, & tetigit loculū. Hi autem qui portabant; steterunt, Et ait. Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & ma-

magnificabant DEVM dicentes. Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.

## FIGVRA.

*ELIAS vadens Sareptam Sidonio-* 3. *Reg.* 17.
*rum ciuitatem resuscitauit filium viduæ Sareptanæ, & viuum restituit matri suæ.*

### *CONSIDERATIONES.*

CONSIDERA quomodo benedictus IESVS, dum nobiscum *Punct.* 1.
inter homines conuersatus est, nunquã cessarit ab officio promouendæ nostrę salutis; Totos dies erat in templo docens, nocte orationi vacabat, ciuitates, villas & castella obibat euangelizans vbique regnũ Dei, dæmones eijciens, aliaque beneficia præstans. Atq; hanc curam tam accuratam quam habebat de paterna gloria, humanaque salute promouenda, non solùm demonstrauit in pueritia, quando rogatus à parentibus, cur eos ita dereliquisset, eis respondit. *Quid est quod me quærebatis,* Luc. 2.
*an nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse.* Sed etiam demonstrauit, quando à discipulis inuitatus ad

manducandum, dixit. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius.* Quod opus non erat aliud, quam procuratio nostræ salutis. Hæc erga cura, hoc desiderium mouit Saluatorem vt Capharnao digressus conferret se in ciuitatem Naim; cui appropinquans obuium habuit hunc adolescentem defunctum, & post funus eius matrem amarè plorantem. Vbi considera, quam fœlix & salutaris sit occursus & respectus Domini, nam in regione Gerasenorum occurrentes duos energumenos, confestim à dæmone liberauit. Vidit Dominus Petrum & Andream piscantes pisces, & subito fecit ex eis piscatores hominum. Vidit Matthæum publicanum sedentem in telonio: & ex publicano fecit Apostolum. Vidit illum paralyticum, qui tot annis præstolatus erat iuxta piscinam, & subito sanitati illum restituit. Vidit cæcum natum, & facultatem videndi illi reddidit. Respexit quoque Petrum in atrio Pontificis, & commouit cor eius ad pœnitentiam: sic nunc vidēs plorantem viduam, se ei offert in consolatorem, & restituta filio eius vita, cōuertit planctum in gaudiū. Felices lachrymæ, quæ meruerunt talem habere consola-

Ioan. 4.

solatorem; fœlix miseria, quæ tali fuit digna liberatore. Si ergo aspectus & respectus Domini tam salutaris est omnibus, ora tu quoq; illum anima mea, quæ propter peccata tua te deprehendis mœstam & afflictam, vt suis benignis & misericordibus oculis te quoq; respicere dignetur, dicens vna cum Propheta *Respice in me Domine, & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego.* *Psal. 24.*

2. IBAT IESVS versus ciuitatem Naim. Magnum verè argumentum fuit eximiæ bonitatis & caritatis Domini, quod rogatus ab illo Centurione, dignatus fuerit ad sanandum seruum, domum eius adire: sed longe maior bonitas & charitas ab eo demonstrata est in præsenti exemplo, cum à nemine rogatus, vel vocatus sponte se in viam dat, ad procedendum obuiam iuueni defuncto, eumque resuscitat, & viuum reddit afflictæ matri. Verum quid dico ego, ô bone IESV, te non fuisse rogatum, vt præstares hoc beneficium? cum potiùs fueris coactus, nam lugubris status huius defuncti adolescentis, & lachrymæ desertæ & squalidæ matris, non poterant non tenero & misericordi cordi, vti tuum erat, potentissimæ quædam *Matt. 8.* *Luc. 7.*

esse voces, quibus nō rogarent solùm, sed etiam quadātenus te impellerent ad præstandam hanc misericordiam. Non potes nō, ô amator hominū, pro summa tua bonitate & caritate, cōmoueri misericordia erga nostras ærumnas, non cōpati nostris afflictionibus. Hæc enim caritas fuit illa, quæ te mouit ad nos creandos, ad communicandum teipsum nobis, & bonorum tuorum participes faciendos, imò hæc mouit te ad condendam totam hanc vniuersitatem in nostram vtilitatem & auxilium. Hæc quoque te de cælo detraxit, vt antidotum nostris lethalibus morbis afferres. Hæc denique est, quæ nunc te flexit vt obuiam procederes adolescenti mortuo, vt in eius persona toti humanæ naturæ diuinæ gratiæ vitam peccatis amissam restitueres. O quàm felix hic occursus fuit, vitæ cum morte, Felix, inquam, non ratione mortis quæ victa & destructa est, sed ratione omnium nostrum, qui cum ob peccata nostra addicti fuerimus æternæ morti, obuiam facti Christo, vitæ auctori, sumus ab eo viuificati, & cælesti Hierusalem veræ matri nostræ restituti.

3. NVNC cogita nonnihil ani-

mā.

ma mea, quando tu quoque iacebas mortua in peccatis, quando ex praua consuetudine peccandi, omni remedio destituta, quasi deportabaris ad barathrum infernale: si Dominus tui misertus non fuisset, vel sua gratia tibi nō occurrisset, sed potiùs habita ratione tuorū flagitiorum, abrupisset vitæ tuæ filum, quod multis alijs minus te indignis fecit, quid tibi eueniret, vel vbi nūc versarêre? sine vlla dubitatione inter inferni dānatos, inter voraces flāmas, inter vermes, qui moriuntur nunquam & in igne qui nunquam extinguetur, in horrore & opprobrio sempiterno, vbi non auditur aliud quàm clamores, fletus & stridor dentium, O quàm merito dicere poteris cum Propheta. *Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitaret in inferno anima mea*: Si ergo Dominus se tam bonum declarauit erga te, si singulari eius beneficio adhuc viuis, & tempus quoque habes tuæ saluti prospiciendi, ne amplius sis tibi ipsi crudelis, peccatis accersendo mortem, nec sis tanto benefactori ingratus, iterum eum offendendo à quo tanta beneficia accepisti.

*Esa. vlt.*

*Matt. 9.*

*Matt. 8. & 22.*

*Psal. 93.*

4. VIDENS IESVS plorantem matrem defuncti, misertus dixit: Noli flere. Vide quo misericordiæ sensu motus fuerit CHRISTVS ad solandam, iuuandamque hanc pauperem viduam, non expectat donec rogetur, non postulat merita, non vult interuenire intercessores, sed sola sua misericordia adductus est ad iuuandum illam, & primo, corde eius miseretur, deinde verbis consolatur, denique & opere ipso iuuat excitando à morte eius filium. Considera quam suauis sit Dominus; nam quamuis mors, dolor, lachrymæ, aliæque ærumnæ & pœnæ huius vitæ meritò peccatis nostris debeantur: tamen ob magnum amorem quo nos prosequitur, non potest se continere, quando videt nos mœstos, vel aliqua re conturbatos non secus quam clementissima mater, quæ dum cernit dilectum filium lachrymantem, quasi sauciata lachrymis illis omni studio laborat placare illum & consolari. SED quæ consolatio est hæc, bone IESV, quàm præbes huic afflictæ matri? quomodo ei dicis, ne fleat, cum ante oculos habeat tot causas flendi, vt quod sit sola, quod orbata aliâs marito, nunc etiam filio, cum ergo illi nul-

nullum in hac vita supereſſet præſidium vel ſolatium, quid aliud facere debuit quam flere & lamentari? Verum heu bone IESV, quanto amplius te coquebat cura ſalutis huius adoleſcentis, ac proinde quanto verius tuus erat filius, & multo plus dilectus, quàm erat ipſi eius matri? Quare & bene dixiſti ei, ne fleret, atque ſi dicere voluiſſes. Cur fles mulier, quæ tam exiguam partem tibi vendicare potes in hoc filio meum eſt potiùs flere, qui ſum eius verus pater & verior quoque mater, quam tu. Ego enim ſolus eum creaui, & vſque ad natiuitatem nutriui & poſſedi; itaque ſicut mihi ſolus vixit, ita mihi ſoli periit, & meo vnius ſanguine & vita conſtabat, eum à morte liberare, & vitæ reſtituere. Noli ergo mulier amplius mihi deflere illum, quem non ſolùm ego genui, ſed denuo debeo tanto meo dolore & labore regenerare. Noli deplorare tanquam mortuum, quem paulò pòſt videbis meliori vitæ reſtitutum. Nam moriendo perdidit tantum vitam temporalem, reſuſcitatus verò non ſolùm corporis, ſed etiam animæ vitam æternam recuperabit.

5. QVI deferebant corpus defuncti adolescentis ad verba CHRISTI substiterunt. Vbi considera, sicut quatuor sunt, qui deportant hominem ad sepulchrum, hoc est quatuor Elementa in totidem corporis nostri humoribus comprehensa, quæ cum non retinent conuenientem inter se proportionem & symmetriam, sed vnum excedit alterum, interitum homini conciliant: sic quatuor sunt, qui animam in peccatis mortuam deportant ad sepulchrum inferni, hoc est, spes lõgioris vitę, nimia fiducia de diuina misericordia, amor inordinatus rerum creatarum, & virtutum asperitas & difficultas. O quot diuturnioris vitæ spe decepti, existimantes sibi adhuc superesse pœnitẽtiæ tempus, & idcirco emẽdationem vitę de die in diem ptorogãtes, opinione sua citiùs à morte sunt præuenti? Vnde cum instar virginum fatuarum, oleo bonorũ operũ vacuos, & peccatis onustos se deprehendissent, cũ desperatione æternæ salutis ex hac vita excesserunt. Quot quoque plus in misericordiæ diuinæ magnitudinem, quàm in iustitiæ seueritatem respicientes, & ideo in peccata proni, ad agendam autem pœnitentiam tardi, ad ex-

Matt. 25.

tre-

tremum, cum nullus locus esset remedio, se deprehenderūt miserè defraudatos? ac sero tandē cognouerunt spē veniæ (quando homo dū valet, vitā non emendat) vanam esse & omnis fructus expertē? Adhæc mundi, rerumq; creatarum amor tam potens est, illecebraq; voluptatis ceu catena ita constrictū & colligatū tenet cor humanum, vt metu nullo nec Dei, nec mortis, nec inferni possit ab eis diuelli, nullumq; periculū vel damnū existimat, modo frui eo possit, quod ardenter exoptat. Deniq; quot sunt, qui ad primum arduæ & asperæ virtutis vię aspectum terrentur, & tergiuersantur. Similes pigris & negligentibus, de quibus scriptū est. *Stultꝰ cōplicat manus suas, & comedit carnes suas dicens, Melior est pugillus cū requie, quā plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi.* Verè stulti, quia si scirent, quantum sub exigua illa asperitate lateret dulcedinis & quantum paruo labore paretur præmium, sine dubio, potiùs cum Prophetā eligerent virtutis vias duras, ducētes ad vitā, quàm vias largas & planas terrenarum voluptatum, quę ducunt ad mortem. O crudeles, & mortiferi portatores à quibus homo miser portatur & sepelitur in terra obliuionis, in qua

*Eccl. 4.*

*Psal. 16.*

*Matt. 7.*

homines immemores omnino Dei & propriæ salutis, ac si nullum foret iudicium, nulla supplicia, nec vlla vita præter præsentem alia, vitam agunt, vt loquitur Apostolus, sine DEO in hoc
*Ephe. 3.* mundo. Pro his merito plangit Ecclesia mater nostra, pro his continuis precibus implorat Dei misericordiam, vt misericordia motus ob ex remam miseriam & lachrymas sponsæ suæ dignetur eos eripere à peccati morte, & diuinæ gratiæ suæ vitæ restituere.

6. DIXIT IESVS defuncto adolescenti. Ego tibi dico, Surge, & ille subito erigens se cœpit sedere. Admiranda Saluatoris potentia, qui non vt
*4. Reg. 4.* Propheta Elizeus, multis precibus, vel crebris in corpus pueri inclinationibus, sed solo verborum imperio, momento vno vitam restituit. Sed quid mirum? cum ille fuerit illud verbum incarnatum, quod dixit, & facta sunt vniuersa. Vnde benedixit Saluator. *Tibi*
*Psal. 148.* *dico.* quasi dicere voluisset. Ego Deus tuus, Creator tuus, qui claues abyssi teneo, & in cuius manibus est mors & vita hominum. Ego qui facio quæ volo in cœlo & in terra, tibi dico & præcipio, vt surgas. Non igitur magnum fuit

vno

vno verbo à Christo illum hominem excitari, cùm, vt dicit Apostolus, omnes totius mundi homines, etiam ij qui in minutissimum puluerem erunt redacti vno voluntatis eius nutu, vnoque momento sint resuscitandi. Verum quātus stupor, cogitemus, fuerit ipsius excitati adolescentis, cùm ex tenebris & vmbra mortis emersus, apertis oculis conspexit ante se stantem vitæ auctorem? Similiter quantum, putamus gaudium, quanta lætitia fuerit illius afflictæ matris, quando vno temporis puncto vidit vitam filio redditam, sibi solatium allatum, vtrique salutem & animæ vitam. Nam, vt dicit Euangelista, confestim cæperunt confiteri Christum esse magnum Prophetam in mundum venturū, qui visitaturus erat plebē suam. Et hoc est, quod de illo adolescente dicitur, quod surgens cæperit loqui. Qui enim alij sermones eius potuerunt esse, nisi laudum & gratiarum actionis, quibus confessus fuerit & prædicarit diuinam eius omnipotentiam? *Apoc. 3.* *1. Thess. 4.* *1. Cor. 15.*

7. O anima mea, quid ages tu, quando in extremo die è puluere terræ cælesti voce excitabere, non iam, vt hic adolescens, vt iterum moriare, sed cùm corpore immortali rapta vt inter an- *Ioan. 5.*

gelorum myriadas in aëre occurras pijſſimo tuo Redemptori; quando in luce illa increata non iam per ſpeculum, & in ænigmate, ſed clarè à facie ad faciem videbis tuum liberatorem; illum, inquam, qui vt te faceret ſuæ diuinitatis conſortem, formam humanitatis tuæ aſſumpſit, & vt daret vitam, morti ſubiecit; quando ibi in illis tabernaculis iuſtorum inter voces exultationis & ſalutis, tu quoque incipies loqui, quibus laudibus, quibus benedictionibus & prçconijs celebrabis tuum Creatorem? quod te ab hac mortali vita liberatam, reſtituerit ſupernæ Hieruſalem matri tuæ, quæ nunc de tua ſalute tantoperè eſt ſollicita: Sed reuertere in te nonnihil anima mea, & cogita, ſi digna eſſe velis, vt Dominus te vocet ad beatam vitam cæleſtis gloriæ, conuenire vt nunc audias eius vocem, & non obſurdeſcas quando te vocat ad vitam gratiæ. At heu poſtquã toties vocata es, nunc conſcientiæ aculeo, & ſanctis inſpirationibus, nũc ſeruorum eius opera qui continenter, totque modis exemplo & verbis te inuitarunt & prouocarunt ad pœnitentiam, tu, inquam, plus mortua & expers omnis ſenſus quam fuerit hoc defunctũ

1. *Theſſ.* 5. 1. *Cor.* 13.

eadauer, adhuc surda & immobilis in tuo statu permanes.

*COLLOQVIVM.*

OBsecrabis Patrem æternum, vt sicut vnigenitus eius filius respiciens in afflictæ huius mulieris lachrymas, misericordia motus tetigit filij defuncti loculum, eumque resuscitatum reddidit matri suæ viuum: ita si propter peccata tua indignus sis, qui à Maiestate sua respiciaris, velit saltem in faciem Christi sui respicere, qui instar matris tanto dolore te parturijt, & tantarum lachrymarum, quas pro te fudit misertus, dignetur sancto timore tuum quoque cor tangere, vt surgens per dignam aliquã pœnitentiam ex praua peccandi consuetudine vi diuinæ suæ gratiæ ad nouam vitam exciteris.

DOCVMENTA.

1. *IS cui CHRISTVS occurrit, erat adolescens & defunctus. Vnde primo docemur quod ad mortem corporalem attinet, omnes etiam iuuenes & sanos debere vigilare, cogitareq; aliquando esse moriendum; horamque mortis esse incertam, quandoquidem hic homo in suæ ætatis flore vita defunct s est.*

2. *Cum certissimum sit nos morituros; ex-*

*perien-*

perientia enim quotidiana, qua videmus ante oculos homines mori, non patitur nos de ea re dubitare: omnis cura & studium nostrum in hoc positum esse deberet, vt moreremur in Domino: in scriptura enim beati dicuntur, qui in Domino moriuntur, nullum autem præstantius & securius ad hanc rem medium est, quam viuere piè, dum sani sumus, & pœnitentiam non prorogare in finem.

3. CHRISTVS mandauit Viduæ, ne fleret, simul cohortans nos omnes, ne immodicè deploremus nostros defunctos, sed potiùs spe futuræ resurrectionis nos cõsolemur. Nam infideles & Ethnici, qui spem talem nõ habent, meritò deplorant mortuos suos: nos verò qui credimus, certissimamq; putamus esse resurrectionem nostram, nullam mœrendi causam habemus.

4. CHRISTVS misertus matris resuscitauit filium. Optimum est nos esse vnitos Sanctæ Ecclesiæ matri nostræ, tanquam filios obsequentes: qui si aliquando per peccatum incurramus mortem spiritalem, quid nobis miseris fieret, si hæc misericors mater suis precibus & lachrymis Dei misericordiam non inflecteret ad resuscitandum nos, & diuinæ gratiæ vitam nobis reddendam?

5. TVNC defunctus extra portam ciuitatis elatus est, quando homo aliquo suorum sensuũ, qui sunt quasi animæ portæ, Deum lethaliter offen-

sendit, vt, quando peruersa intentione, vel prauo desiderio oculos in aliquem defigit: quando disseminat discordias inter fratres, quando cõtumeliosè loquitur de Deo vel proximo: quando libenter aures præbet detractionibus, & prauis colloquijs, & similiter quando reliquos sensus non custodit, patefaciendo aditum morti animæ suæ.

6. Hic defunctus resuscitatus fuit à Christo sub porta ciuitatis. Laboremus & nos, interea dum peccatum mortale est sub porta, dum tentatio est in principio, & Dominus remorsu conscientiæ tangit cor, vt subito surgamus & occasionem peccandi fugiamus, antequam Dæmon in executione operis nos illaqueet, & postea per prauam consuetudinem omni remedij spe abiecta in sepulchrum æternæ damnationis nos pertrahat.

7. De hoc defuncto scribit Euangelium. Primò, quod CHRISTVS accedens tetigerit loculum. Secundò, quod adolescens surgens resederit. Tertiò, quod cœperit loqui. Quartò, quod restitutus sit matri suæ. Sic Peccatorum primò Christus præuenit sua gratia, & per peccati agnitionem suæq; salutis desiderium tangit eius cor: Secundò per pœnitentiam & dolorem de peccatis peccator surgit. Tertiò incipit loqui, accusando se in Confessione. Deniq; beneficio absolutionis & satisfactionis matri suæ Ecclesiæ vinus restituitur.

8 TRES

Matt. 9. Luc. 7. Ioan. 11.

8. *Tres mortuos excitauit Christus. Primum intra domum. Alterum in porta vrbis. Tertiũ, iam sepultum & fætentem. Primus designat peccatum cordis, quod committitur consensu interno & prauis cogitationibus. Secundus quando peccatum verbo & opere prauo foras prodit. Tertius, quando peccator iam quasi sepultus in habitu, & mala consuetudine peccandi, per malum exemplum, quo alios corrumpit, fætet. Omnes hos sanat & resuscitat Dominus, quando verè pœnitentes redeunt ad ipsum Sed tanto facilius excitantur per gratiã, quanto minùs debilitati & mortificati sunt per culpam.*

9. *Vidua quia defleuit mortem sui dilecti filij, meruit vt Christus misericordia motus, eũ resuscitaret sic tu, si animam tuam amas quando aduertis te esse in aliquo peccato mortali, doleas & deplores eius mortem, vt mereari diuinæ misericordiæ tactu à Christo ad vitam reuocari.*

DE

# DE CONVERSIONE MAGDALENAE.

## MEDITATIO XXXIII.

### EVANGELIVM.

ROgabat quidã de Pha. Luc. 7.
riſæis Iesum, vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrũ vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Phariſæus qui vocauerat eum, ait intra ſe dicens. Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.

Et

Et respondens Iesus dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait. Magister dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori. vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit. Aestimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei. Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis nō dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis terſit; Oſculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit oſculari pedes meos: Oleo caput meum non vnxisti; hæc autē vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam. Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se. Quis est hic, qui etiam pecca-

ta

a dimittit? Dixit autem ad mulierē: Fides tua te saluā fecit: vade in pace.

## FIGVRA.

MVLIER Sunamitis mortuo suo filio, abÿt quæsitum Prophetam Helizæum, & prostrata ante illū, apprehendit pedes eius amarissimè plorans, nec dimittere voluit, nisi secum iret ad resuscitandum filium. 4. Reg. 4.

## PROPHETIAE.

1. IN caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Ierem. 31.

2. Postquam conuertisti me, egi pœnitentiā, & postquam ostendisti mihi, percussi fœmur meum, confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Ibid.

3. Meditata est in spiritu suo per diem æstus, idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob: & iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius, cum posuerit omnes lapides altaris, sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci & delubra. Esa. 27.

4. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem; Psal. 44.

*tem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.*

Psal.121. 5. *Qui seminant in lachrymis in exultatione metent.*

## CONSIDERATIONES.

Punct.1. INter opera Dei quæ homines maximè admirantur, illud non minimum est, quod tam benignum & suauem se declaret ergà peccatores, contra verò ergà iustos & amicos suos seuerum & austerum. Nam bonum Apostolum Petrum, singularem Domini amatorem, cum aliquando naturali motus misericordia eum rogasset, ne pateretur se occidi, appellauit Sathanam, &
Matt.16. durè ei respondit. Sceleratum verò Iudam, cum sacrilego illo osculo ab eo impiè proderetur, magna benignitate vocauit amicum. Similiter considera, qua seueritate exceperit sponsam suam tanto amore erga ipsum flagrantem,
Cant.5. cùm ad verba illa, *Aperi mihi soror, mea sponsa*, non statim aperuisset ostium, abscessit enim, & ita se abscondit, vt magna sollicitudine & labore postea eum quærere debuerit in plateis, & à custodibus ciuitatis verbera & vulnera multa accipere. Seueritas quoque in iustos,

ſtos, apparet in illis Prophetæ verbis. *Cùm auerterit*, inquit, *ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis.* Ezech. 18. Et paulò ante dixerat. *Omnes iuſtitiæ eius quas fecerat non recordabuntur.* De peccatoribus verò vide quàm benignè & humaniter loquatur: dicens. Si impius pœnitentiam egerit de omnibus peccatis ſuis, & præcepta mea cuſtodierit, feceritque quicquid iuſtum & conueniens eſt, viuet, & non morietur, nec omnium iniquitatum eius quæ fecit, amplius recordabor. Videmus Num. 12. quoque quomodo tractauerit Mariam ſororem Moyſis tanti amici ſui: quæ quoniam ſemel muliebri leuitate obmurmurarat fratri, à capite ad calcem operata eſt lepra, & ſeptem diebus à populo ſeparata. Nunc verò hæc Magdalena peccatis onuſta, quæ toti ciuitati erat offendiculo & ludibrio, tam benignè à DOMINO Exod. 4. recipitur, tanto ſtudio defenditur, & tanto verborum præconio honoratur, Quid verò id ſibi vult ô Clementiſſime DOMINE? Moyſes ſeruus tuus ferebat in manu virgam, qua in populo ſuo res admirandas efficiebat, at contra Pharaonem regnumque eius vertebatur in ſerpentem venenatum.

Tu

Tu cõtra in peccatores vteris virga flexibili & delectabili, erga iustos vero & amicos tuos videris conuerti in terribilem serpentem. O iudicia Dei incomprehensibilia, quàm sapienter nouit cum hominibus agere secundum cuiusque necessitatem, maiusque commodum iustos timore, à lapsu arcendo, ne in superbiam elati corruant, peccatores autem spe veniæ erigendo, ne desperent, sed potius hac beneuolentia ad amorem diuinæ Maiestatis prouocentur.

2. QVODAM ergo die quidam de Pharisæis rogabat IESVM vt secum manducaret. Considera, bonum IESVM ex summa benignitate, & continuo zelo animas iuuandi, nunc manducasse cum publicanis & peccatoribus, vt eos induceret ad pœnitentiam: nũc cum suis amicis & familiaribus, ad conseruandum, augendumq; in eis amorem & deuotionem. Aliâs etiam cùm cognatis & pauperibus parentibus, vt eis prodesset, & inopiæ eorum subueniret. Nonnunquam cùm Pharisæis, ad corrigendam reprimendamque eorum superbiam, vti nunc cùm hoc fecit. Solebat quoque pauper IESVS, vt bonis huius mundi destitutus, humili-

ter

ter & cum gratiarum actione acquiescere eorum voluntati qui eum inuitabant. Felix hospes, qui ditare consueuit hospitium, quodcunque ingressus fuerit: scriptum enim est, omnia bona pariter venire cum illo. Felix conuiuium, in quo reperitur Christus, quia solet inuitatoribus suis impartiri cibos vitæ & æternæ salutis. Sed quid mirum, Christum rogatum adire conuiuia? cùm tanta sit eius bonitas, vt ipse desideret, & roget se inuitari, *Ego sto*, inquit, *ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo*. Imò aliquando non rogatus inuitauit seipsum, vti fecit bono Zachæo, nec aliam ob rem, quam ad conuertendos & lucrandos peccatores. Vide quàm cupidus erat nostræ salutis IESVS: licet enim obmurmurarent de eo Pharisæi, quod manducaret cum peccatoribus, & ab alijs æmulis obseruaretur ad struendam ei calumniam, nunc tamen ab illis inuitatus, subito acquiescit, domum ingreditur, & mensæ accumbit iuxta suos calumniatores, tantùm vt hanc peccatricem conuerteret & lueri faceret.

*Sap.7.*

*Apoc.3.*

*Luc.19.*

3. IESV discumbente, *ecce mulier quæ*

*erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod accubuisset in domo Pharisæi attulit alabastrum vnguenti.* Verisimile est Magdalenam partim prædicatione, cui fortè aliquando interfuerit, partim inculpatæ vitæ exemplo, miraculorumque fama cõmotam, vt intellexit eum in domo Pharisæi versari, in intimo cordis dolore de peccatis tactam, diuinique amoris igne accensam confestim statuisse de eo adeundo. Verùm vnde tantum lumen, tamque ardens adeundi Christi desiderium oriri potuit menti tam obscuratæ, tamq; frigido pectori, nisi ab ipso Christo, vera luce, relucente in tenebris? qui vno tantum suæ lucis radio immisso in cor Magdalenæ, prorsus effecit, vt suas sordes, suique status turpitudinem agnosceret. Vnde illa stimulata, tum dolore, tum amore attracta, erigens se ex templo cucurrit ad misericordiæ fontem sui lauandi & mundandi causa. Et cucurrit quidem ipso meridie, alterius vel temporis vel consilij impatiens, ita enim doloris vehementia mentem eius occupârat, vt non aliud quàm de magnitudine sui lapsus cogitare posset. Vadit igitur, & irruit, nullo habito ad conuiuas respectu in domum, vt quærat Christum.

At quid facis mulier, quo vadis ? non iam vel locus, vel tempus est agendi, quod tu cogitas; ad hoc tuum negotium quærenda non sunt testimonia vel loca publica; satius esset expectare, donec se Christus in locum aliquem priuatum recepisset, & non ita præposterè seipsam pudefacere in illius Pharisæi, murmuratoris, aliorumque honoratorum virorum, qui conuiuio intererant, præsentia: qui, vbi viderint, quid rerum agas, arbitrabuntur te stultam, & efficient, vt toti ciuitati fias fabula. O Sancta Magdalenæ stultitia, ô prudentia stulta & mundo reproba, qui parum de rebus diuinis intelligit. Tunc verè Magdalena erat stulta, quando suæ carnis seruiebat desiderijs, at in hoc facto, non iam mulierem, sed hominem sapientem & masculum se demonstrauit. Labi & peccare, magna stultitia, & res pudore digna est, sed à peccato resurgere, & pœnitentiam agere magna virtus & sapientia est. Non pudet ergo Magdalenam, quia tanto pudore peccatorũ suffundebatur intus, vt nihil amplius arbitraretur pudore dignum foris. vnde ingressa in locum, vbi Christus discumbebat, in conuiuarum præsentia,

interq; fercula cepit offerre illi lachrymas, mæstisque gemitibus & suspiriis omnes contristat, & iucunda eorum interrumpit colloquia. Importunus certè fuit hic Magdalenæ aduentus, non Christo, sed alijs conuiuis: ferebat enim illa secum in vase sui cordis, odoriferum vnguentum acceptum & gratum Domino, humilitatis & contritionis, de quo Scriptum est. *Cor contritum & humiliatum DEVS non despicies.* Psal. 50.

4. CONSIDERA profundam huius peccatricis humilitatem: nam summo criminum suorum, quæ videbat esse abominanda, pudore affecta, non audebat in conspectum illius se dare, cuius mundissimi oculi in iniquitatem respicere non possunt: sed retro sead pedes eius abiecit. Non verebatur vllos circumstantes, nisi solum Christum, & ideo in præsentia quidem omnium ingreditur, sed post solos Christi humeros se abdit. Voluit quoque stare retro, in loco, vbi per peccata sua erat collocata; nam Dominus velut mundos corde vult versari in conspectu suo, ita peccatores vult remanere à tergo. Accessit deinde retro, vt peccata sua humeris Christi imponeret: ille enim per Prophetam dixit, *Supra dorsum meum fa-* Abac. 1. Psal. 128.

*brieaue*
*quitate*
*ptum*
*& dol*
*retro*
*tis illi*
*postq*
*solitu*
*valles*
*& fer*
*bus c*
*eam*
*recur*
*vocib*
*repo*
*5. M*
*secus*
*lachr*
*eius*
*gidis*
*diuin*
*& li*
*rum*
*lam*
*Chr*
*eam*
*verb*
*tur*
*SV.*
*gul*

*bricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.* Et certè ille est, vti scriptum est, *qui vere languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Denique retro adijt Christum instar inobedientis illius ouiculæ, quæ deserto grege postquam errabunda annis multis per solitudines, & incultas huius mundi valles aberrauit, tandem lacera, sordida, & ferarum infernalium crebris morsibus cruentata, audita pastoris sui, qui eam quærebat, voce, dolenter ad eum recurrit, & abiecta ad eius pedes mæstis vocibus rogat, vt in humeros receptam reportare velit in vetus ouile. *Esa.53. Luc.15. Matt.13.*

5. MAGDALENA stans retro secus pedes Christi cœpit amarissimè lachrymari. nec mirum. pectus enim eius consuetudine peccandi instar frigidissimæ glaciei obriguerat, & ideo diuino admotum igni mox solutum & liquefactum est in aquas lachrymarum. Verum quibus verbis putamus illam vsam, qua petitione in illo ad Christum accessu. Certè non legimus eam locutam, vel vnum protulisse verbulum: multum autem loquebatur corde in auribus clementissimi IESV. Doloris vehementia, crebrique singultus non permittebant, vt vel vnum

verbum exprimeret, sed lachrymæ illæ, illa suspiria & gemitus, & supra omnia contritio illius cordis humiliati, tantæ erant voces, tantique clamores, vt non solùm ad cœlum pertingerent, sed cor etiam ipsius Dei penetrarent. Considera igitur, quomodo hæc peccatrix ad pedes Christi ploret, quomodo eos irriget & lauet lachrymis, quomodo capillis capitis sui tergat, & pretiosis vnguentis suis inungat, quam vehementi & intimo affectu, dolore amoreque mixto sæpius osculetur, constringat, & lachrymosis oculis suis applicet? Reputabat quidem illa se tactu sacrorum pedum indignissimam, sed ab amore, qui modum nescit, expugnata, non potuit se abstinere à contactu. O quanto libentiùs proprio suo sanguine illos vnxisset & lauisset, si digna fuisset illum profundere ob amorem illius, à quo tantam consolationem recipiebat. Vnde quamuis minimè loqueretur, tamen ita videbatur loqui voluisse. Domine mi hæc vita non erit mihi ampliùs grata & cara, nisi quatenus me facit venire ad te, à quo tanto beneficio sum affecta; vt sic amando te, & tui amore ardendo, mihi deficere incipiam, & tandem

dem in tui amoris abyſſo planè immo-
riar.

6. CONSIDERA ex altera par-
te, quid egerit Dominus. Vide quanta
beneuolentia eam ſuſcipiat, qua attentione & voluptate eam intueatur, & quàm patienter toleret omnia, quæcunque illa facit. Obliuiſcitur etiã quodammodo cibi, atque ſi alium cibum longe gratiorem hæc illi attuliſſet, & ſimul cum eo à manducatione abſtinent omnes conuiuæ, hac nouitate prorſus attoniti. Cæterum quos motus, quæ ſenſa animi, quæ ſingularia dona putamus Chriſtum communicaſſe Magdalenæ, dum illa pietatis officia exerceret ad pedes illius, qui tunc temporis intus in corde eius operabatur. Venit illa quidem ad IESVM, ſed ab illo longè fortius attracta fuerat; vngebat quidem pedes eius vnguento, ſed contra hic vngebat animam eius Spiritu Sancto; illa lauabat pedes eius lachrymis, ſed hic ſanguine ſuo eam lauabat à peccatis; illa tergebat pedes ornatis capillis, ſed hic ornabat animam eius cæleſtibus donis & virtutibus; illa denique ingenti amoris affectu illum oſculabitur; hic verò dabat ei oſculum pacis, quod exuperat omnem ſenſum, *Phil. vlt. Pſal. 84.*

Vide nunc, quomodo misericordia & veritas obuiauerint sibi, iustitiaque & pax se mutuo osculatæ sint. Venit Magdalena humili sua pœnitentia afferens veritatem & iustitiam: Christus verò ei obuiat afferens misericordiam & pacem. Filius Virginis immundæ peccatricis manibus tangitur; sed dum hæc mundissimos eius pedes rigat lachrymis, vnguẽto perfundit, & omnibus caritatis officijs illum honorat; ille contra pro peccatorum eius magnitudine, multitudinem misericordiarum suarum in illam copiosè effundit vt *vbi abundauit delictum, superabundet & gratia*; Lætantur angeli supra peccatrice pœnitentiam agente, & tota cælestis Hierusalem pretiosi illius vnguenti odore repletur.

*Rom.5.*
*Luc.15.*

7. PHARISAEVS, qui CHRISTVM inuitarat, videns rem à muliere gestam, zelo indiscreto plenus, vtpotè qui legi tantum timoris, non amoris & misericordiæ operam dederat, non solùm non commotus est, aut humilitate huius peccatricis, aut benignitate Saluatoris, sed vtraque fuit scãdalizatus, murmurans intra se; & condemnans quidam mulierem velut peccatricem & temerariam, Christum verò cen-

rò censens ne quidem prophetam esse vel sanctum, vt qui tangentem se non agnosceret. O stulte & cæce Pharisæe, qui eum quem paulo ante confitebaris esse Prophetam, eo quod tui misertus esset, teque à lepra mundasset; nunc cum miseretur huius miseræ peccatricis, eamque conatur mundare à lepra spirituali, diffiteris esse Prophetam. Optimè norat IESVS illam fuisse peccatricem, sed idcirco venerat, & de cælo descenderat, non vt vocaret iustos, quemadmodum ipse loquitur, sed peccatores ad pœnitentiam, non itaque horret, non grauiter fert tangi à peccatoribus is, qui pro salute peccatorum voluit fieri homo, & pro illis vitã profundere. Inuide Pharisæe, qui molestè fers idem beneficium in alterum conferri, quod tibi à Domino præstitum est. Inuitasti IESVM, non ad eum honorandum, sed contemnendum; inuitasti eum, vt pasceres, sed nescis quo cibo ille maximè pascatur. Cibus eius non est, iustitiæ seueritas, sed commiseratio & caritas erga peccatores. Quid enim, quæso, fecisset hic Pharisæus, si mulier hæc se peruoluisset ad eius pedes? certum est, aliud dicturum non fuisse, quam quod nomine Luc. 5.

ciusmodi hominum dixit Propheta. *Recede à me, non appropinques mihi, quia immunda es.* Magdalena quidem immunda appropinquauit Christo, sed recessit munda: appropinquauit infirma, sed recessit sana: appropinquauit peccatrix, sed recessit iustificata.

Esa. 65.

8. CAETERVM considera hic, quomodo IESVS diuino spiritu cognoscens Pharisæi peruersas cogitationes, vt animæ quoque hospitis sui remedium salutis afferret, magna beneuolentiæ significatione ad eum conuersus, narratione elegantis & mysticæ parabolæ de duobus debitoribus, & mulieris famam defenderit, & illum errore mentis liberarit. Vbi primo expende, quàm sapienter Dominus superbiam Pharisæi fregerit, efficiendo vt sententiam contra seipsum proferret, confitereturque se minùs in caritate esse perfectum; ac proinde Deum ab illa fœmina impensius quàm à se amari. Deinde considera magnam eius bonitatem: duplicem enim iniuriam fecit Pharisæus: alteram CHRISTO, quod iudicarit eum non esse Prophetam; alteram mulieri, quod vocarit peccatricem. CHRISTVS non laborat de sua iniuria amolienda; tantum

tum

tum suscepit patrocinium famæ mulieris. Non erat satis tibi, bone IESV, tanta benignitate mulierem recepisse, eiusque errata omnia condonasse, sed voluisti quoque eius esse contra calumniatores patronus & aduocatus. Heu Domine mi, cùm flagellarere, illuderere, crucifigerere, à vertice ad plantam pedis conuulnerarere, nunquam legeris vel vnum verbulum dixisse in tortores: & nunc quando vna de tuis iniuria afficitur, tam vehementer commoueris: cuius alia causa non est, nisi immensus tuus erga nos amor, qui facit, vt contumeliæ & cruces sacro vestro corpori illatæ tibi viderentur leues; iniuriæ verò quantumuis exiguæ tuis electis illatæ tibi fuerint graues & intolerabiles: idque indicare voluisti illis Prophetæ verbis. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2.

9. CVM Pharisæus sententiam suam dixisset, conuersus ad mulierem DOMINVS ille, qui libenter beneuolam faciem suam conuertit in amantes se, & per pœnitentiam adipsum redeunt, dixit Simoni, *Vides hanc mulierem?* quasi diceret, tu non nosti

quænam illa sit, tu consideras tantum externa, ego autem inspicio eius cor. Falleris Simon, non est hæc mulier, qualem tu putas, non enim peccatrix est, sed iusta est, imò iustior, & laude dignior, quàm tu. *Intraui in domum tuam*, & illa venit me quæsitum in domo aliena: *aquam pedibus meis non dedisti*, quæ tam facilè potest haberi, *hæc autem lachrymis* tanto dolore ex corde suo *expressis riguit pedes meos*. *Osculum mihi non dedisti, nec oleo caput meum vnxisti*, nec alia officia, quæ beneuolentiæ ergo hospitibus deferri solent, exhibuisti: *hæc autem non cessauit osculari, & vngere pedes meos*, pluris faciens pedes meos, quàm tu feceris caput. Vbi considera quàm grata fuerint Domino hæc opera: nam non solùm laudat generatim opera caritatis Magdalenæ, sed sigillatim singula ponderat, & omnes circumstantias eorum exaggerat, cuique suam tribuens laudem. Vbi etiam animaduertis, quam grata sint Domino opera pœnitentium, etiamsi illa faciant ad satisfaciẽdum pro suis peccatis. Imò tanta est huius liberalissimi Domini bonitas, vt non solum eius quod facere obligamur, sed etiam quod pro expiandis peccatis patienter toleramus, se faciat debitorem, obli-

obligando se ad reddendum cuique operi certum præmium.

10. DIXIT deinde IESVS ad mulierem. *Remittuntur tibi peccata*. O verbum dulce, ô felix nuntius. Quis mihi, bone IESV, dabit ex ore tuo benedicto tam optatum audire verbum? Habeant sua regna Reges, habeant suas ditiones Principes, ego tãtum ex ore tuo audiam. Remissa sunt tibi peccata tua. Hæ sint meæ opes, hæc regna & Principatus: non enim aliud est peccatorum remissio, quàm diuinæ gratiæ consecutio, esse filium Dei, & cælestis regni hæredem. O felices lachrymæ, quę tantum donum obtinere meruistis. O quàm libenter Magdalena audijt hoc verbum tanto amore ex ore Domini sui profectum. Quoniam verò Dominus paulò pòst subiunxit. *Fides tua te saluum fecit, vade in pace*, cogita quantam pacem & tranquillitatem animi tunc senserit, quomodo omnis dolor & perturbatio mox abscesserit. Non secus cor eius pacificabatur & mens tranquillabatur, quàm post cælum ventorum turbine agitatum, nubibusque atris coopertum & pluuium, subito mutatur tempus, leniorque ventus aspirat, cessat imber, disparent nubes, & aëre serenato sol ra-

dijs ſuis iucundiùs illuſtrat orbem quàm prius. Sic enim, (nam verbum Dei ob infinitam ſuam vim efficit in animis, quod ſignificat) ſimulatque dixit illi, *vade in pace*, Magdalena tota ſerenata eſt; ſentieſque ob hoc ſponſi ſui verbum inſolita quadam dulcedine animam ſuam colliqueſcere, tantam conſolationem non ſuſtinens, cõfeſtim ſurrexit, & ſe è conſpectu Chriſti proripuit.

*Prou. vlt.* 11. O mulier prudens, ô mulier verè fortis, de qua ſcriptum in Prouerbijs, *Mat. 13.* quod primo conſiderarit agrum, deinde emerit. Quis verò eſt ager ille, niſi is, in quo prudens mercator inuenit theſaurum abſconditum, & vt emere illum poſſet, vniuerſa quæ habuit, vendidit. CHRISTVS IESVS erat hic viuus ager; in quo omnes ſapientiæ diuinæ theſauri ſunt reconditi. Hunc agrum conſiderauit & emit prudens Magdalena, quando agnita ſuorum criminum grauitate, conſiderans quàm bonus, ſuauis & miſericors eſſet Dominus, decreuit renuntiare mundo, omnibuſque eius pompis & delitijs, & abijcere ſe ad CHRISTI veſtigia. Verum quid dico Magdalenam emiſſe, imò vi occupauit agrum illum, cum ſcriptum

ſit,

sit, Regnum cælorum vim pati, & capi à violentis. Nã actus ille generosus huius mulieris, illa perfecta sui abnegatio omniumq; rerum, illa caritatis officia, illi amabiles cordis affectus, in eum modũ ligarunt manus, & rapuerunt Christi pectus, vt quodammodo fuerit coactus illi omnia condonare, & præter eximiũ gratiæ donũ seipsum totũ illi donare. Vnde liquet, quàm magnum thesaurum inuenerit Magdalena, cùm inuenit Christum, & quam diues domũ redierit, quia redijt cũ Christo. Iuit quidem, vt loquitur Propheta, flens & mittens semina sua cum lachrymis, redibat autem cum lætitia & exultatione, magnos manipulos ex humili pœnitẽtia reportans. *Matt. 11.* *Psal. 125.*

12. O anima mea, cùm non minùs sis peccatrix & inops, imò forte plus, quàm mulier ista, vade & tu ad conuiuium hoc, quandoquidem ab eo nõ sunt excluſi peccatores, si fortè possis cum Magdalena aliquam gratiam & indulgentiam referre. Considera igitur in hoc conuiuio tria conuiuia, in quorum quolibet poteris pasci & gaudere, si attentè illa perpendas. In primo Pharisæus inuitat Christum eique mensam apponit. Vbi discere potes,

quã

qua ratione tu quoque illum inuitare debeas, tum in teipso, pascendo eum sanctis cogitationibus & desiderijs, tũ in membris suis, subueniendo proximis in eorum inopia & ærumnis. In altero Magdalena inuitat CHRISTVM porrigendo illi in cibum, cor suum cõtritione & dolore peccatorum conditum, & diuini amoris igne assatum, vt tu quoque discas similiter præparare cor tuum, vt possit esse cibus CHRISTI, quemadmodum ipse vult, & postulat illis verbis, *Fili præbe mihi cor tuum.* Prou. 25. In tertio conuiuio CHRISTVS ipse inuitat Magdalenam, in quo dum illi dedit panem suæ gratiæ & remissionis peccatorum, degustandam præbuit ineffabilem suam dulcedinem & suauitatem; qua capta desipere ei cœpit mundus cum omnibus suis illecebris; vt tu quoque diuini huius cibi desiderio tenearis, & assiduè eum postules à Christo. Sed heu misera anima mea, quoties dulcis IESVS te ad conuiuium suum inuitauit, quoties mensam multis & pretiosissimis ferculis instructam tibi apposuit; & tamen semper manes famelica, & arida omni deuotionis humore destituta. Magdalena post multas lachrymas, & intimũ cordis

dis dolorem, obtinuit gratiam consolationis & pacis, sed tu, cum non possis vel vnam horam veræ deuotioni impendere, vel vnam lachrymulam ob duritiem cordis effundere, quid mirum, si huius sacri cibi nullum sentias gustum, vel percipias fructum? Vade saltem, & adiuncta huic peccatrici intra domum Pharisæi, abijce te ad Saluatoris pedes, & si ille non dignabitur tibi, vt indignæ & immundæ porrigere suos pedes, obsecra illum, vrge, & lachrymabili gemitu coge, vt postulata concedat: benignus enim est, & gaudet, si importunitate precum à nobis vincatur; Et si aliquando videretur tibi oculos à te auertere, aures claudere, & faciem obtegere, tu nihilominus ne cessa, sed dic vna cum Propheta. Vsquequo clamabo Domine, & non exaudies? quousque auertes à me faciem tuam? Redde mihi, bone IESV, lætitiam præsentiæ tuæ, inclina aures tuas, & exaudi orationem meam, respice in me, & miserere mei quia pauper sum & mendicus, & anima mea aruit, tanquam terra sine aqua, quæ nullum humorem habet.

*Psalm.21. 12.50.16. 24.140.*

COL-

## COLLOQVIVM.

ORABIS CHRISTVM Dominum, refugium peccatorum, & ſpem pœnitentium, vt ſicut Magdalenæ lachrymis rigenti eius pedes, & exoſculanti ſinum miſericordiæ aperuit, & veniam peccatorum conceſſit; tibi quoque impertiat gratiam, vt patientiam agens de vita malè hactenus acta intimæ compunctionis lachrymis ſupplex eius pedes irriges, humilisque ac deuotæ orationis labris deoſculeris, vt cum Magdalena vocem illam elementiæ plenã, Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, audire merearis.

## DOCVMENTA.

1. PER *pedes Domini deſignantur pauperes, qui ſunt quaſi infima pars ſui corporis myſtici. Itaque peccator ſi velit obtinere peccatorum ſuorum veniam, adiungere ſe debet ad hos pedes, viſitando illos, & cognoſcendo eorum neceſſitates, rigare debet lacrymis, miſerando eorum ærumnas: tergere capillis, ſuis bonis temporalibus ſubueniendo; & pedes oſculari, ſigna beneuolentiæ & humanitatis demonſtrando, quando in ſuis neceſſitatibus ad eum recurrunt. Denique debet vnguento vngere, confortando & conſolando illos in ſuis calamitatibus.*

2. Tuus

2. *Tunc exemplo pœnitentis Magdalenæ, proximi sumus pedibus Domini, quando per veram pœnitentiam conuersi insistimus eius vestigijs, quibus ante eramus contrarij, cum non viam Christi, sed mundi teneremus: tunc sacrum eius corpus inungimus, cùm sanctè viuendo odore virtutum nostrarum bonũ exemplum damus fidelibus, & Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum.*

3. *Ab hoc Magdalenæ facto omnis peccator sumere debet formam agendæ pœnitentiæ. Nam sicut illa peccando Deum offendit oculis, capillis, manibus, ore, & vanis corporis odoribus, conuersa verò oculis lachrymauit, capillis pedes Christi terfit, manibus mundauit, ore deosculata est, & odorifero vnguento tinxit; Sic peccator, sicut Deum offendit culpa, ita conciliare eum debet contraria pœna, exercendo se in ijs virtutibus, quæ repugnant vitijs à se commissis: mediaque omnia, quibus malè vsus est ad irritandum DEVM, conuertere in totidem media virtuti consentanea ad Dei cultum & gloriam.*

4. *CHRISTVS non solùm benignè suscepit hanc peccatricem, sed passus est etiam, vt faceret, quicquid vellet: ad dandum nobis exemplum, ne duri & asperi in peccantes simus, sed potiùs clementes & misericor-*

*sericordes compatiendo eorum fragilitati; vt hac ratione suauiter pertrahantur ad CHRISTVM, nec veniant in desperationem; Si enim nos ipsos considerauerimus, intelligemus facilè & nos in similes aliquando calamitates incidisse, aut certè cadere aliquando posse.*

5. *CHRISTVS Pharisæum, à quo erat inuitatus arguit de tribus defectibus. Primò, quod pedes suos ex itinere lassos non lauisset. Secundò, quia osculum amicitiæ symbolum non dedisset. Tertiò, quod caput oleo non vnxisset, vt significaret ad hospitalitatem requiri tres conditiones. Primò misericordiam, lotione pedum significatam. Secundò caritatem, significatam osculo, quod est signum amoris. Tertiò, iucundam tractationem, qua hospites sunt recipiendi, significatam oleo, quo caput inungitur.*

6. *Hoc Magdalenæ facto, vt quod tanta existens peccatrix misericordiam consecuta sit, & non solùm peccata ei condonata sint, sed etiam ad tantam sanctitatis perfectionem ascenderit, vt æquata sit Apostolis, DEVS indicare voluit, nullum peccatorem quantumuis maximum debere desperare, cum fieri possit, si sibi deesse nolit, vt multos alios Sanctos, non æquet solum, sed etiam superet. Contra pij & sancti non debent nimium sibi confide-*

*re,*
*& me*
*lorum.*
*7. N*
*duit q*
*risæi,*
*se hun*
*nos, q*
*puder*
*re, &*
*nus, p*
*ria pr*
*calun*
*C*

re, quia si segnes sint, fieri potest, vt publicani & meretrices eos præueniant ad regnum cælorum.

7. Magdalenam licet peccatricem non puduit quærere CHRISTVM in domo Pharisæi, & in præsentia omnium conuiuarum se humiliare, & ad pedes eius lachrymari: sic nos, quando lapsi sumus in aliquod peccatum, pudere non debet, medicum spiritualem adire, & nostra errata ei aperire, multo verò minus, propter hominum dicta, opera satisfactoria pro peccatis, negligere: nam si homines nos calumnientur, laudabimur cum Magdalena à CHRISTO, & in omnium Angelorum præsentia aliquando in cælo ab eodem honorabimur.

DE

# DE MVLIERE EXTOLLENTE VOCEM IN TVBA, ET DE MATRE ET FRATRIBVS DOMINI QVAERENTIBVS EI LOQVI.

## MEDITATIO XXXIV. EVANGELIVM.

Matt. 12. Mar. 3. Luc. 11. & 8.

FACTVM EST cum hæc diceret IESVS, extollēs vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit. Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Adhuc illo loquente ad turbas, ecce veniunt ad illum

illum mater eius & fratres", & stabant foris quærentes loqui ei; dixit autem ei quidam. Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, volentes te videre,& quærentes te alloqui. At ille respondens dicenti sibi ait. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?& circumspiciēs eos,qui in circuitu eius sedebant, & extendens manum in discipulos suos dixit. Ecce mater mea,& fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse frater meus,& soror mea, & mater est.

## PROPHETIA.

*AVRIS audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.* Iob. 29.

## CONSIDERAIONES.

CONSIDERA quomodo CHRISTVS IESVS Filius altissimi, nostrę redēptionis opus aggressurus, sicut inde ab initio demonstrauit se singularem humilitatis amatorem, humiliando se, & formam serui assumendo; atque eandem ob rem elegit patriam hu- Punct. 1. Phil. 2.

humilem, pauperes parētes, societatem hominum simplicium; breuiter, omnis eius vita non fuit aliud, quàm continuum humilitatis & paupertatis speculum: ita speciatim professus est se veniſſe ad euangelizandum pauperibus, vti dixit per Prophetam. *Pauperibus* Esa. 61. *euangelizare misit me*. Atque eodem modo semper declarauit sibi imprimis placere, si à pauperibus & simplicibus reciperetur, agnosceretur & defenderetur. Quare & natus primo agnosci, & visitari voluit à Pastoribus, & posteà in præsentatione sua in templo, voluit à simplici muliere prædicari, ab humili Ioanne Baptista baptizari, à simplici turba sermones suos audiri, à pueris laudari & honorari, ac denique in ligno Crucis, à vili & abiecto latrone defendi, & prædicari. Itaque mirum non est, eum nunc passum esse, se in tanta turba calumniantium & illudentium, voce vnius simplicis mulieris defendi, quæ cum Saluatoris excellentiam dignis laudibus celebrare non posset, beatam cœpit prædicare eam, quæ tantum filium gignere meruisset. Vide quomodo Dominus sua arcana & sublimia mysteria cælauerit superbos, & patefecerit humilibus corde, conue-

nien-

nienter illis quæ alicubi dixit ad Patrem. *Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Matt. 22. Quibus verbis æterna sapientia non aliud voluit indicare, quàm Euangelicam veritatem à superbis Iudęis contemptam, & repudiatam, ab humili gentilitate, cuius typum hæc muler gessit, magno animi sensu recipiendā & profitendam.

2. CONSIDERA, quomodo, cum IESVS benedictus energumenū quendam cæcum pariter & surdum à dæmone liberasset, idque miraculo triplici; nam non solùm dæmonem eiecit, sed visum simul & auditum eidem homini restituit obstupescente ob miraculi magnitudinem turba, Pharisæi inuidia pleni cæperint factum illud criminari, dicentes illum non propria, sed Principis dæmonum virtute dęmonem expulisse: Alij verò, atque si parui facerent hoc miraculum, malitiosè eum tentarint, petentes vt signum aliquod faceret de cælo. Vide quas gratias, quam compensationem reddiderint Domino pro beneficijs ab eo receptis: Interim mansuetissimus Iesus non se vlciscitur, neque instar Eliæ fa- 4. Reg. 1.

cit ignem de cælo descendere, quod tanto iustius facere potuisset, quanto aduersarij eius id meruerant amplius, & ipsemet optauerant; sed potius instar misericordis Medici eadem caritate, qua hominem illum cæcum & surdum à dæmone liberarat, conatur inimicorũ suorum mentibus diabolicam illam persuasionem eripere, & simul cæcitate & duritie cordis liberare. Dum ergo IESVS occupatur in acriter coarguenda, sapientissimisque rationibus conuincenda Iudæorum malitia; ecce mulier obstupefacta ob magnam eius sapientiam & constantiã, nullo vel metu deterrita, vel respectu Phariseorum, vel aliorũ Christum circundantiũ, eiq; repugnantiũ, elata voce cæpit eum collaudare, dicẽs, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti, ac si diceret. Tam magna est dignitas tua & sanctitas, tanta verborũ tuorum gratia & suauitas, vt nesciam qua alia ratione prædicare laudes tuas possim, nisi beatam prædicando illã in cuius vtero genita es, quæq; meruit talem lacte suo nutrire filium. Meritò autem hæc mulier verum castissimum immaculatæ virginis appellauit beatum: nam in illo, Verbum æternum, ille immensæ Maiesta-

ieſtatus Deus, aſſumere noſtram carnem, homo fieri, tot menſibus habitare, creſcere & nutriri voluit; poſt natiuitatem vero ſuam, eiuſdem Virginis lacte paſci & ſuſtentari. Quod ſi, vt cogitare fas eſt, felix hæc Virgo, ob hanc eximiam & ſingularem cum filio Dei vnionem & communiouem quadantenus deificata eſt, & ſupra omnes alias creaturas, humanam quoque & angelicam euecta; ſi beatus erat eius venter quod paucis menſibus ſecundùm carnem filium Dei in vtero geſtarit; quanta putamus beatitudo aceſſerit ſanctiſſimæ eius animæ, in qua continenter ipſe DEVS cum tanta donorum plenitudine, gratiarumque ſupernaturalium, habitauit? Atque hoc eſt quod dicere voluit ſponſus in Canticis laudans ſponſam ſuam illis verbis. *Quàm pulchra es amica mea, quam pulchra es abſque eo quod intrinſecus latet*, quaſi dicere vellet; magna verè eſt pulchritudo, quæ oculis hominum foris conſpicua eſt, at interna pulchritudo & beatitudo animæ ruæ, quæ ſoli Deo conſpicua eſt, longè excellentior eſt. *Can. 4.*

3. CONSIDERA, quanta ſapientia mulier iſta pauci; verbis complexa

sit altissima misteria, Iudæorum ignorantiam arguendo, & arrogantium Pharisæorum inuidiam pudefaciendo: clarissimè enim tàm diuinitatem, quàm humanitatem filij Dei confessa est, quam illi, existimantes eum purum esse hominem, impiè blasphemabant. Mulier verè fortis, quę, vt quidam scribunt, fuit ancilla Marthæ, sed rectius fuit ancilla CHRISTI; cùm enim videret Dominum suum virulentis illis linguis lacerari, tanquam ancilla fidelis voluit honorem Christi & gloriam tueri. VERVM quid dicis mulier? non aduertis Pharisæos, si testimonium tam illustre audiant, te fortè pro sacrilega condemnaturos, & è Synagoga, vt fecerunt cæco nato, exterminaturos? Verè prudens & calida fuisti, quod gratiam Christi, Iudæorum fauori prætulisti, & potius cum CHRISTO contemni, quàm à populi Principibus honorari elegisti. O quantum refrigerij, vt credere par est, misericors IESVS, in corde suo id temporis accepit, cùm tanta ingratitudine & malitia populi mæstus & exacerbatus, huius bonæ mulieris verbis, quasi refocillatus est, & recreatus: id quod apertè declarauit, quando omni-

Ioan. 9.

omnibus alijs relictis, vultu ad hanc suam deuotam conuerso respondit. *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, quasi diceret. tu beatam appellas matrem meam quod meruerit me in vtero suo gestare: & verè ita est. at ego dico, illam longè beatiorem esse, quod audierit verba mea, eaque in corde suo fideliter custodierit: imò tu quoque hac in parte beata es, quandoquidem tanta deuotione me audis, & tanto affectu suscipis verba mea & custodis.

4. CONSIDERA liberalem benignitatē & caritatē Saluatoris nostri: quod non contentus fieri homo similis nobis, habereque matrem in terra, sed, quoniam, esse matrem DEI, tam excellens donum erat, rationem & modum inuenerit, quo omnes hoc dono potiremur. Vide quantum amor nostri valuerit in pectore Saluatoris: nam cùm fieri non posset, vt patrem haberet in terra, sed tantum matrem, voluit suos fideles modo quodam magis perfecto & spirituali omnes fieri matres, imò plus quàm matres, quatenus plus est concipere & parturire CHRSTVM spiritualiter, cum fide eius verba recipiendo in corde &

opere exequendo, quam corporaliter illam concipere vel parere: sic vt nec profuturum fuerit gloriosę Virgini ad salutem esse Matrem secundum carnē filij Dei, si non etiam cum vera deuotione & humilitate eum in mente sua spiritualiter concepisset. Quare beatior & felicior fuit fide concipiendo Christum in mente, quā fuerit concipiendo tantùm in ventre: fides enim, quę per caritatem operatur, est illa, quæ æternam beatitudinem meretur. Quare rectè Elizabeth beatam pronunciauit gloriosam virginem, non quia Christum concepisset, sed quia Deo credidisset. O ergo animæ deuotæ, si optatis, & desideratis peruenire ad beatitudinem MARIAE, agite vt concipiatis, pariatis & lactetis spiritualiter CHRISTVM, sicut MARIA eum in vtero concepit, & nutriuit corporaliter. Date operam, vt concipiatis eum, audiendo libenter & cum fide recipiendo verbum Dei; pariatis quoque, id quod audistis præstando, & bonorum operum exercitio exequendo. Denique nutrite eum & educate eum in mēbris suis, nempè in proximis, succurrendo illis in necessitatibus corporalibus & spiritalibus: tunc eritis verè beati in hac vita cum

Cal. 5.

cum firmissima spe æternam beatitudinem perfectè consequendi.

5. *BEATI qui audiunt verbum Dei.* Considera pluribus modis auditione Verbi diuini hominem effici posse beatum. Primò quia est fundamentum & radix beatitudinis: nam, teste Apostolo, ex verbi diuini prædicatione, in nobis consequitur auditio, ex auditu verò verbi DEI oritur fides, quæ deindè operando per caritatem hominem prouehit ad beatitudinem. Secundò verbo Dei domo fit beatus, quia vnum medium, vnaque via ad consequendam beatitudinem est, quatenus eius beneficio homo disponitur ad deserendum peccatum, & ad exercendum se in bonis operibus, quorum merces est beatitudo. Tertiò, quia libenter audire verbum Dei magnum inditium & signum est prædestinationis, ac proinde & beatitudinis, vt bene significauit DOMINVS illis verbis. *Qui ex DEO est verba DEI audit.* Et alibi: *Oues meæ vocem meam audiunt, propterea vos non auditis, quia non estis ex ouibus meis.* Et quare non sint appellandi beati qui audiunt verbum DEI? cùm audiant DEVM ipsum, ipsis loquen- *Rom.10.* *Ioan. 8.*

tem, & docentem, de quibus dixit Pro-
Psal. 93. pheta. *Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Nam si regina Saba beatos Salomonis seruos putauit, quod digni essent audire eius sermones, quanto beatiores erunt, qui audient sermones CHRISTI, in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei? Vbi vides quàm sapienter Dominus in hac sola & simplice beatitudine omnes reliquas beatitudines veteris & nouæ legis comprehenderit. Nam multis & varijs de causis scriptum est vocari beatos. Similiter ipse
Matt. 5. Saluator aliàs, secundùm varias virtutes, varias quoque beatitudines tradidit, vocando beatos pauperes spiritu, mites, misericordes, pacificos, mundos corde & alios, quæ virtutes omnes sicut consistunt in exequendo eo, quod DEVS vult & mandat, sic omnes aliæ beatitudines in hac vna audiendi verbum Dei, illudq; opere præstandi continentur.

6. CAETERVM quid iuuat, Magistrum tuum esse CHRISTVM, verbumque eius habere vim beatificandi; quid prodest seminatorem esse bonum, & semen esse perfectum, si cor tuum sit quasi petra, & terra spinis ple-

plena distractum, obliuiosum, affectibus terrenis, & mundi curis obnoxium, ita vt diuinum hoc semen in eo radices agere nequeat, & beatitudinis fructum referre? Vnde sapientissimè Dominus post verba, *Beati, qui audiunt verbum Dei.* Subiecit, *& custodiunt illud*, id est, opere præstant: sicut in alio loco clariùs alloquens suos discipulos indicauit. *Si hæc scitis*, inquens, *beati eritis si feceritis ea.* Et hoc est signum, quo Saluator cognosci voluit veros suos amatores & amicos, sicut ipse dixit. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Ad quod exhortans quoque eius Apostolus dixit. *Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.* Et rectè dicit. nam qui multa audiunt, & parum faciunt, quando ad extremum putabunt se multum collegisse, deprehendent se oleum & operam perdidisse, vti de talibus dixit Propheta, *Seminastis multum, & intulistis parum, & qui mercedes congregauit, misit eas in sæculum pertusum.* in quem quantum injicitur, tantum elabitur. Eiusmodi sunt omnes qui audiunt verbum DEI & non custodiunt.

*Ioan.* 13.

*Ioan.* 14. & 15.

*Iacob.* 1.

*Agg.* 1.

7. DVM hæc diceret IESVS, monitus est à quodam, matrem & fratres foris stare quærentes eum videre & alloqui. Fieri potest, vt aliqui volunt MARIA IESV matre, quę ordinariè comitabatur filium ad seruiendum ei in necessitatibus, hac hora vnà cum nepotibus, qui erant Saluatoris consobrini, adueniente, malignos quosdam Iudæos à CHRISTO reprehensos arrepta hac occasione sermonem Domini indecorè interrupisse, & per ludibrium dixisse. Tu qui maiorem te Salomone facis, Ionæ Prophetæ antefers, & gloriaris te esse filium Dei de cælo delapsum, ecce radicem tuam quam habes in terra, en pauperculem matrem & fratres qui te quærunt. Potest quoque fieri id non factum fuisse ex malitia, sed MARIAM matrem voluisse reddere certiorem IESVM de suo aduentu quod vti erat humilis & verecunda, non auderet per mediam hominum turbam in domum irruere, & alloqui filium. Iam quid facies, bone IESV, dum hinc caritas te vrget ne inchoatum pro salute animarum sermonem abrumpas, illinc matris amor

*Matt.* 12. *Ioan.* 6. 10.

postu-

postulet, vt omnibus relictis mox eam adeas, quæ tanto desiderio te expectat. Verùm, quantus, bone DEVS, erat zelus, quo ardebat erga salutem nostram pectus benedicti IESV? Verè multum amabat & venerabatur matrem suam, sed magis amabat & desiderabat hominum salutem, pro quorum amore voluit ab hac matre carnem assumere, & denique vitam pro eisdem profundere. Quare mirum non est, illum à matre vocatum, prædicationis officium interrumpere noluisse, præferens spiritualem vtilitatem suæ Ecclesiæ, priuatæ vtilitati & consolationi matris suæ. Vnde bene respondit. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* extendens manum in discipulos suos dixit. *Ecce mater mea, & fratres mei*, ac si diceret, An nescitis quænam sit mater mea, & qui fratres mei: certe non illi solùm, qui carne mihi sunt coniuncti, sed etiam, qui amore meo accensi sua prædicatione bonoque exemplo pariunt in proximorum cordibus, nec non illi, qui obsequentes voluntati Patris mei, mecum erũt cohæredes in cælo. Hi verè sunt matres meæ, & fratres mei. Vide quàm pru-

denter Dominus dissimulet se cognoscere matrem, indicetque se impensius amare sibi cognatione spiritali coniunctos, quàm proprios parentes. Id quod non fecit, quasi maternæ caritatis officia minùs illi grata essent; nam ipse mandârat, vt vnusquisque honoraret patrem & matrem suam, sed quod affectui materno voluerit anteponendum cultum & gloriam cælestis Patris. Itaque exemplo demonstrauit, quod verbo alibi docuerat, dicens. *Qui amat Patrem vel matrem, plus quàm me, non est me dignus.* Non igitur contemnebat, vel verecundabatur humilis IESVS humanam vel carnalem cognationem sed tantum spiritalem voluit præferre c rnali, & amorem ac seruitium DEI præferre amori parentem.

Exod. 20.

Luc. 14.

8. CONSIDERA denique verba illa consolationis plena ad omnes fideles, quæ subiunxit Dominus dicens. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, is frater meus, soror & mater est.* O singulare decus & vim incredibilem virtutis, quæ hominem ad tam excelsum gradū euehere possit, vt apud Deum creatorem suum obtineat locū matri, & fratris. O quot sunt, qui ad-

admirentur felicem hanc virginem, quod meruit concipere filium Dei, & beatum prædicāt sacrum verum in quo inclusa fuit totius diuinitatis plenitudo. Sed quis vetuit, vt ne ad hanc dignitatem aspirarent ? Ecce Dominus ipse demonstrat viam rectam, qua perueniamus, non solùm ad hunc, verum etiam ad multò sublimiorem gradum. Multo enim coniunctiores Deo sunt, qui faciunt eius voluntatem, quam qui cognatione secundùm carnem eum attingūt. Quid non faceret homo, si sciret in potestate sua esse, fieri fratrem Imperatoris vel Regis? at quanto excellentiùs est esse fratrem Regis gloriæ, & cæli hæredis? & tamen si esse volumus, id in manu & potestate nostra Dominus posuit. Dignitas verè magna, & misericordia inæstimabilis, hominem miserum vocari matrem & fratrem Domini, qui nō erat dignus vocari seruus. Quod donū ineffabile, cùm non possimus comprehendere, conemur saltem dignè reuereri, omni studio curando ne degeneremus, vel per aliquam peccati turpitudinem, tāto nomine indigni iudicemur. Conseruemus in nobis bonitate vitę & morum hanc singularem gratiam, quā Dominus nobis impertiuit, ne non ag-

noſcendo, vel non magnificiendo tantum honorem, reputemur ſimiles beſtijs ratione deſtitutis.

## COLLOQVIVM.

ORabis CHRISTVM Dominum, quoniam beatos appellat audiētes verbum Dei, idemq; cuſtodientes: tibi gratiam largiatur ſemper illud cum deuotione audiendi, & opere implendi, quicquid tibi in illo imperârit, atq; etiā amorem ſui, omneq; diuini ſeruitij opus præferendi alteri cuicunq; affectui, & huius mundi rebus: ſic vt perfectè obſequendo voluntati Patris ſui qui eſt in cælis, merearis ad extremum ſeruus eius, & regni cæleſtis cohæres fieri.

## DOCVMENTA.

1. *CHRISTVS vocat beatos, qui audiunt & cuſtodiunt verbum Dei, vt intelligamus, vt ſimus beati, non ſatis eſſe audire verbum Dei hoc eſt, credere, niſi opere quoq; præſtemus. Sicut & CHRISTVS non vocauit fratres ſuos, vel matrem ſuam eos, qui tantum ſciunt, ſed qui etiam faciunt voluntatem Patris ſui.*

2. *Hæc mulier, interea dum Scribæ & Phariſæi tentant & criminantur CHRI-*

*STVM,*

STVM, remoto omni timore elata voce in præsentia omnium incipit eum laudare, ad confusionem multorum Christianorum, qui dũ audiunt blasphemijs lædi nomen Dei, magnáq; iniuria & contumelia affici, ne os quidẽ aperire audent, sed transeunt, atq; si ad eos nõ pertineret diuini nominis patrocinium.

3. Euangelium ait, Matrem & fratres Christi stetisse foris, ad significandum homines Ecclesiasticos & religiosos debere efficere, vt eorũ parentes & cognati stent foris, hoc est ab ijs, quantum fieri potest, remoti, si non loco, saltem corde, quantum ad affectum carnis. Solet enim dæmon maximè Prælatis, procurare magnam cognatorum turbam, vt nimio affectu, quo erga illos feruntur, eorum sanctitatem obscuret, & auxilium, fructumq; animarum impediat.

4. CHRISTVS monitus, Matrem & fratres expoſcere ſuum alloquium, non tamen prædicationem ſuam interrupit, vel omiſit; præbens nobis exemplum, vt in bonis operibus inchoatis perſeueremus, nec aliquo reſpectu hominum vel temporalis commodi prætermittamus: Fruſtra enim incipit aliquis ieiunare, orationi ſe dare, viuere piè, vel ſeruire Deo in ſtatu religioſo, ſi poſtea acquieſcens mundi carnisque ſuggeſtionibus reſpiciat retro, & ſanctam vitam inchoatam deſerat; cùm dixerit Dominus, cum qui manum

num miserit ad aratrum, & respexerit retro, non esse aptum regno Dei.

3. CHRISTVS vocauit fratres suos, & matrem qui faciunt voluntatem Patris sui, vt nos doceret, non esse ex solo timore pœnæ, vel spe præmij seruiendum Deo, more mercenario rum, sed amore filiali, velut mater seruit filio, & frater fratri.

6. CHRISTVS declarauit se pluris facere illos, qui spiritu sibi coniuncti erant, quàm proprios parentes secundùm carnem; vt intelligamus, neminem debere nimium confidere in sanctitate suorum parentum, si ipse bonus non sit, & voluntatem diuinam præstare negligat; potest enim fieri vt parentes sint magni sancti in cælo, ipse verò detrudatur in infernum.

7. Ex hoc CHRISTI facto discimus res spirituales anteponendas temporalibus, sic, vt neq; propter parentes vel cognatos, vel alia de causa prætermittamus, quod iudicamus ad cultum Dei & animæ nostræ salutem pertinere. Vnde quoq; haurimus, quanta reprehensione digni sint ecclesiastici & religiosi, qui dum vacant orationi, vel diuinum officium recitant, illud ex quauis leui causa interrumpunt, vel imperfectum relinquunt.

QVO-

# QVOMODO NAZARENI CHRISTVM ARGVENTEM EORVM INCREDVLITATEM VOLVERINT PRAECIPITARE.

## MEDITATIO XXXV.

### EVANGELIVM.

VENIT IESVS in patriam suam Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit secundùm consuetudinẽ suam die Sabbati in Synagogam, & cœpit docere eos; & cum traditus esset illi liber Esaiæ Prophetæ, reuoluens librum, inuenit locum vbi scriptum erat. Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me, sana-

*Matt.13. Mar.6. Luc.4.*

*Esa.61.*

sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & cœpit dicere ad illos. Quia hodiè impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes audientes testimonium illi dabant, & mirabantur in Doctrina eius, & verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius, & dicebant. Vnde huic sapientia hæc, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nónne hic est filius Ioseph, fabri filius? nónne hic est faber filius MARIAE, frater Iacobi & Ioseph? Vnde ergo huic omnia ista? & scandalizabantur in eo. IESVS autem dixit eis. Vtique dicetis mihi hanc similitudinem. Medice cura teipsum. quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua: non est sine honore, nisi in patria sua, & in cognatione sua. Mul-
3. Reg. 17. tæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israhel, cùm facta esset fames mag-

na

na in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias nisi in Sarepta Sidonis ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israhel, sub Helizeo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hęc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat. 4. Reg. 5.

## FIGVRAE.

MAndauit DEVS Abrahæ vt exiret de terra sua & cognatione sua, se eum apud exteros facturum in gentem magnam. Gen. 12.

2. Ioseph in patria, & domo propria à fratribus suis per inuidiam persecutionem passus & afflictus est, sic vt è Gen. 37.

vita

Gen. 41. *vita eum tollere voluerint, sed in Aegyptum abiens à Pharaone honoratus & exaltatus est.*

Ier. 29. *3. Ieremias cum prædicaret Iudæis, eorumq; incredulitatem argueret, totusq; populus in eum accenderetur ira, captus est, vt è viuis tolleretur.*

## PROPHETIAE.

Hie. 18. Psalm. 37. *NVnquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ?*
*2. Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquarunt & steterunt.*

## CONSIDERATIONES.

Punct. 1. CONSIDERA, quomodo CHRISTVS redemptor noster, cupidus iuuandi omnes, vti quoque pro auxilio & salute omnium in hunc mundum aduenerat, post decursam Galilæam & Samariam, prædicando, docendo, variaque beneficia hominibus præstando, peruenerit in patriam suam Nazareth. Noluit IESVS sapientia æterna initium prædicationis & miraculorum facere in patria, ne videretur ad id permotus, potiùs humano affectu ergà paren-

rentes vel cognatos, vel ſtudio oſtentā-di ſe ſuasq; virtutes in loco vbi notus erat, quam puro zelo animarum. Nec tamen voluit patriæ ſuæ omninò adimere ſua beneficia, quod ex officio, ad quod venerat, & ex debito quodam naturæ ad id eſſet obligatus. Quanquam non ignorabat mitiſſimus IESVS, ſe non ſolùm non à ciuibus ſuis recipiendum, & in honore habendum, ſed etiā reſpuendum, & exturbandam, non ſine mortis periculo. Sed non eſt ideo deterritus, quo minùs ad eos proficiſceretur, & viā ſalutis eos doceret, etiamſi enim ingratitudine ſua ſe reddiderint indignos alijs beneficijs, (*Nec enim poterat*, vt habet Euangeliſta, *ibi virtutem vllam facere*) hoc tamen bonum illis præſtitit, vt veritatem eis dixerit, & defectus eorum patefecerit: Nam non minus beneficium Dominus præſtat hominibus eos corrigendo & caſtigādo, quàm conſolatione vel proſperitate aliqua temporali refocillando.

2. INGRESSVS ſynagogam Dominus accepto libro cœpit exponere Scripturas quæ de ipſo loquebantur. Conſidera quomodo ſapientia increata, à qua in cælo docentur ipſi Cherubini, in terram delapſa nunc tanta humā-

manitate dignetur agere Magistram hominum. Vbi perpendere potes, Domino illa vaticinia prælegente, & tanta benignitate popularibus suis ea explanante, mox angelorum agmina interuenisse gaudio ineffabili in diuinũ illum vultum respicientium, & summa cupiditate excipientium, verba quæ ex aureo illo ore proficiscebantur. Vnde mirum non est si óculi omnium, vt scribit Euangelista, in eo erant defixi: Erat enim vultus eius supra omnes filios hominum amabilis & speciosus, ex quo certus quidam refulgebat splen
Psal. 44. dor index internæ perfectionis & gratiæ; verborumque suauitate omnium obstinatorum & durorum hominum pectora molliebat, & efficaciter attrahebat. Tunc ô Nazareth, conuenienter nomini tuo, poteras vocari sanctificata & florida; in te enim existebat, Sanctus Sanctorum, imò omnis sanctitatis auctor, flos campi pulcherrimus, & odoriferum lilium vallium, quod
Cant. 1. sua pulchritudine & splendore non solùm tibi attulit ornamentum & gloriam, sed suo quoque odore totũ mundũ postea replere debebat. Beata esses, si hodiè agnouisses illum, qui tanta humilitate & benignitate te docuit: neq; enim

enim erat homo purus, sed angelorum Dominus, & Rex paradisi, quem si audire & recipere voluisses ciuem in terra, te fecisset ciuem in cælo.

3. CONSIDERA quàm verè & propriè redemptori nostro conueniant huius Prophetiæ verba; nam primò quidem Spiritus sanctus erat super ipsum, non ex parte & secundùm mensuram, Ioan. 3. vt in alijs Sanctis, sed à primo suæ creationis momento in eam cum omni plenitudine descendit, sicut ex abundantia Spiritus CHRISTI repleti sunt omnes Sancti. Vnctus quoque fuit CHRISTVS Dominus noster: at qua vnctione alia, quàm copia omnium charismatum donorumque cælestium? quàm pretioso vnguento in caput sacerdotis Aaron effuso, & per capillos in barbam, vsque in oram vestimentorum eius decurrente: quare aliud significatum non est, quàm exuberans illa gratia, quæ effusa in CHRISTVM caput nostrum, in omnia mystici corporis membra, hoc est, Ecclesiam suam defluere debebant. Fuit vnctus CHRISTVS, tanquam vnicus noster Rex, qui saluare & liberare nos debebat de manibus inimicorum

rum nostrorum. Fuit quoque vnctus
Heb. 3. tanquam noster verus Sacerdos, qui se in agnum immaculatum pro totius mundi peccatis offerre debuit, nobisque aditum patefacere in sanctuarium cæleste; quod fecit, cum ille primus illud tanquam summus Sacerdos ingressus est non per sanguinem taurorum
Heb. 9. aut vitulorum, sed per proprium sanguinem. Fuit denique vnctus tanquam Propheta, erat enim magnus ille Propheta, de quo loquens Moyses ad populum Israhel dixit. *Prophetam de gente tua,*
Deu. 18. *& de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi*
Eccl. 11. *dominus tuus.* Adhæc fuit missus CHRI-
Apo. 3. STVS ad euangelizandum non diuitibus, non superbis & potentibus huius mundi; atq; illis qui dicunt; *sufficiens mihi sum, nullius egeo*, sed pauperibus spiritu, humilibus, qui sua errata agnoscunt & diuina gratia se indigere profitentur ac peccata sua humiliter confitentur. Missus fuit, sicut bene subiunxit Propheta, ad sanandum contritos corde, qui lethali vulnere peccati sauciati exposcebant remedium; ad prædicandum libertatem illis qui erant sub potestate tyranni infernalis, ad restituendum iis qui versabantur in tenebris ignorantiæ, & errorum, lumen fidei veræ; ad sub-

subleuandum oppressos à graui legis iugo: ac denique ad annũciandum tempus acceptabile, id est diem illius salutis tantoperè desideratum & ab omnibus expectatum.

4. SED quid sibi vult, ô benigne IESV, cùm homo quilibet naturaliter obligatus sit patriæ suæ, & tanta tua sit bonitas & liberalitas, vt nec inimicis tuis beneficentiam subtrahas, imò iniuriam tibi factam censeas; si homines in suis necessitatibus non ad te perfugiant, cur non ciuibus tuis à te petentibus aliquod opus exhiberi, & beneficium præstari manum minimè porrigis? Verùm causa huius rei fuit. Primò, quod Nazareni non ex humilitate id petierint, vt beneficium aliquod à CHRISTO reciperent, sed ex quadam vanitate, ne ipsorum ciuitas videretur inferior, ijs in quibus iam aliquot miracula ediderat. Secunda causa fuit, summa eorum ingratitudo. O quàm displicet Domino hoc vitium, quam potens est & validum, cum quodammodo liget Dei manus, vt beneficia, quæ maximè tamen vellet, impartiri nobis non possit. Verè magna & eximia gratia Nazarenorum ciuium fuit, quod in eorum vrbe verbum incarna-

tum carnem humanam assumere voluerit, quod inter eos, homines tanta sanctitate conspicui habitarint, vt beata Anna & Ioachim cum sanctissima filia sua DEI Matre, & ante omnes Sanctus Sanctorum IESVS CHRISTVS, æterni Dei filius. Nazareni igitur, quia neque agnouerunt, neque in vllo pretio habuerunt tam inæstimabile beneficium, sua ingratitudine quoque indignos ad minora à CHRISTO recipienda se reddiderunt. Nam vnde moueri debuerant, vt Christum pluris facerent, & ampliore honore propter singularem doctrinam & opera admiranda prosequerentur, inde ansam arripuerunt eum aspernandi & calumniandi. Cuius rei causa alia non

Gen. 37. fuit, quam quæ mouit primos illos Patriarchas ad persequendum ex odio fratrem suum IOSEPHVM, maledicta, nimirum, inuidia, quæ tantopere grassari solet inter ciues, vt alter ab altero non sinat se superari, aut maiore in honore & existimatione haberi. SED quid mirum, Nazareth non cognouisse nec in pretio habuisse suum ciuem CHRISTVM? cum neque

Ioan. 1. mundus illum, teste sancto Ioanne, cognouerit; cum enim Creator in illum tan-

tanquam proprium ſuum Domiciliũ, manibus eius conditum & fabrefactũ veniſſet, receptus non fuit, imò ex eo turpiter eiectus eſt. Tu quoque anima mea, quoties venientem ad te Saluatorem, qui te creauit; & ſuo ſanguine redemit, ac tanto tempore lacte ſuo pauit, illum amantiſſimum ſponſum tuum, qui continenter ad oſtium cordit tui pulſat, vt illi aperias, teque ſuis celeſtibus donis & beneficijs locupleter, Tu Nazarenis ingratior, repellis & expellis à te Patrem tuum, ſponſum tuum, & Deum tuum? Apoc.

5. DICEBANT Scribæ & Phariſæi. *Vnde huic ſapientia hæc? nonne hic eſt faber, & filius fabri? & ſcandalizabantur in eo.* Indignabantur CHRISTO propter paupertatem, & parentelæ humilitatem, atque ſi homo ſapiens, & mirabilium operum effector, non poſſet naſci ex inopi & humili proſapia; cum contra potius admirari debuerint ea de cauſa, maioreque veneratione proſequi, ſi perpendiſſent id non potuiſſe fieri niſi diuina gratia, & ex grandi miraculo. Quare temerè illum aſpernati ſunt. Nam & Dauid, radix & fons tot Regum, omniumque Prophetarum nobiliſſimus, erat humilis ouium pa-

ſtorculus, filius Ieſſe, pauper & ruſticanus. Moyſes quoque legislator magnus à parentibus erat ignobilis, paſcēs gregem Iethro ſoceri ſui. Ex alia parte rectè & verè CHRISTVM appellarunt fabrum, & filium fabri, quia filius erat magni fabri, qui initio fabricauit totum orbem terrarum. Erat & ipſe faber quia diuinis eius manibus omnia fuerunt fabrefacta & condita. Itaque in errore illo Iudæorum recondita latebat veritas, Chriſtum verè eſſe filium fabri, non illius de quo illi cogitabant, ſed eius qui auroram & ſolem fabricarat, nempe, Eccleſiam antiquam, & nouam Euangelicam.

*Exo. 2. & 23.*

*Pſal. 83.*

6. CONSIDERA, Saluatorem, vt inſtar ſapientis medici Nazarenis ſuam infirmitatem patefeceret, eiuſque cauſam, vt ſe agnoſcentēs, & ſubmittentes poſſent ab ipſo ſanari, dixiſſe, *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Quo illi audito, exiſtimantes ſe confeſſione iſta veritatis notari & iniuria affici, ita & furore ardentes eiecerunt illum extra ciuitatem, & conati ſunt etiam de monte præcipitare. Infelix Nazareth, quæ è tuis finibus exterminando Saluatorem ſimul amiſiſti ſalutem; eijciendo Solem

lem iustitiæ, in tuæ ignorantiæ malitiæque tenebris cæca permansisti, & denique expellendo veram vitam, æternam mortem incurristi. Merito autem hoc in facto Iudæi se non solùm discipulos, sed etiam deteriores Magistro suo diabolo declararunt. Nam diabolus tentans CHRISTVM, verbis suadere ei conatus est, vt se de tẽplo præcipitaret, at isti suis manibus cum prẽcipitem de monte agere voluerunt. Verum benignissimus IESVS qui non venerat ad puniendum, sed ad patiendũ pro peccatoribus, patienter & libenter propter nos hanc iniuriam sustinuit, cũque suę diuinitatis virtute, potuisset efficere, vt Nazarenis illis sacrilegis terra dehisceret, ipsosque viuos absorberet, tamen summa mansuetudine, nulla pœna inflicta, per medium eorum transiuit. Sed heu, quod à CHRISTO deserti essent, fuit pœna omnium grauissima. Væ animæ, quæ suis peccatis causam præbet, vt à CHRISTO deseratur, cum hoc ipso sit in tyranni infernalis potestate, & æternis supplicijs addicta. *Luc. 4.*

7. NON dubium, quin tanta ciuium ingratitudo, dulcissimum IESV pectus transuerberarit, paratasque id

temporis fuerit vitam ſuam, ſi voluntas illa diuina fuiſſet, profundere, præcipitiumque illud pro ſalute eorum in ſe patienter ſuſcipere: & quamuis tunc mori non voluerit, quia nondum tempus erat, tamen cogitare potes, quot verbera ſacrilegis illorum manibus, quot conuitia auribus ſuis exceperit, interea dum populus furens eum per vias deduceret ad agendum eum de monte præcipitem? Compatere anima mea, & vide quomodo per inuidiam ſuorum popularium tanta ignominia afficiatur in terra ille, qui in cælo tantoperè eſt glorificatus, & ab Angelis collaudatus, vt nunquam in eo contemplando & prædicando ſatiari poſſint. Eijciunt vrbe ſua ingrati Nazareni Dominum qui venerat, vt eos perduceret ad cælum, & in cæleſtem Hieruſalem introduceret, vbi perpetua fœlicitate viſione ipſius Dei perfruerentur. Conantur præcipitare, & morte afficere illum, qui ad eos à morte ſeruandos, & infernali præcipitio liberandos venerat. Illum denique volunt de monte ruere, qui manu ſua ſubleuat lapſos omnes, & qui nondum ceciderunt, ſuſtinent ne labantur. Heu anima mea, ſi

Pſal. 144.

si abhorres à tam execrando Nazarenorum sacrilegio, cogita te quoq; quoties corde consentiendo in vnum peccatum mortale diuinam gratiam exclusisti, toties eieciſſe & præcipitasse clementissimum tuum redemptorem.

## COLLOQVIVM.

ORabis CHRISTVM Dominum, sicut se humiliando in omnibus, non dedignatus est in Synagoga fungi officio lectoris, & post institutos multa submissione Nazarenos mala patienter pro bonis sustinuit, passusque est se nõ grauatè deduci in locum, vnde præcipitandus erat: dignetur tibi quoque gratiam largiri, vt eius exemplo desideres te humiliare, & cùm gaudio suscipere in animarum auxilium qualecunque omnes iniurias illatas patienter, exclusa omni vindicta, ac denique omnes inimicos tuos ex animo amare, malefactis, beneficia rependendo.

## DOCVMENTA.

1. VERBIS Prophetæ Esaiæ à Domino allegatis, & primò, quod missus sit ad Euangelizandum pauperibus: Secundò, ad sanandum contritos: Tertiò, ad prædicandam captiuis remissionem: Quartò, ad restituendum cæcis visum. Quintò, ad liberandos oppressos, Sextò, ad prædicandum annum retributionis, indicantur sex conditiones conuenientes in Prælatos. Prima est, subuenire, & solari eos qui sunt in paupertate & ærumna. Secunda, confortare pœnitentes spe veniæ. Tertia, inuisere & iuuare ceptiuos. Quarta, instruere ignarantes Quinta, subleuare oppressos. Sexta, excitare negligentes, & tepidos timore pœnæ, & spe præmij.

2. CHRISTVS post apertum sacræ Scripturæ librum, cùm quædam prælegisset, plicuit & clausit illum, ad significandum non omnia omnibus promiscuè prædicanda, sed cuique quod cõuenit eius capacitati & dispositioni.

3. CHRISTVS post lecta verba Prophetæ, non dixit de se scripta esse, sed quod tunc temporis impleta esset illa prophetia. Vnde discimus, quàm modestè & humiliter loqui debeamus de rebus nostris, quæ pertinent ad aliquam nostram laudem vel honorem: hoc est, vt ita dicamus veritatem, ne videamur nosipsos prædicare vel extollere.

4. DIXERVNT Nazareni CHRISTO.

Quan-

Quanta *miracula* audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. *Capharnaum idem est, quod Campus Pœnitentiæ: Nazareth verò, terra florida. CHRISTVS fecit multa miracula in Capharnaũ, quia libenter moratur in animis eorum, qui pœnitentiam agunt, communicando illis multa gratuita beneficia: Contra in Nazareth nullum fecit miraculum, vt significaret, se longe abscedere ab ijs qui vitam delicatam inter flores ducunt, & dicunt, sicut scriptum est, Coronemus nos rosis antequam marcescant, & bonis huius vitæ fruamur. Cùm his nõ habitat CHRISTVS, nec illi suæ diuinæ gratiæ dona communicat.*

5. *NAZARENI verbis Christi offensi mortem ei intentarũt: sic hodie multi faciunt, qui nolunt sibi ea dici, quæ non arridents; & si veritas illis proponatur, turbãtur & obmurmurant, ipsosq; concionatores & veritatis defensores persequuntur.*

6. *CHRISTVS Nazarenis se præcipitare volentibus non restituit, non vltus est, nec reprehendit, sed quietè per medium illorum transeundo, recessit: hac re informans nos, ne vlciscamur iniurias nobis illatas, sed potiùs dissimulemus, patientia nostra malignitatem & duritiem aduersariorum nostrorum vincendo.*

7. *QVATVOR modis intentata est mors*


*CHRI-*

CHRISTO: nam quidam voluerunt eum occidere gladio, vt Herodes, alijs lapidare, vt Iudæi, alij præcipitare, vt Nazareni, Alij denique cruci affixerunt: Sic homo impius & peccator tunc crucifigit CHRISTVM, quando peccata, semel condonata rursum committit: tunc verò occidit gladio, quando eum blasphemat: tunc lapidat, quando in peccato est obstinatus: tunc denique præcipitat, quando desperat.

8. Nazareni Christum, cum declararet, scripturas testificantes ipsum esse verum Messiam in lege promissum, cum gloria quadam admirabantur & laudabant: vt verò incredulitatem eorum coarguit, eum eiecerunt, & de mõte præcipitare voluerunt. O quot nostrum similes sumus Nazarenis, qui, dum ab alijs quædam dicũtur in nostram laudem vel honorem vergentia, eos laudamus & prædicamus; dum verò ab ijsdem non cælatur veritas, mox capitali odio eos prosequimur.

Sortis Jesu Paderb.

FINIS Primæ partis Meditationum de Vita & Passione CHRISTI DOMINI NOSTRI.






UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN